





MONTANI
CONSULTA
CENTU III.









IO. BAPTISTAE MONTANI VERONENSIS MEDICI ET PHILOSOPHI EXCELLENTISSIMI,

Consultationum medicinalium ad varia morborum genera,

Centuria tertia.

Vnà cum Indice Alphabetico.

Cum priuilegio Illustriss. Senatus Veneti, in annos X.



Venetijs, in officina Erasmiana, apud Vincentium Valgrisii
M D LVIII

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

CVM ſuperioribus annis diuulgaſſemus ex noſtra Typographia LECTOR candide primã Conſultationũ Medicarũ centuriam magni illius ac prope diuini Medici pariter ac Philoſophi ſingularis D. IOANNIS BAPTISTAE MONTANI, Veronenſis, quas(vt audio)partim ipſe ſuis auditoribus inter diſſerendum publicè cõmunicauit,partim domi, priuatimq; diſcipulis mira facilitate prælegit, vel dictitauit: effectũ eſt (fruſtra oblatrantibus quibuſdam obſcuris,& maleuolis blatteronibus)vt Montanica à plurimis viſu,lectu,& cognitu digna exiſtimarentur,quippe qui non minùs doctè,q̃ attentè dicta, factaq; ſua omnia ad amuſsim penſitaſſe videatur, cui id tribui ſentio à bona Medicorum huius ætatis parte, vt alter Galenus dici & haberi iuremerito & poſſit:& debeat: nec enim abs re tàm liberaliter illuſtriſ.hic Senatus Venetus publicis impendijs eum aluiſſet Patauij, niſi rarum hominis ingeniũ inter reliquos mortaleis admiratus eſſet.ad cuius honoris corollariũ, pro laude vulgaris famæ ego, nihil aut parum habeo profectò, quod addam,niſi vnũ hoc,in medium proferam hoc loco,me,ab innumeris promiſcue admonitum, rogantibus alijs, cohortantibus alijs, vt hinc inde perquirerem gnauiter,ſi quid vſpiam extabat tàm digni aucto-

ris, hactenus incognitum: quidquid enim esset, iniquum illi ducebant, beneuolentium iustis desideriis intercipi. Exploratum verò vt plurimis est, rei Medicæ tyronibus imprimis, nihil MONTANI monumentis à multis sæculis exquisitius, aut excellentius repertum esse. Excitatus itaq; sum sanè (vt ingenuè fatear, vt, cum amicorum genijs hac in parte obsecundarer, tum, quod semper adnisus sum, adnitorq; sedulo, studiosorum commodum adiuuarem) ad altiores cogitationes, sicunde tale quidpiam, quod à multis, & doctis & probis viris probatur, nancisci bona sors ferret, non defuturum me, ilico recepi, neq; impensæ, neque labori parciturum esse: quin ad bonorũ omnium vsum, ac studiosorum gratiã veniat in nostra officina. Sic igitur diu multumq; cogitanti mihi, forte (vt fit) ad famam ipsam prioris Centuriæ, à nobis iampridem editæ, cum literatus, tum in rebus Medicis apprime versatus, & Medicus & Philosophus D. IOAN. CRATO Vuratislauiensis, beneuolentia quadam peculiari, erga præceptorem optimè de se meritum, impulsus, secundam, seu alteram nobis transmisit Centuriam, olim ab sese accuratè (dum legentis MONTANI, aut ratiocinantis verba, ab ore pendens, quod aiunt, exciperet: hæc fideliter concinnauit, & nonnulla alia, ad id subiectum pertinentia, nimirum Discursus, vt ita dicam, seu animaduersiones, ac Curationes febrium, quæ omnia typis nostris sunt impressa) collectam, ac perscriptam, eam nos nuperrimè,

perrimè, ijs, qui de MONTANO rectè iudicant, legendam dedimus, quanta quidem à nobis fieri potuit diligentia, & industria ad Archetypum expressam. Maledicis interim inuidia rumpantur, vt ilia Codro. nam non ita eorum garrulitatem metuo, integer, quàm tyronum commodis seruire cupio. Quod quidem opus, nihilo secius postquàm desideratum iri, atq; priores illas Consultationes supra biennium à nobis emissas, planè considerem, communi fretus benignitate, nullatenus quiescendum esse mihi arbitratus sum, quin omnes bibliothecas perlustrarem, sicubi adhuc lateret aliquid à proposito non alienum. Quid multa? non quidem spe & effectu honestissimus noster caruit affectus. Nam breui, quemadmodum euenit, in mare currentes ierunt de montibus vndæ: atque ex vna occasione opportuna, opportunior altera subinde orta est. In hac bona mentis inclinatione adiutus sum à multis viris fide dignis, nam certatim enixioribus animis illi ipsi, qui sub viuo eo Magistro operam nauarunt rei Medicæ, sensim flagrare, & lætari cœperunt, vt quamprimum promerent in publicam studiosorum vtilitatem, quod per multos annos abdiderant, intraq; Musæa Continuerant: quod, qua ratione alia, aut consilio adducti fecerint, non video, qnàm, quòd impudentes iudices in alienis rebus vitio vertendis, homines vererentur, quasi aliena pro suis ostentarent, & graculo Aesopi comparandi essent, aut certè (quod res

ipſa eſt)expectarent commodam aliquam oppor tunitatem ſibi dari, ſelecta, quæ habebant apud ſe MONTANI Miſcellanea promulgandi. Afferentibus demum alijs alia ad me, Centuriam tertiam obiter ita contexuimus Conſultationum, ſeu Curationum Medicinalium, à prioribus duabus inſtituto ac ſtylo nequaquàm diſsimilem, in omnium ſummatim gratiam, qui fœliciter iactis fundamentis literarum, aliquò in hac arte progredi ſtudent, & præter diſciplinæ profectum tolerabilem, luculentum emolumentum aliquando adepturos ſeſe non diffidunt: ea tamen lege, vt ſi, exiguus licet, hic noſter labor non diſplicuerit, totis viribus adnitemur impoſterum (quotquot habere in manibus MONTANI lucubrationes, integrum nobis fuerit) eas ſtatim typis excuſas tibi LECTOR candide inſpiciendas ordine præbere. Tu interim, ſi ſapis, valetudinem tuam cura, Vale,viue,& labore noſtro lætus fruere.

IO-

IO. BAPTISTAE MONTANI VERONENSIS MEDICI ET PHILOSOPHI EXCELLENTISS.

nonnullorumq; aliorum in arte Medica præstantium

Consultationum medicinalium ad varia morborum genera, Centuria tertia.

Consult. I. De curatione morbi Gallici.



VRATVRO *secundum rationem morbum Gallicum, necesse est, ut in primis corpus ægrotantis expurget. Prima igitur die hora matutina tres horas ante prandium assumet bolum infrascriptum.*

℞. Floris *Caßiæ nuper extractæ* ʒ *xij.*
Cum saccharo fiat bolus. Quod si ab ipsa Caßia ægrotus abhorreret, ipsius loco assumat tale medicamentum,

R. *Electuarij de Sebesten s.* ℥ *i.*
Specierum Hieræ s. ʒ *ij.*

Misce, & fiat bolus tribus, quoq; horis ante prandium deglutiendus. Postridie assumat sequentem syrupum, quem etiam per septẽ continuos dies in aurora potabit.

℞. Syrupi de Fumoterræ
De succo Buglossæ ana ℥ i.
Aquæ Cichorij ℥ iiij.

Misce pro uno syrupo, & sic pro alijs septem. Potabit deinde post ultimum syrupum in aurora cum custodia huiusmodi medicamentum.

℞. Confectionis Hamech ℥ s.
Syrupi rosati solutiui ℥ iij.

Cum modico aquæ Fumiterræ fiat potio. Assumptis omnibus his medicamentis per duos sequentes dies mane & sero, per horam ante cibum accipiet ℥ s. Sacchari rosati pro quaque uice. Verum illud etiam est obseruandum, quod accepto bolo, & duobus sirupis secanda omnino uena est dextri brachij, fietq; sanguinis extractio in quantitate octo ℥. & ad decem usque interdum. His omnibus peractis assumet deinde ægrotus hos sequentes syrupos, à quibus optimè purgabitur.

R. Myrobalanorum Citrinorum
Chebulorum
Indorum
Emblicorum
Belliricorum ana ʒ vi.

Contundantur grosso modo, deinde fricentur manibus cum oleo Amygdalarum dulcium, deinde infundantur in lib. sex aquæ Fumiterræ, per horas xxiiij. posteà

R. Epithymi
Polypodij
Folliculorum Senæ ana ʒ iij.
Liquiritiæ ℥ i. s.
Citri ℥ i.

Corticum Ellebori nigri ʒ iij.

Decoquantur omnia ſimul ſecundum artem, uſque ad conſumptionem medietatis, deinde facta diligenti expreſsione & colatura, ſeruetur decoctum pro ſyrupis, poſteà ℞. huius decocti ſextam partem

Iulep roſati ℥ i. s.

Miſce pro uno, & ſic pro alijs, uſque ad ſex: qui quidem ſyrupi ultimo loco deſcripti, ſi nimis fortaſſe ægrotãtẽm expurgarent, alternis diebus eſſent aſſumẽdi. His peractis decoctum ligni Indi accipiet hoc modo confectum. Primum quidem inueniet lignum perfectum, magni ponderis, & quod plurimum ligni intus habeat, atque ex hoc aſſumet xv. ſeu xvi. libras, & pro qualibet uice abradet libram tantummodo, quam infundet in vij. libris aquæ Endiuiæ, & totidem aquæ Abſinthij per horas xxiiij. fietq́; decoctio uſque ad conſumptionem librarum ſex. Poſtea facta colatura, reſeruabitur decoctum in uaſe uitreo, ex eoque ſingulo quoq; mane aſſumet libram unam pro uice, per tres horas ante prandium, loco ſyrupi. à prandio, & per horas ſeptem tantundem decocti potabit, & per tres horas poſt talem potionem cœnabit. Atque hæc præcepta erunt ſeruãda per totum tempus, in quo decoctum accipiet, quod quidem tempus erit quadraginta dierum. Cibus erit dimidium pulli pro uice, & utetur pane quod buffetum appellant. Vinum erit album, oligophorum, clarum, non adſtringens, atque hac uiuendi ratione utatur per decem primos dies, xx. ſequentibus diebus, ſingulis diebus ℥ v. uuæ paſſæ aſſumet pro cibo, & tantundem panis biſcocti. Potus autem erit talis.

℞.

℞. libram unam ligni, ex quo ſupradicti ſyrupi fuerunt confecti, ipſamque infunde in uigintiquatuor libris aquæ putealis per horas uigintiquatuor. fietq; decoctio uſque ad conſumptionem librarum decem, atque potabit hoc decoctum in hoc uiginti dierum ſpatio ad libitum ſuæ uoluntatis. Decem *autem ultimis diebus eadem utatur uiuendi ratione, qua uſus eſt primis decem diebus, ac præterea per totum tempus, in quo potabit decoctum prædictum, aſſumet, per interuallum tamen dierum octo, bolum Caßiæ in quantitatē ℥ xij.*

Conſult. II. Pro quodam laborante tuſſi, à ſputo ſaniei proueniente.

VIR *nobilis, ſicut ego audio, plerunq; incidit in ſputum ſanguinis, ex quo arbitrantur fuiſſe ulcus in ipſo pectore aut pulmone, quod ſputum ſanguinis uidetur uerſus in ſputum ſaniei, ſputum autem ſanguinis uidetur ſequutum eſſe caſum ex equo, & facile eſt, ut utrunque ſubſequutum ſit.* Primò *quod ex caſu ex equo facta ſit contuſio, & ſoluta continuitas ipſius pectoris, aut pulmonis, deinde ex male curato uulnere, aut ulcere pectoris, aut pulmonis ſit ſubſequutum ſputum ſaniei: niſi enim ſanantur ij primis diebus, ſolent cadere in ſputum ſaniei.* Quo *pacto autem ſit curandus, dicamus: ſi illud quod dicemus, uerè ſit cura aut potius ſit præſeruatio ab ulteriori lapſu.* Curabitur *enim hoc pacto, ſiue præſeruabitur ab ulteriori & uehemētiori malo.* Primo *inſtituatur recta uiuendi ratio, ita ut non aggreget excrementa plura.* Præterea *opus eſt, quod interdum expurgetur*

getur totum corpus, tertiò expurgetur pectus, & affecta loca exiccentur, et consolidentur. In primis uiuendi ratio sit, ut utatur optimis cibarijs, & exiccantibus, ut pullina carne, auium paruarum, carne uitulina, & frequenter hœdina, ubi detur occasio. et derelinquat crassas carnes, ut bouinas & porcinas, atque agninas: interdum utatur carne castratorũ iuuenum: raro utatur piscibus, liceat interdum uti piscibus fritolis. Demittat legumina, utatur ptisana, farre seu alica. Vinum sit pauciferum, rubrum, minime acerbum, interdum dulciusculum, dimittat labores & fortia exercitia, & alia istius generis. Purgetur corpus per totam hanc hyemem, singulisq; 7. aut 8. diebus accipiat ℥ vi. Caßiæ cum ℥ i. Hieræ. Superueniente uere semel accipiet eandem Caßiam, post bibat quinq; aut sex de syrupis infra annotatis.

℞. Syrupi uiolati
De succo Farfaræ ana ℥ i.
Decoctionis Farfaræ ℥ iij.
Misce, post accipiat istas pillulas.

℞. Pillularum Cocciarum
De Agarico Mesuæ ana ℥ s. fiant pillulæ v. utatur frequẽter Diadragantho cum bolo Armeno, interdũ utatur Diacodio liquido. Ad mundificationem pectoris, utatur frequenter hoc electuario, paulatim accipiendo de ipso.

R. Sacchari uiolati rosati ana ℥ ij.
De Pino ℥ i. cum syrupo uiolato fiat mixtura. interdum utatur hac decoctione calida pro syrupo.

R. Foliorum Farfaræ
Boraginis

Betonicæ

Betonicæ ana m. i. s.

Ficuum ſiccarum pinguium num. vi.

Decoquatur, et cola. cui adde mellis uiolati ℥ iij. Boli Armeni ʒ ij. fiat ſyrupus, & hoc pacto curetur.

Conſult. III. Pro quodam ſuſpicante ſe pati morbum Gallicum.

PRIMVM *quidem circa finē menſis Februarij, poſt lunæ coniunctionem infraſcripta utatur purgatione. In primis mane per horā ante prandiū, talē bolū aſſumat.*

℞. Floris Caßiæ ℥ i.

Specierum Hieræ ʒ ij. cum ſaccharo fiat bolus. Quod ſi ratione amaritudinis abhorreret ab huiuſmodi medicamento, ipſius loco aſſumere poterit eadem hora, atque eodem modo ℥ i. s. floris Caßiæ, ſed prius medicamentum erit utilius. poſtridie uerò potare incipiet infraſcriptos ſyrupos.

℞. Syrupi de Cichorio Nicoli. ſine Rhabarbaro

De Fumoterræ ſimpl. ana ℥ i.

Decoctionis infraſcriptæ ℥ iiij.

℞. Ceterach

Capillorum Veneris

Betonicæ

Endiuiæ ana m. s.

Radicum Liquiritiæ ℥ ij.

Decoquantur omnia in lib. iij. aquæ Fumiterræ ad conſumptionem duarum partium, & facta diligenti expreßione & colatura, ſeruetur decoctum pro tribus ſyrupis, atque ita perſeuerabit in aſſumendis

ſingulo

ſingulo mane ſyrupis calidis hora debita uſque ad ſepti= narium numerum, renouando decoctionem cum defi= ciet. Prætereà aſſumptis duobus primis ſyrupis, laudo, ut ſibi ſecetur uena dextri brachij, baſilica.s.extrahen= do ℥ vi. ſanguinis circiter. Aſſumptis autem 7. ſyrupis prædictis, poſtridie potabit ſequens medicamentũ, dum= modo aliquod impedimentum illi non acciderit, ueluti ſudor, alui profluuium, aut magnus motus, ut ira, et mæ= ſtitia animi inſignis: in talibus enim caſibus, atq; huius generis ſatius erit differre medicamentum, & perſeue= rare in aſſumendis ſyrupis. Vſq; quo animus & corpus à perturbatione quieſcant, medicamentum ſit tale.

℞. Confectionis Hamech ʒ iiij.

Syrupi roſati ſolutiui ℥ iij. cum aqua Fumiterræ fiat potio breuis, danda in aurora cum cuſtodia, & per totam eam diem unà cum ſequenti moretur domi, remo= uendo ſe à cunctis negotijs. In his autẽ ſequentibus duo= bus diebus poſt aſſumptum medicamentum, aſſumet ma= ne & ſerò per horam ante cibum ℥ s. Sacchari optimi roſati. Perfecta hac purgatione in illis duobus diebus in quibus ſaccharum roſaceum aſſumet, dabit operam, et quidem diligentem, ut à pharmacopola fideli, & perito infraſcripti ſyrupi præparentur, nam in his conſiſtit purgationis perfectio: & pharmacopolæ ſæpe incident in errorem in his ſyrupis, cùm non ſint aſſuefacti ad eo= rum præparationẽ. Omnia autem, quæ ipſos ingrediun= tur, electa ſint. Hi ſyrupi bis, ter, ac etiam quater labo= rantem purgabunt ab humore nigro & cineritio, ex cuius purgatione multum ſubleuabitur, & non leuem percipiet utilitatem. Cæterum cùm omnia corpora non

ſint æqualia, ſi forte fortuna hi ſyrupi expurgarent ipſum pluribus uicibus quàm tribus aut quatuor, aut ſi in illis tribus uicibus tanta humorum copia expurgaretur, ut debilitate æger afficeretur, tunc conſulo ne aſſumat quotidie ſyrupos, ſed interponet diem unum, & quemadmodum ſibi uidebitur, quod ipſius corpus peius aut melius ſit toleraturum. Syrupi autem ſint ſex, ſex etiam uicibus aſſumendi. Hi ſyrupi nunquàm aliquod corpus moleſtia affecêrunt, cui propinati ſunt, imò operantur ſine moleſtia, neq; ob id domi ægrotos contineo, ſed permitto ut deambulent, per quæ loca ſibi libuerit, dummodo cõmoditatem habeant, exonerandi uentris, & à uento non offendantur, neq; à ſuperfluo labore exoluantur. Deſcriptio horum ſyruporum talis eſt.

℞. Myrobalanorum Citrinorum
Chebulorum
Indorum
Belliricorum
Emblicorum ana ℥ i. contundantur groſſo modo, deinde fricentur manibus cum oleo Amygdalarum dulcium, deinde ponantur in infuſioné per horas 24. in lib. 7. aquæ Fumiterræ, poſtea

℞. Folliculorum Senæ
Epithymi
Polypodij ana ℥ iij.
Liquiritiæ raſæ ℥ ij.

Decoquantur omnia ſimul ſecundũ artem ad cõſumptionem medietatis, poſteà facta diligenti expreßione & colatura, ſeruetur decoctum, quod poſteà diuiditur in partes ſex, pro ſex ſyrupis prædictis, & quilibet ſyrupus

rupus dulcoretur cum ℥ ij. Iulep rosati, & dabitur calidus in aurora. Finitis syrupis: cùm illi placuerit (quod ut faciat omninò consulo) potabit decoctum ligni Indi, tempus erit opportunum, quia corpus erit optimè dispositum, et præparatũ, modus autem assumendæ decoctionis ligni, erit talis, qualis ab omnibus in usu est, præterquàm quod non laudo, ut fiat decoctio ligni, qua utimur pro syrupis in aqua communi, ex eo, quod uim nimis magnam obtinet, & nimis inflammat. Vnde consulo, ut loco aquæ communis, utatur aqua Endiuiæ. Secunda uerò ligni decoctio pro potu fieri poterit in aqua cõmuni, ex optimo fonte, aut ex aqua, quæ sit clara & in continuo fluxu.

Consult. IIII. Pro iuuene laborante Catarrho descendente ad pectus, & febre putrida, & cum periculo, ne incidat in Hecticam.

IVVENIS hic ægrotus patitur huiusmodi symptomata. In primis habet catarrhũ nõ omninò salsum, neq; omninò expertẽ à quacunq; amaritudine, habet deinde tußim non siccam quidem, sed humidam, laborat ad hæc febre, & ea quidem putrida, periculum tamẽ est, ne facile in Hecticam incidat, et ne iam fermè sit Hecticæ febris principiũ. Vt uerò poßit curari noscendi sunt morbi, à quibus symptomata hæc dependent, & res naturales. Temperatura igitur istius iuuenis est calida omninò, quantum ad totius temperaturã, in paßiuis uerò uel temperata est, uel uergit ad aliquam siccitatem. Quantum uerò attinet ad membrorum temperiem, est certè inæqualis temperiei, nam cor & hepar calidum et sic-

cum

cum obtinet, cerebrum calidum & humidum, uentriculum tamen habet frigidiorem. Solet autem in omnibus sex rebus non naturalibus maximè errare: ætatis est 19 annorum, in qua facile homines solent incidere in phthisim. Hæc dicta sint de rebus naturalibus huius adolescentis, si duo addita sint, quorum alterum est, hunc adolescentem in aere crasso, humido, & turbulento habitare, alterum uerò est hunc adolescentem esse eius figuræ, quæ in phthisim solet facile incidere. halitus enim est, & pectoris angusti. Causæ autem illius catarrhi est intemperies capitis calida & humida, à qua superfluitates multiplicantur, unde postea fit catarrhus. Tußis uerò illa fit propter humores à capite ad brachia, arteriam, & pulmonem transmissas. ad caput uerò tum à uentriculo male disposito, & hepate calido, tum à toto ambitu corporis transmittuntur. Febris uerò illa adest propter aliquam materiam putrefactam, timendum est autem, ne incidat in hecticam, & phthisim, tum propter pulmonem imbecillum, facileq; recipientem, tum propter caput transmittens, tum quia facile in pulmone putrescent aliquæ materiæ, ex quibus febris hectica accendetur. Vt autem sanetur duo sunt præstanda, alterum est, ut liberetur ab his affectibus, à quibus premitur: alterum est, ut ab imminente tabe, phthisiq; præseruetur. Tollenda est igitur capitis intemperies, uerùm priùs caput & corpus est purgandum. Et quoniã priùs fuit secta uena, tempusq; anni iam calidum est, & iuuenis est macilentus, periculumq; est, ne incidat in hecticam, ideò non puto amplius esse uenam secandam, leniatur tamen uenter in primis cum Caßia, & puluere

Anisorum,

Anisorum, deinde materia concoquatur, et præparetur, quod fiet cum syrupo uiolato, & de succo Farfaræ. hi enim & corroborant, & frigefaciunt leuiter, & prohibent descensum catarrhi. Decoctum uerò erit Farfaræ, Violarum, & Boraginis. Concocta materia, euacuetur non Rhabarbaro, sed Caßia cum Agarico. Vterer etiam pillulis Coccijs, nisi esset hoc tempus calidum, & temperatura calida. Purgetur deinde caput non masticatorijs, ne materia trahatur ad pulmonem, sed caput purgijs, ut aqua hordeacea cum Sacchoro, uel succo Bliti cum Saccharo, aut succo Hederæ. Tollatur deinde capitis intemperies: quod fiet cum Rosis, Chamæmelo, Nymphea, & Betonica, & cum Sandaraca. hæc enim decoquantur in lixiuio, aut aqua dulci, & sæpè hæc lotio reiteretur, à qua tolletur capitis intemperies. Euacuanda est postea materia, quæ est in pulmone Diapenidio, et Diatragacantho. Theriaca etiã uel Mithridatum optima sunt, si cum sacchoro rosaceo misceantur. nam rosaceum saccharum abstergit, corroborat, & prohibet hominem à phthisi. Quod si quid interim materiæ generetur, id paulatim euacuabitur per leuem aliquam purgationem. Curabitur hoc pacto adolescens: præseruabitur autem eisdem remedijs, in primis si utatur recta uiuendi ratione, deinde si sæpe saccharo rosaceo: utatur ad abstergendum & corroborandum pectus & pulmonem: qua quidem in re ualet etiam syrupus de Farfara: deinde si caput seruetur ijs quæ diximus, immune ab omni intemperie & catarrho.

Consult. v. De phthisi, seu vlcere pulmonis.

IN hoc morbo ulcus quidẽ abstergendum primò est, deinde consolidandum, & exiccandum. Abstergit autẽ lac asininum & humanum, sed magis nutrit humanum, asininum magis abstergit: & ideò Galenus, ubi curat ulcus, laudat magis lac asininum: ubi tabem, humanum. Abstergit & saccharum, hydromel, ptisana, ipsiusq; cremor, syrupus de Farfara, de Liquiritia, de Hyssopo, et id genus alia. Absterso ulcere debitis remedijs postea est conglutinandum.

Consult. VI. De Sene septuagenario, laborante ventris stypticitate, & vigilijs, & tristitia quadam cum periculo, ne incidat in melancholiã.

VIR septuagenarius temperaturæ siccæ, in præsentia (qui aliàs passus est tumorem præter naturam in utroq; crure) laborat alui adstrictione, uigilijsq;, ita ut non dormiat nocte, sed excitetur, et melancholicis quibusdã accidentibus ita uexatur, id est subtristis est, & timet sine ratione, ut immineat periculum, ne fiat melancholicus. Circa curam instituenda est recta uictus ratio, qui sit calidus & humidus, uergens ad temperiem, quando & temperatura naturalis & ætas & morbi & causa morbi ita exigunt. Carnes igitur sint calidæ, & humidæ, ut hœdinæ & gallinaceæ, et maximi gallinarum iuuenum, & columbarum & uitulorum iuuenum, sed hoc raro, uiscidæ enim sunt carnes, et craßi nutrimenti. Oua sorbilia tremula optima sunt, laudabiles pisces non denegentur,

negentur, sed rarus sit eorum usus, ut Passerculorum, Mulorum, Solearum, & id genus pisciũ. Vinum sit pauciferum, non dulce neque acre. Animi sint mitiora accidentia, moderatum exercitium. Superueniente uere si utatur interdũ Lactuca cocta cum oleo aceto & sale et saccharo, & maximè in cæna erit optimum, somnũ conciliabit, et uentrem leniet. Quòd si in ferculis interdum daretur Malua spinachia, Blitum, Borago non erit malum. Prunis exiccatis dulcioribus & Passulis maioribus si utatur, erit bonum. Superueniente uere purgetur corpus, et alteretur caput & reliqua membra. In purgando corpore id obseruandum est, ut relinquantur omnes exiccantes medicinæ, ut Aloë, Hiera, et quæcunq; alui pillulæ. Vtatur Caßia aut syrupo, uiolato, aut Manna, aut id genus leniente pharmaco, cuius quantitas sit pro ratione ætatis, uirium, et consuetudinis. Lenito uentre cõcoquatur materia cum similibus syrupis lenientibus, quibus admisceantur ij etiam, qui uim habeant attenuandi, inter hos syrupos erit uiolaceus, rosatus, de Cichorio, ueluti.

R. Syrupi uiolati ℥ i. s.

De Cichorio ℥ s. Cum decoctione Cichorij & Lactucæ fiat syrupus. Euacuetur posteà materia cum tali medicamento.

R. Floris Caßiæ nuper extractæ ℥ i.
Rha barbari electi ℈ iiij.

Misce. Euacuato corpore uesperi post tres horas à cæna, quæ sit leuis, utatur istius electuarij, quantum est nux magna.

R. Sacchari rosati ℥ ij.

Philonij optimi ʒ i. s.
Specierum Diarrhodon
Aromatici rosati ana ℈ *ij. cum syrupo de Papa-uere fiat electuarium: interim lauet caput cum decocto Anethi, Nympheæ, Rosarum, Chamæmeli. Odoret frequenter destillatam aquam Violarum, in qua dissolutum sit aliquid Camphoræ, aut Musci: conciliabunt enim hæc somnum. Item purgato corpore lauet per interualla pedes cum aqua tepida, in qua sint decocta, quæ paulo ante diximus.*

Consult. VII. De quodam iuuene patiente in cute pustulas & scabiem, pruritumq;, & palpitationes sub musculis, ac etiam frequentia & vehementia suspiria.

MVLTA *sunt symptomata in hoc, quæ diligenti indigent consideratione. Vt autem relinquamus præterita accidentia, quæ sanè multa & uaria sunt, ad præsentia tantũmodo cõsideranda deueniamus. in primis æger hic patitur in uniuersa cute pustulas, scabiemq́; admodum malignam, patitur deinde in eadem cute magnum pruritum, et sub musculis palpitationes, postremò uerò patitur suspiria uehementia & frequentia. Hæc sunt accidentia, de quibus noster ægrotus conqueritur. Vt autem curetur, cognoscendæ in primis horum accidentium causæ, à quibus dependent. Hæ autẽ sunt & morbi, & quæ ueræ causæ appellantur. Causæ sunt mala in uiuendi ratione cura, atque in omnibus sex rebus non naturalibus peccatum, adhæc efficax causa horum accidentium est exhibitio illius argenti uiui per os, & ex-*

terius applicatio, à quo totum corpus refrigeratũ fuit, debilitateq; affectum: causæ uerò horum symptomatũ magis proximæ sunt & natiua hepatis caliditas (quæ per cutis colorem, pilos & amplitudinem uenarum declaratur) & acres, multi, adusti, malígniq; humores, Morbi uerò est affectio ipsa Gallica, et hepatis intemperies peßima affecta qualitate. His declaratis facilè est inuenire causam horum symptomatum: quantũ enim ad palpitationes attinet, harum causa est uapor in cauitatibus musculorum contẽtus. Cùm enim propter causas prædictas membra omnia sint debilitate affecta, non possunt bene digerere propter caloris debilitatem, & per consequens remanet materia in illis cauitatibus nõ consumpta & uaporosa, à qua fiunt palpitationes, ab eadem causa fiunt & pruritus & scabies illa maligna. Cùm enim propter hepatis caliditatem & affectionem Gallicam multi adusti, malígniq; humores generẽtur propulsi ad cutem, & pruritum, et scabiem illam malignam efficiunt. illorũ uerò suspiriorum caussa est, multi uapores contenti in ipso corde propter causas prædictas, & neceßitas cordis euentandi, & refrigerandi: Cùm enim multi uapores opprimãt calorem naturalem, constringitur cor, & expellit eos uapores, & sic sequitur suspirium, si uerò dilatetur, ut refrigeretur in hac dilatatione, si magna neceßitas sit, fiunt suspiria: unde suspirium nil aliud est nisi inspiratio et expiratio aëris uaporumq́; propter caussas antedictas, & quandoq; fit tantùm una pars suspirij uel altera, prout cor maiori uel refrigeratione uel expulsione uaporum eget: & quandoq; fit suspirium cum uoce, idq́; ut meliùs expel-

suspiriu[illegible]

lantur uapores. poteſt etiam in cauſſa eſſe iſtius ſuſpirij animi affectus. Hæ ſunt cauſæ ipſorum ſymptomatum, reſtat ut prognoſticum & curationem dicamus. Si uolumus rectè prognoſticare, duo ſunt à nobis animaduertenda, morbus.s. & corpus ægrotantis. Morbus hic eſt malignus & longus, corpus autem ægrotantis eſt admodum uegetum, operationes enim habet omnes ſanas, quare ego confido fore, ut hic ægrotus ſanitati reſtituatur. Quantum ad curam, ut rectè inſtituatur, cognoſcendi à nobis & euacuandi ſunt humores. Ii autem in hoc corpore duo ſunt, pituita, et melancholia aduſta, ſemper enim cum hepate calido. et affectu Gallico generatur maxima copia pituitæ, idq; quia in hepate calido generantur plurimi uapores, et humores aduſti, qui per uenas & corpus diffuſi debilitate afficiunt calorem naturalem, & illum opprimunt, unde debilitato calore naturali corporis & uentriculi maxima pituitæ copia generatur, et nunquàm ferme aliter contingit. Vnde in curando eſt concoquenda pituita, deinde bis & ter exquiſitè purganda, idq; tum quod facilius educetur melancholia aduſta, poſteà tum quod aliter fieri non poterit. Si enim exhibeatur medicamentum bilem nigrã & pituitam euacuans, opus erit, ut ſit forte, quia melancholia eſt craſſa, terreſtris & uiſcida, ita etiam licet minus eſt pituita, medicamentum autẽ tam forte non poterit ferre ægrotus. Quòd ſi leue ſit medicamentum, neq; pituitam, neq; bilem educet: quare prius eſt exquiſitè purganda pituita, deinde ad cõcoctionem bilis atræ eſt deueniendum, quod fiet cum balneo aquæ dulcis, in qua Althea, & folia Lilij albi ſint decocta. Ab hoc enim

balneo

balneo & fiet coctio, cùm sit calidum & humidum, & præparatio cùm sit cõtrarium humori peccanti, & resolutio. Deinde *bonum erit, ut per quinq; aut sex dies sumat in balneo decoctum ex floribus* Boraginis, Fumiterræ, Buglossæ: *ex hoc enim decocto concoquetur maximè natura illa melancholica adusta.* Deinde *exhibeantur nostri illi syrupi magistrales cum* Elleboro, *purgantes hanc melancholiam. Purgato corpore ab his duobus humoribus, tunc est deueniendum ad exhibitionẽ decocti ligni* Indi, *atque hoc decoctum potiùs cum decoctione* Boraginis et Violarum *est exhibendum, quàm cum aqua fontis, neque ob id timendum est, ne forma ligni & uirtus amittatur, quin imò credendum est magis roborari, ut quotidiana patet experientia.*

Consult. VIII. An fœtus quinq; mensium cum dimidio, posſit viuere.

CASSANVS. *Vitales mẽses sunt septimus, nonus, decimus, undecimus, et in hac sententia est* Hipp. *in libro de septimestri fœtu, &* Aristoteles *in vij. de historia animalium, atque ita intelligitur quòd in ijs mensibus fœtus uitales sunt, id est uiuere poterunt per totum decursum uitæ humanæ, in reliquis non sunt uitales, id est per totum spatium uitæ uiuere non poterunt, licet per aliquot dies posſint, ut testatur* Aristoteles *in septimo libro de historia animalium, inquiens: septimo natos mense uiuere, atq; adolescere posse, quasi dicat eos, qui nascuntur ante hunc mensem uiuere quidem posse, sed non adolescere.* Quòd autẽ *septimus, nonus, decimus, undecimus mensis uitales sint, id uidetur sumi à luna, ut in diebus*

decretorijs ſeptimus nonus, decimus & undecimus decernunt, licet cùm aliqua inter eos differentia, non ſextus aut octauus, ita in menſibus euenit, uiuunt autẽ per plures, aut pauciores dies intra ſeptimum nati, prout meliorem aut peiorem habent conſtitutionem. Decimus *autem menſis ſi uitalis eſt, non puto eſſe intelligendũ de toto menſe: quandoq; enim propter abundantiam naturæ, uel qualitatem non poteſt fœtus perduci ad perfectionem in nono, & ducitur in decimo.* Hoc etiam *notandum eſt, quòd ſi prædictus menſis undecimus, dicitur uitalis, id quidem in principio, non autem in medio, aut fine menſis eſt intelligendum.*

Conſult. IX. Pro ſene octuagenario, qui paſſus eſt apoplexiam & paralyſim, nunc verò patitur deſtillationem a capite ad diuerſas partes, deinde patitur febrem.

AVDIVI *clariſſ.* Doctor E.T. *ita exacte determinaſſe caſum circa eſſentiam & cauſas, ut non opus eſſet ut accederem, quoniam omnia rectè conſulta ſunt.* Vt *autem officio meo fungar, non diſcedendo à dictis* E. T. *quoniã bene dicta ſunt, primum, quod eſt, conſiderandũ, eſt, natura morbi, et ſubiecti. Subiectũ autẽ eſt in ultimo ſenio conſtitutum, quæ quidem ſenectus eſt peßimus morbus, et comparando morbum hunc ad ſenectutem, longè maior eſt morbus ſenectus, quàm morbus quo affligitur. Habemus igitur ætatẽ in ultimo ſenio, et corpus quoad radicem ualidum.* Quod *ſi comparetur alijs decrepitis robuſtum eſt, abſolutè tamen non eſt robuſtum.* Nos *autem indigemus robore abſolutè, nõ ſecundum comparationem*

tionem

tionem ad aliud. Habemus igitur imbecillum corpus, nec est considerandа temperies elapsa sed præsens, quoad præternaturales dispositiones. Non omittam proximè elapsa: apoplexiam & paralysim leuem passus est, quæ quantum adferant incõmodi in omni corpore argumento esse potest apoplexia, quæ ita prosternit uires cerebri, & calorem innatum, & uires cordis propter consensum cordis cum cerebro, ut uideamus iuuenes, cum in apoplexiam inciderint, nunquàm restitui, quantò magis senes, si inciderint: uel non euadent, uel rarò, semper tamen percipient tale nocumentũ. Considerandũ est igitur hoc symptoma, licet non curemus: admonet tamen esse ægrum deteriorem, nunc uerò patitur duas dispositiones, destillationem. s. à capite ad diuersas partes, quæ quidem occupat fauces, & uidetur branchos, & aliam partem occupat & dicitur rheuma, ad ischiam etiã, & crus in genu usque ad talum descendit, et ibi facit tumorem in præsentia œdematicum: et adeò copiosa est hæc destillatio, ut nunc perseueret cum tußi, quæ non est sufficiens ad excernendum catarrhum crassum. Alia dispositio est ipsa febris, quæ iam mensis est, ex quo incepit affligere, et ita affligit, ut nunquàm sit sine febre ferè. Hic tamen mos erat huius febris, ut alternis diebus magis inuaderet. Quoad febrem, quæ primo consideranda est, et primo etiam curanda, fortasse si consideremus exeuntia quæ maximè indicant naturam febris, et præcipuè urinam quæ indicat febres putridas, & si minerã putredinis habeat extra uenas, quia humor ille qui putrescit extra uenas, est ille, qui effunditur extra, ideò urina indicat humorem putrescentem. Cùm ergò urinas

rubeas,

rubeas, & crassiusculas, quæ tales perseuerant, habeat, super humorem peccantem attestantur, ut cùm sint in humano corpore duo humores rubei, sanguis et cholera ξανθή à Græcis appellata, à Latinis rubea: igitur cùm non uideamus sanguinem in hoc corpore abundare, & signa sanguinis apparere, non est sanguis absque dubio qui peccat, tum etiam quia sanguis putrescens non facit periodos, relinquitur igitur quòd sit bilis, quæ putrescit in aliqua minera putredinis, de qua nondum constat. Habemus igitur hîc febrem à putredine humoris biliosi, habemus præterea egestiones biliosas, ita ut hæc duo arguant bilem putrescere, & quia inuadit sine typo cum calore segni & leni, sine siti, sine capitis dolore & sine sudore, credendum est, quòd sit mixta cum pituita, & sit ex genere bilis quæ dicitur maioris famæ, & hoc uerisimile est, cùm abundauerit tanta copia pituitæ, et maximè cùm corpus sit frigidum, & siccum. Hæc enim temperatura, ut dicit Galenus in secundo de temperaturis maximam pituitæ copiam generat. Bene uerum est, quòd si caliditas & siccitas temperaturæ excederent, redundarent bilis: nam, quandiu remanet uestigium caliditatis, bilis abundat, in processu uerò cùm sit corpus frigidum & siccum, abundat pituita, nec uerum est, quod dixit olim Cassanus, quod generet talis temperatura humorem frigidum & siccum, quia talis humor generatur à caliditate ulteriùs adurēte. Cùm ergò uir iste frigidus et siccus sit, ratione ætatis credi debet, quòd sit in eo pituita multa bile mixta. Febris ergò ut ex motu eius & exeuntibus apparet, est febris, quæ à cholera uitellina crassa, mixta cum pituita multa fit,

ideò

ideò longa eſt:talis ergò eſt cauſa, & mos febris. Vbi uerò, et quomodo putreſcat eſt uidendum: omnis bilis generatur in hepate, ſed quomodo generetur in iſto uiro, adduxit multas cauſas E. T. ex uictu dulci, qui bilem generat, & prætereà potuit eſſe cauſa, quòd factæ ſint in hepate obſtructiones à catarrho, & cum in uenis Meſaraicis factæ ſint obſtructiones, id facit magis ad calorem hepatis augendum, et calefaciendum, quia cùm ſanguis retinetur, facit multiplicare bilem, quæ cùm per uenas deferatur, quia uenæ omnes non ſunt obſtructæ, ſed plures (atque ob id calor non euentatur, ſanguiſq; incaleſcit) partim per renes, partim per porum felleum ad inteſtina defertur, et ideò per ſeceſſum & urinam plurimam bilem emanantem uidemus. Minera ergo putredinis eſt, quia uenæ ſunt plenæ bile & pituita, & putreſcit pars in uenis, pars extra, quòd putredo uaria ſit, et modò in uenis, modò extra uenas ſit, quia natura poteſt tranſmittere materiam extra uenas abſq; typo, ut in primo ad Glauconem dicit Galenus, & non fit rigor in tertiana, niſi propter multitudinem materiæ ſubitò occurrentis ad loca ſenſibilia, et ob ſenſibilitatē multam. Cùm igitur priuetur multa bile ſincera, et membra ſint ſicca ſine ſenſibilitate, ideò poteſt putreſcere extra uenas, et intra etiam, ſed quicquid ſit, ſiue in uenis, ſiue extra uenas natura putreſcat, hæc cholera eſt craſſa mixta cum pituita multa. Hæc quantum ſit de ratione febris factæ ex obſtructione, quæ ſi aperiatur, tranſpirare poterit corpus, et bilis non generabitur, quia remota prohibitione tranſpirationis, omnia probè ſuccedent. Circa catarrhum uerò dicendum, quia ſenes

habent

habent catarrhum congenitum, & cùm à catarrho occupantur, dicit Hippoc.*branchi & catarrhi in senibus raró maturantur. dicit* Hippoc.*raró*, Galenus *ueró in cõmentario dicit nũquam tales catarrhos in senibus maturari: addidit rationẽ, quia sunt ipsis congeniti, quia cerebrum cùm non poßit concoquere alimentum, & uapores eleuentur, ideó tum ratione proprij alimenti, tum ratione uaporum, tum utriusq; nõ euadunt ab his senes, & ideó catarrhi sunt senibus congeniti. Prætereà cùm uapores sint multi in corpore senum, propter imperfectionem concoctionum, plurimi etiam ascendunt, & cùm non poßint expelli, multiplicantur catarrhi, maximé autem multiplicantur in illis, qui caliditatẽ habuêre in iuuentute ualidam. ubi enim perfecta frigiditas est ut in sene, qui fuit frigidus, non fit in eo multa euaporatio, ideó nec multitudo catarrhi, & non nisi per alimentum cerebri.* Corpus *autem fuit calidum in iuuentute, ut apparet ex toto ambitu, & nunc etiam hepar calidum est: ideó fit multa euaporatio ad caput, atque ob id catarrhi multiplicantur.* Multiplicatio *autem catarrhi ratione cerebri tolli non potest, quia non potest fieri, quia cerebrum sit frigidius seipso, ideó non possumus catarrhũ curare.* Possumus *quidem facere ne cito moriatur.* Cùm *igitur hæc duo ita se habeant in hoc corpore, quid esset dicendum, & quid faciendum? de his quæ possunt contingere, aliquid dicẽdum. quod ad catarrhũ attinet, non curabitur perfecté.* Quod *ad febrẽ, poterit, sed cum difficultate.* Ratio *est, quia hæc febris non est nisi à forti causa, & non habet uirtutem, quæ adiuuet medicamenta, quia* Medicus *naturæ minister,*

natura

natura uerò operatrix: non igitur facile curabitur. De faciendis est primò uidendum, cui primo sit occurrendum. Dico quod intentio circa febrem est dirigenda, non neglecto catarrho, quia febris periculosior est, quia dißimilis naturæ senis: catarrhus autem familiaris. neque ea febris dependet à catarrho, nisi quia facit obstructionem, & bilis multiplicatur, quæ miscetur cum pituita: ideo obstructiones sunt tollendæ, sed quia ab humoribus pendent, tollendi sunt: & prouidendum est, ut obstructiones hepatis aperiantur. & quia materia crassa est, quæ euacuari debet, attenuantibus indigemus, deinde educentibus humores crassos in uenis existentes, & sic uera indicatio ab humoribus sumitur. alia à uirtute, quæ cùm sit in corpore senili, non possumus facere, quæ morbo conueniunt. Primo igitur Manna esse exhibendum. E.T. consuluit. Sed diceret aliquis, tu euacuabis subtiles humores, hic autem craßi peccant, ideò non euacuabis humores peccantes. dicit enim Hippocr. sit alia purgentur, qualia oportet, confert, &c. cùm ergo non purgetur humor, qui conuenit, non iuuabit. Dico, ꝙ & si tenues humores euacuet Manna, non debemus abstinere ab eo, quia ab humoribus præparatis debemus incipere, qui sunt in uenis Mesaraicis, ideò tutißimè conuenit, & quia proderit etiam catarrho cũ febri non sit occurrendum, neglecto catarrho, ideò conuenit. nõ tamen dico, quod Manna penitus saluabit, sed quod erit principium operationum, quia uidi ego sæpe, quòd Manna, licet tenues humores euacuet, aperit obstructiones: & facta præparatione, uidi crisim fieri, & post quatuor dies sanitatem fuisse sequutam: ideò inciperem

perem à Manna, tanquam à re tutißima, & darem id uesperi: imò fœliciùs operantur, ut est mos Romæ, ut libentius dent in nocte, & experiuntur fœliciter operari, sed ante cibum statim. Et exhiberem ℥ i. s. uel ij. postea deuenirem ad alia, nisi natura adiuuaret nos: altera die nec brodium, nec syrupum darem, quia nollem, ut brodium medicinam lauaret, nec syrupus distribueret humores, quos uolo euacuare, altera die quæ tertia erit,, darem syrupum, qui haberet uim abstergendi & mundificandi. Propositum est oxymel, à quo non recederem, sed uellem ut esset magis acetosum, & præparetur cum sua acetositate: id enim quod habent Apothecarij dulce est. Non derelinquerem mel rosaceum ratione stomachi, quia membra senum sicca sunt sine pinguedine, & intestina non habent pinguedinem, unde possemus uenire ad excoriationem, uellemque ut esset subamarum, quia multùm refert habere optima medicamenta. Postea facerem decoctum accipiendo aquã Endiuiæ uel Capill. Ven. nec erit dimittenda Farfara propter excellentiam, quam habet ad tußim, ideò uellem, ut haberemus tres has aquas ad pondus librarum singularum, & decoquerem in ipsis aliquid Anisorum, ut earum frigiditas corrigeretur, quoniam omnes aquæ destillatæ frigidæ sunt, ut etiam aqua destillata à Calamẽtho calidißimo, quod stimulat linguam ut Piper, frigefaciat. Et uidi inflammatos homines propter potum ligni Indi ab aqua Calamenthi infrigidari summopere. Quia igitur in aqua Endiuiæ est frigiditas, aqua Capill. Veneris ad tẽperamentũ accedit, uellẽ miscere Anisorũ aliquid, ut oppilationes aperiantur, et corrigatur frigiditas,

giditas, & fiat decoctio, ita ut duæ libræ aquarum remaneant ex tribus; & exhibeantur huius decocti ℥ iiij. mellis uiolati ℥ i. oxymellis. s. ℥ s. Cum autem dati erunt quinque, aut ſeptem ſyrupi, ſi uiderem coctionem, replicarem medicamentum, & conſtante uirtute cum Mãna uel infuſione Rhabarbari, uel ſyrupo roſato ſolutiuo euacuarem, nec accederem ad Agaricum, quia laborioſe ſoluit, & nauſeam facit, nec recederem à benedictis, ne haberem uirtutis defectum. Oportet igitur ipſam ſuſtinere, & cùm deuenerimus ad infuſionem Rhabarbari, & ad ſyrupum roſaceum ſolutiuum, ſufficient nobis. Si poſtea ſymptoma catarrhus urgeret, cum linimentis procederem. & ego maxime confido in uno à methodo Galeni ſumpto. Vellem uti acciperemus adipem anſerinum, quia maximè penetrat, & licet antiqua expoſitio laudibus extollat arietinum, id perperã dicitur, quia textus Græcus habet anſerinum. Et cum modico Croci & oleo Amygdalarum dulcium conficerem linimentum, iuuabit enim ad concoquendas materias craſſas. Nunc autem maſticatoria non conuenirent, ſed facta euacuatione caputpurgia per nares conueniẽt ad euacuandum catarrhum, et ſi per ſpatium leue facere uellemus poſſumus. Quare ſi uellet maſticare radicem Capparum uel Maſtichen laudo, corroborat enim, nec facit uiolentiam in attractione ad fauces. Victus ſit talis. Pro potu, ſit uinum pauciferum. Quoad cibum, iuſculis ex hordeo optimò cocto, & Farre cum lacte Amygdalarum utatur, & accipiat oua ſorbilia, quia in tertianis oua Galenus iuuenibus exhibebat. Vtatur etiam aliqua frictione. Quo ad uerò excoriationem, non laboret

boret super nates, quia longitudo decubitus faceret deuenire ad gangrænam & ischiadem: ideò petiæ lineæ subtilißimæ in oleo de Cerussa madefactæ, loco ponantur, uel cum carie lignorum Salicis, & modico olei rosati, uel puluis ille ficus conueniret, uel de Lithargirio simplex unguentum. Vellem ut super re molli sederet, & cum subtilißimis petijs, ne aliquid asperum inuaderet ipsum. Quoad œdema, non esset malum, si aqua salsa marina acciperetur, et germina Ebulorum coquerentur in ea: & fierent lotiones, & petiæ lineæ magnæ infusæ essent, facerent enim ad resolutionem, nec reprimerent, & corroborarent membrum, nec materia illa diutiùs permaneret distruens calorem innatum.

Consult. x. Pro quodam patiente hæc: Primò tristatur & timet, quæ non sunt timenda, secundò in maciem deuenit. tertiò adest cordis tremor singulis diebus in fine coctionis. quartò ante prandium, & cœnam adest erosio ventriculi.

TRISTATVR iste uir sine causa, timet quæ non sunt timēda, et non lætatur. Hoc est primum symptoma, quo affici maxime cōsueuit. ē aliud, qđ quotidie in maciē deuenit, et maximè in hoc anno uidet se aridiorē factū. tertiò conqueritur, quòd hoc anno correptus sit à quodam cordis tremore, quo frequentiùs solebat corripi: dixit etiam singulis diebus circa finem concoctionis ante prādium & cœnam erosionem uentriculi pati, ita ut debilitetur, & quærat subito cibum, & in famem incurrat, in qua irritatur. Assumpto autē cibo nil sentire dixit. Hæc sunt

sunt symptomata, quibus affligitur hic uir. Hæc sympto mata cùm sint præter naturam sunt tollenda, & inueniendæ causæ, quia sine his non possumus modum curandi, & præseruandi inuenire. Incipiamus à timore & tristitia præter naturam, quam melancholiam appellãt. Causæ horum accidentium sunt, quia timor iste prouenit, quòd corrupta sint imaginatiua, et cogitatiua, quia cogitat quæ non sunt cogitanda. Imaginatio aũt & cogitatiua sunt operationes uirtutis animalis in cerebro apparentes secundum Medicos: est igitur affectus iste cerebri actio corrupta operationum intrinsecarum animalium cerebri; causa potest esse dispositio in cerebro præter naturam, uel in toto ambitu corporis, uel in parte aliqua. In cerebro non potest principaliter esse, quia habemus signa manifesta, habet enim manifesta interualla, & perseuerat plurimis diebus sine ipso affectu: si enim haberet affectum in cerebro essentialiter, perpetuum haberet timorem, non est igitur in cerebro essentialiter, sed per consensum. Consensus autem iste præcipuè & per se talis metus sine causa à uaporibus melancholicis, & ab humoribus melancholicis prouenit, ut dicit Galenus in tertio libro de locis affectis. Non possumus dicere, quod sit in ambitu uenarum, & totius corporis per se, quia non consequuntur accidentia, quæ solent consequi, ubi humor melancholicus fuerit in uenis, ratione cuius uapor ascendit, & fiunt symptomata melancholica. Cùm non sit in his duobus locis, quærendus est alius locus: & quia metus sine causa per se non fit, nisi ab humore melancholico, uidendum est cum illa duo non sint, quid sit in caussa huius metus. Galenus loco citato

 posuit

posuit aliam speciem melancholiæ, quàm Hypochondriacam appellauit, ratione membrorum naturalium, & posuit eam (ex Diocle) ex feruore sanguinis existentis in uenis Mesaraicis inter hepar et uentriculum caussatam. Cùm ergo non sit in cerebro, uideamus num sit in ambitu totius, uel in uenis illis Mesaraicis. Quòd potiùs sit imaginatio ista, et tristitia præter naturam ratione affectus hypochondriaci per signa propria probatur et pathognomonica. Primò uidemus affectum hunc periodicare, sed hoc signum sit commune. Præterea patitur tremorem cordis. Notum autem est, quam communicantiam habeat cor cum uentriculo. Imò tremor ille appellatur morsus cordis, et cardiacus affectus, et nesciebant distinguere antiqui an cordis, uel uentriculi affectus esset. Ego credo, quòd potius ratione uĕtriculi fiat, quoniam uir hic habet cor ualidißimæ caliditatis, & sic citatis resistens nocumentis, imò tremorem non patitur in corde ratione suæ imbecillitatis, sed ratione uentriculi, ergò propter uapores ascendentes à uenis Mesaraicis fit mordicatio, & apparet circa finem concoctionis, eamq; percipit talem, ut deficere uideatur, nisi cibum assumat, & hoc est ratione humoris acidi mordicātis, quæ mordicatio facit, ut incidat in talem defectum, ex quo quiescit cibo assumpto. Ad hæc, propter priuationem reliquorum signorum, quòd affectus iste non sit ratione sanguinis adusti in uenis, apparet, quia non uideo nigredinem in corpore, ut poßim id affirmare, quia carnes sunt optimi coloris, & adijcit Galenus sexto libro de tuenda sanitate, humorum dominium ex corporis colore indicari, nisi in profundo latuerint humores. Si ergò

gò in uenis illum haberet humorem, ab eo nutriretur, & color carnis similis esset humori illi. Cùm igitur non uideam uestigium melancholici humoris, quia illi qui habent talem humorem in uenis nutriuntur ab illo, efficiunturq; admodum nigri: ex alia parte cùm uideam signa attestantia affectum hypochondriacum, ideò non dubitaui, quòd paßio hæc sit ratione affectus hypochondriaci. Sed quoniam hanc ægritudinẽ non possumus curare, nisi uideamus eius naturam, & quomodo consequuntur accidentia alia: dico igitur omnia symptomata dependere ab hoc affectu: &, si remouebitur hic affectus, tolletur tremor, qui fit ratione uaporum, qui ab eo loco eleuantur. Ad hæc arefactio totius corporis pendet ab eadem causa, & natura ægritudinis huius hoc indicat, quia dicit Galenus, quando humores crudi in uentriculo generantur, hepar autem trahit eos humores crudos à uenis Mesaraicis, et quia fortior fit attractio propter ualidam hepatis caliditatem, & humor tenuis facilè ebullit, ideò fit inflammatio, et ea maximè accidit, ubi hepar est calidum, & uentriculus frigidus. Et cùm hic uir sit temperaturæ calidæ, & habeat calorem in hepate cum uentriculi frigiditate, quæ licet naturalis non sit, est tamen acquisita, tum quia lætatur calefactione uentriculi, tum etiam quia dicit deteriùs se habere in hyeme, quàm in æstate. Et licet dixerit Hippocrates, uentres sunt natura calidi, dixit propter Antiperistasin, quia frigiditas aëris occurrens unit caliditatem interiùs, atque ideò calidi sunt. In senibus autem frigiditas occurrens penetrat ad uentriculum, quia non fit in illis antiperistasis cùm sint pauci caloris: ideò

peiùs se habent in hyeme, ut animalia frigida. In æstate autem cùm calor aëris corrigat frigiditatem, ideò meliùs se habēt. Præterea abundant flatibus, pituita crassa, rugitu: hæc sunt signa frigiditatis. Stante igitur hepatis caliditate, & uentriculi frigiditate, tarda fit concoctio, abundant cruditates, hepar calidum trahit multum cibum crudum continuò, & dum in illis uenis Mesaraicis fit redundantia talis humoris crudi, exhalatio fit deterior, quia obstruuntur uenæ huiusmodi. Et quia fit maior hepatis caliditas propter obstructionem illam, & cùm non possit fieri transpiratio, cōtingit quod ex maxima hepatis caliditate naturali, & aduentitia, ex obstructionibus sanguis multiplicatur crassus et adustus ex nimia caliditate: & sanguis ille redundat ad uenas, & ambitum uenarum, redundat dico per accidens, quia non est principalis ægritudo in uenis, sed per consensum à primò affectu, quia adustio fit in hepate ratione maximi caloris ipsius, & hinc pendent omnia. Est ergò sanguis adustus in ambitu totius, qui cùm non sit simplex, & uerus, sed mixtus multis crudis humoribus, ideò corpus non bene nutritur, et licet sanguis multus sit in uenis, non nutritur, quia non est gratus naturæ, & ideò macrescit. Et licet sumat cibum, non facit ad ueram nutritionem. Et hæc est causa tertij symptomatis propter cruditatē, et putredinem humorum tenuiū, qui transeunt in aciditatem, & ideò isti euomunt acida. Non nutritur ergò, quia nec hepar nec uentriculus generat laudabiles humores: causæ uerò cur debilitatem ante cibum sentiat, duæ sunt, quia cùm male fiunt coctiones & digestiones membra redduntur auara: ideò uenæ trahunt

trahunt ab hepate, hepar à uenis Meſaraicis, Meſaraicæ à uentriculo. Facta ultima coctione, nõ percipit uentriculus mordicationem. Debilitatur, quia indiget multo nutrimento: tum ètiam propter humores acres, ſumpto cibo obtunditur acrimonia, hepar inuenit quod attrahat, & uenæ, & tunc ceſſat ſymptoma. Hæc ſunt ſymptomata & cauſæ ſymptomatum ſcilicet, quòd pendent ab affectu hypochondriaco. Cur autem habeat interualla per duos annos, id eſt, quia cùm nõ ſit per eſſentiam in capite, ſed ratione obſtructionis & humoris ferueſcentis in uenis Meſaraicis, ideò habet interualla, & ſi leuabitur obſtructio ab euacuantibus, et uictu debito liberabitur, ſi uerò multiplicat, id eſt uel ab aëre, uel à cibo, aut ab alia cauſa extrinſeca uel ab humore corporeo. Nõ fuit autẽ mirum ſi hoc anno facta ſit multiplicatio, quia dicit Hippoc. tertio epidemiarum, aër nubiloſus & humidus, ſpiritus exiſtens in ambitu totius & ſanguis ab aëre nubiloſo craſſeſcit, & non fiunt debitæ tranſpirationes, multiplicantur humores, fiunt malæ concoctiones, caliditas obtunditur, fiunt obſtructiones, et ſymptomata dicta, unde humor melancholicus nõ per ſe genitus, ſed per accidens multiplicatus eſt, propter. s. feruorẽ hepatis adurentis propter obſtructionẽ, quæ facit inflammationẽ in uenis, et ſanguis ſeipſo calidior factus eſt: affectus aũt nõ eſt per ſe ab humore melancholico, ſed à phlegmatico frigido ebulliente circa illas partes, unde à Medicis cura uariatur. Alij enim ad calida recurrunt & nocent hepati: alij ad frigida, & nocent ſtomacho. Vnde fit, ut, cùm unum ſanetur, alterum læſum remaneat. Cùm igitur humor phlegma-

ticus frigidus ſit cauſa huius affectus, & non humor calidus, frigiditate non indiget, ſed eget apertione obſtructionum: ideò Galenus tertio de locis affectis, contra Dioclem diſputans, cùm de inflammatione uenarum Meſaraicarum loqueretur, dixit Dioclem nō aſsignaſſe rationem, cur ex aſcenſu uaporum fiant triſtes imaginationes, et humor melancholicus non ſit redundans, ac ſi eſſet alienum, quòd fieret affectus melancholicus ab humore non melancholico: ideò Galenus loco dicto poſuit diſtinctionem, quòd alia ſit melancholiæ ſpecies, cùm uapores eleuantur ab humore craſſo frigido, qui ſpiritus obtenebrant, et illæ tenebræ ſunt cauſa, quòd timeant, cùm ſpiritus non habeant claros, timent, ac ſi uiderent tenebras, quia nati ſumus, ut uiuamus in luce, ex ſpiritu animali.s.qui lucidus eſt. Qui ergò fuerint tenebroſi ex melancholia uera, patiuntur melancholiam, qui autem ex uaporibus ab humore pituitoſo, in hypochondriacam paſsionem incurrunt propter obſtructionem uenarum Meſaraicarū. Ego nullum aliud præſagium proponam, niſi quod à Galeno propoſitum eſt, qui loquens ex Diocle, dixit: quòd à quacunq; cauſa proueniat hypochondriaca paſsio, prorogatur in pluribus, et non curatur, niſi ſumus diligentes, & in multis annis. Quantum ad curationem attinet, cùm hic duo ſint humores multiplicati præter naturam, in ambitu totius, tàm ratione uentriculi, quàm hepatis, ut ex urina apparet, quòd coloratior eſt, quia feruor eſt in toto, & exceſſus maior, quàm ſit opus, & obſtructio adeſt: ideò ad ueram curationem, primò cacochymia, quæ eſt in toto, remouenda eſt, quia non curabitur obſtructio hepatis,

patis, neque eius temperatura neque uentriculi redigetur in melius, si sinamus hos humores. Ideò primo corpus est euacuandum, & hæc est prima indicatio curandi: circa euacuationem, sanguinis mißio, & pharmacia proposita est. Vtrunq; conuenit, quia sanguis malus multiplicatus debet euacuari, ut natura rectificato hepate, faciat sanguinem meliorem. Sed non debemus incipere à sanguinis mißione, nisi lenitiuum sit exhibitum. Et accederem ad sectionẽ uenæ basilicæ, ut fieret euentatio, & refrigeratio hepatis. Si basilica non inueniatur, media secetur, ex Hipp. & Galeni sententia, secundo regiminis acutorum: sola autem media secatur, cùm affectus est in cerebro, ita ut ab utraq; parte euacuetur. Facta sanguinis mißione, non omitterem euacuationem per pharmacum, sed concocta sunt medicanda. Ideò cùm obstructio sit in Mesaraicis, debet aperiri, ut melior fiat attractio: ideò syrupi abstergentes & aperientes conueniunt. Et quia humores frigidi & calidi uigent, ideò incidentes syrupi conueniunt, qui non calafaciant & infrigident, ut acetosi. & quàmuis acetosi non conueniant melancholiæ, mixti tamen cum syrupo de pomis, qui calidus & humidus est, humores adustos reducent ad temperamentum, & non fiet læsio. Ex acetoso incisionem habebimus, & cum melle rosato præparabimus ad abstergendum. Decocta autem sumantur ex Boragine, Buglossa, capillis Veneris. Pro euacuatione, confectio Hamech, Sena, Polypodium, Epithymus, quæ euacuant humores melancholicos, & corroborat illud electuarium, quia in eo ingrediuntur omnes Myrobalani. Et forte est securius medicamentum, quàm

Diaphænicon, & addere possum syrupum rosatum solutiuum ad confortandum cor, & hepar, quia facit solutionem aliarum medicinarum meliorem. An uerò hæmorrhoides essent prouocandæ? Certè fluor sanguinis circa uenas Mesaraicas existens, ita calefacit hepar, ut posteà melancholia multiplicetur. Prouocarem autē, sed in uere cum sanguisugis, quæ aperiunt uenas, ex qua apertione fluit sanguis. Balnea laudo aquarum dulcium, corpus enim humectant, concoctionem adiuuant, caliditatem hepatis contemperant, & corroborant corpus, ideò pararem tinam in domo, & ibi permanerem usq; ad guttur, & post balneum inungerem corpus cum oleo de rosis. Balnea non fiant, nisi factis euacuationibus, & aptis præseruationibus ad præseruandum. Patauina balnea nō conueniunt, sunt calida enim & sicca, & nisi timerem uentriculum, laudarē Calderiana, quia aperiunt obstructiones, prouocant urinā. Pro conseruatione sanitatis, & tollendis obstructionibus, ex membris naturalibus, laudarem, ut uteretur saccharo rosato cum puluere Rha barbari, quia ex hoc semper aliquid educetur. In æstate uerò omisso saccharo ℥ vi. uel v. Caßiæ eligerem cum ℥ s. Rha barbari. Propter dies æstiuos, miscerem cum saccharo rosato confectionem Dianthos, & species Diamusci dulcis, & Diacinnamomum, uerum optimum esse debet.

Consult.

Consult. XI. Pro quodam, patiente tensionem in hypochondrio dextro circa costas mendosas, & tensionem in toto ventre inferiori, & dolorem, qui incipit à spina, & extendit se ad vtrunq; renem: egestiones habet liquidas, & interdum veluti loturas carnis.

SYMPTOMATA *huius præclariss. uiri sunt hæc. Primum est tensio hypochondrij dextri circa costas mendosas, in regione uentriculi cum dolore, ut uix sentiatur tensio, cùm comprimimus leuiter, si uerò satis cõprimatur, percipitur. Secundum est tensio in toto uentre inferiori. Adhæc dolor est, qui incipit à spina, & extendit se ad utrunq; renem: egestiones etiam liquidæ sunt, & quãdoq; ueluti loturas carnis egerit. Vrinas tenues, & uarias habet, aliquando fuluas, aliquando albescentes. Interdum nauseam patitur cum deiectione à appetitus. Sed prima symptomata sunt tensio hypochondrij dextri cum dolore dorsi, qui ad utrunq; renem extenditur. Habet etiam in toto corpore dispositionem ad cachexiam, est enim emaciatus, habet tamen carnẽ subtumidam. Oportet primum considerare locum affectũ, an sit unus uel plures. Secundò tumorem, & dolorem hypochondrij dextri, inueniemus enim ex his causas symptomatum. Aegritudo, à qua dependent dolor, & tumor, uel est in hepate, uel in uentriculo, uel in musculis exterioribus, sed cùm actio læsa non sit in uentriculo, & licet non appetat, concoquit tamen, & contentiua læsa non est: & licet feces sint liquidæ, sunt tamen in substantia & colore concoctæ (quare autem sint li-*

quidæ,

quidæ, posteà dicetur) & si est læsio aliqua in uentriculo uel diminutio operationum, ea est per consensum: cùm igitur non sit in uentriculo is affectus, uel erit in musculis, uel in hepate. Sed non est in musculis, quia dolor est obtusus per compreßionem, et uix percipitur, nisi fortiter comprimatur. Adhæc reliqua signa apparent, quæ affectionem in hepate esse declarant. Erit igitur in hepate, quia dolor & tumor sunt in loco hepatis. Sed quænam sit in hepate ægritudo dubiũ est: est autem ea frigida, id autem indicat totius cutis decoloratio, quia in ea est color plumbeus. Nam cùm hepar non poßit chylum in sanguinem mutare, fit decoloratio, cùm autem superassat, non fit decoloratio, sed ulcera apparent ea in parte, in qua humor decumbit, uel in toto. Adhæc inquit Galenus, octauo medicamentorum, secundum loca, quòd, ubi est temperatura frigida in hepate, alteratrix uirtus afficitur, ita ut liquidæ egestiones appareant, similes carnis loturæ. Cùm igitur non poßit hepar deducere chylum ad rectam sanguinis formam, ideò regurgitat ad intestina, & apparet lotura carnis: nam si esset à temperie calida, non diminueretur chyli attractio, sed potiùs augeretur. Adhæc, per tactum in loco hepatis non apparet caliditas. Quòd si sint egestiones liquidæ, & urinæ fuluæ, huius rei potest esse causa extrinseca, & intrinseca: extrinseca, ut uina potentia, intrinseca, ut obstructiones, ratione quarum calefiunt & corrumpuntur humores. Adhæc harum urinarum potest esse causa caliditas renum, cùm autem ibi sit dolor & tumor ex compreßione, erit præter intemperiem tumor. Tumor autem (ut puto) scirrhus est à pituita

tuita

tuita crassa: id autem apparet per tactum, & esse in con nexo hepatis, tumor autem est in dextra & sinistra parte, quia ex eo sanguine diminuto flatuantur humores, et faciunt tumores. Doloris uerò dorsi, qui extenditur ad renes, puto causam esse sanguinem pituitosum, delatum ad uenam cauam in gibbo hepatis. Cùm enim sanguis defertur ad eum locum calidißimum, ebullit ibi, & facit dolorem, & usque ad renes defertur, quoniam à uena caua deducuntur uenæ usque ad renes. Egerit multam urinam, quia multum bibit. Venenum non puto illi datum esse, nam uenena frigida si sint, si nõ interficiunt uno die, conuertuntur in substantiam corporis, uel uincuntur: si calida, corrodunt, et uomitus sequitur æruginosus, si à tota substantia agunt, statim interficiunt. Causæ illius intemperiei frigidæ sunt causæ extrinsecæ alterantes, & intrinsecæ, ut cruditas humorum, obstructiones, et alia. Indicationes curandi debent esse, ut attenuentur humores, incidantur, tollantur obstructiones: id fiet cum moderatè calidis, & ideò Ptisanam laudo conditam cum modico Piperis uel Cinnamomi. Cùm autẽ in toto corpore adsit cacochymia, antequàm causa coniuncta morbi tollatur, est euacuandũ corpus, primo per secessum, deinde per urinam: mox per sudorem. In euacuando corpus per secessum debemus uitare ualentes medicinas, liquant enim substantiam hepatis, & relaxant uenas, ita ut recipiant superfluitates. Ad hæc, fit attractio ad locum læsum, & ideò Rhabarbarum, Diacatolicon, Manna lenitiuum conueniunt cum modico Agarici, si uellemus, sed præparentur priùs humores cum syrupo acetoso, Oxymelle, melle rosato.

Nota Lucinne.

rosato. Pro prouocanda urina syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro, et de radicibus Byzantinis cōueniūt. Prouocationem sudoris instituerem cum oleis calidis aperientibus, & balneis præparatis cum herbis, quæ habeant uim resoluendi. Balnea Patauina conueniunt, tollent enim intemperiem & scirrhum. Linimentis posteà uterer cum oleo de Spica, de Absinthio. Ad hæc, uellē, ut singulis hebdomadibus uteretur pillulis de Hiera & Rhabarbaro, & per interualla assumeret florem Cassiæ cum Rhabarbaro.

Consult. XII. Pro quodam sene in patiente renum debilitatum.

CVM *mihi narres casum distinctè, & quòd hucusq; non est suspicio calculi, neque principium, sed tantùm renum debilitas, & fortasse etiam dilatatio in proprijs meatibus, & quòd podagra seriùs accesit, multò debilior, ideò pro curatione huiusmodi accidentium scias, quòd tales fructus secum afferunt anni, & membra redduntur debilia, non ob infirmitatem, sed ob naturam, magis & minus, prout hic uel ille à principio genitus fuit debilior, uel fortior, uel prout homo in suis temporibus seipsum magis offendit laborando. Omnia igitur membra in senibus debilia sunt secundum naturam: sed horū nonnulli debilitatem magis patiuntur, propter rationes dictas in capite, sicuti catarrho subiecti, uertiginosi, lippi, surdi, & sæpe etiam insensati. Alij uerò in pectore magis læsi sunt, atque his incurabiles contingunt tusses. Alij uerò maiorem in stomacho læsionem habent, in renibus,*

senū morbi

nibus, in uesica, in iuncturis: atque omnibus his contigunt morbi sui determinati, sicuti uomitus, nausea, calculi, dilatatio renum, difficultas urinæ, podagra, dolor articularis paucique sunt quibus in senectute hæc incommoda non contingãt, licet magis & minus citiùs, aut seriùs: temperaturæ etiam, & complexiones sunt diuersæ. Diuersitas est etiam in uictu, in uiuendi ratione, in cœlo, in cibis, in accidentibus animi, studij, exercitiorũ, atque hinc fit, ut diuersis diuersi morbi eueniant: atque hæc omnia contingunt non propter infirmitatem, sed secundum naturam, quia calor naturalis quotidie fit debilior, & membra fiunt sicciora: Et, cùm calor non poßit concoquere alimentum (ut solebat) necesse est, ut corpus abundet humoribus, nunc quidem crudis, nunc putridis, qui tantò magis abundant, quantò membra debiliora sunt, & sicciora, & licet indigeant multò nutrimento non possunt tamen nisi paucum suscipere, cum ob eorum debilitatem & siccitatem, tum quia alimẽtum non est rectè præparatum à calore naturali. Multiplicatis autem his humoribus, si pauci erunt, expellentur à membris, sed quando singulis diebus multiplicabũtur, remanent in corpore, & ad debiliorem partem expellentur. Atque hinc oriuntur tot morbi senibus, tanquam diuersi, de quibus facit mentionem Hippocrates. Hoc discursu usus sum, eo consilio ne doleas ob morbũ renalem, quia conueniens est ætati, neque speres, ita recuperare sanitatem tuam, ut redeat in eum statum, in quo erat iam ante uigintiquinque annos. sed contentus sis, ut ita prouideatur, quòd morbus non suscipiat incrementum, aut quòd à debilitate renum, ad calculos, aut grauio=

grauiorem infirmitatem non deueniat, quod incontinen tibus accidit, quod de te timendum non est. Dicam igitur in primis, quid agendum pro renum conseruatione. Deinde respondebo tuis quæsitis particularibus, atque in hoc morbo, sicuti in alijs, necessarium est regimen uniuersale & particulare. Voco regimen uniuersale, quod commune est statui sanorum, neque magis uni morbo, quàm alijs appropriatur. Particulare autem uoco illud, quod præter communem obseruationem, habet mensuram determinatam, & respectum ad morbum specialem. De uictu uniuersali nihil dicam, cùm sit omnibus notus. De particulari, debes scire in primis hanc regulam, quòd tàm calor, quàm frigus excedens sint ipsorũ renum inimici. Calor dilatat, & dilatando attribuit ad se plus quàm conuenit, & expellit, id quod esset retinendum, frigus oppositum facit, non attrahendo serum sanguinis, ad quos munus renes sunt destinati, neque expellendo illud (ut par esset) ad uesicam. Vnde est in senibus uidere sæpe duas inter se oppositas paßiones, ex eo, quod diuersè paßi sunt, in frigore aut calore, & in emittendo urinam, parum eius, & cum labore & guttatim, aut copiam humoris coagulati. Vitare igitur hæc extrema debemus. Nimius calor, aut ex eo est, quod nimis laborat, aut quia homo se exponit aëri calido, ut est in æstate, aut in igne: fit etiam hoc à cibis maxime calidis, ut sunt aromata, & uina potentia. Ad hocq; reducitur Venus, quæ in senibus semper superflua est. Et quando dico superfluum laborem, & superfluam aëris caliditatem, intelligo, respectu corporis, debilitatem renum patientis, qui facile à quocunque leui excessu al

terantur

uictus i renum debilitate.

terantur ob debilem in resistendo nirtutem. Nimia renum frigiditas fit à loco, aëre, & cibis frigidis, ut sunt fructus, Cucumeres, Cucurbitæ, Lactuca, Endiuia, Omphacium, sed ante omnia aqua frigida, & uina recentia. Inimici igitur primi renum sunt nimius calor, & nimium frigus, sed non hi soli, sed omnes reliqui excessus sunt contrarij, sed non tantùm, ut sunt diuretica, nimis aperientia, ut Asparagi, Apium, Pastinaca, Petroselinum, Fœniculus, Melopepones, uinum album subtile, & id genus alia, & maximè à cibo: nam præterquam quòd aperiunt uias urinæ, plus quàm par est, conducunt partem cibi, & superfluitatis indigestæ, & hinc fiunt, nascunturq; incommoda. Quare in conseruandis renibus hæc sunt fugienda, & præsertim à prandio. Sed non ob id, quia renes dilatare malum est, adstringere erit bonum, imò interdum erit peius, & maximè quando uenæ aut uiæ erunt plenæ aliquo excremento. Adstringuntur renes à uinis austeris, Piris, Cydonijs, Dactylis, & id genus alijs. Prætereà in cibis ea fugienda sunt, quæ sunt craßi et uiscosi nutrimenti, sicut omnia legumina, pisces craßi, & tenui, Sturiones, Scombri, Anguillæ, Tenchæ, Ostreæ, Limaces, Fungi, caro bouina, palustres auiculæ, uina dulcia, aut nigra: & quando utrunque sunt, sunt peßima: alimenta uiscida, ut caro porcina, caseus recens, & omnia lacticinia, quemadmodum sunt etiam composita (quæ Tortellæ, seu Raffioli appellātur) alimenta frixa, condimentum ex melle & saccharo: omnes hi cibi periculum afferunt secum, nam cùm generent succum crassum, renes, si sunt dilatati, attrahunt ad se talem humorem, ex quo posteà periculum

lum obstructionis, aut lapidis impendet. Si adstricti sunt renes, non attrahunt & uarij morbi generantur. Alimenta nutrimenti sicci sunt, ut caro leporis assata, capræ, orobus, longusq; usus aceti: & deniq; nullum genus excessus renibus conuenit, & in hoc reliqua membra excedunt. Ratio est, quòd, cùm sit naturale munus ipsorum renum attrahere ad sese sanguinis aquositatem, & purgare totum corpus à tali excremento, necesse erat, ut admodū densi essent fabricati, et meatuum strictorum, ut sola aquositas attraheretur. Et hinc est, quòd cùm renes dilatati plus sunt, quàm par est, attrahunt etiam sanguinem, ut uidere est in urinis sanguinis. Cùm tales sint renes, non est mirū si à quocunq; excessu lædantur, nam paulo plus dilatati renes, aut angustiores redditi impediuntur à propria actionē, & conuenienti, et sanguis paulo craßior aut subtilior redditus est in causa, ut in eosdem errores & incōmoda dilabantur. Et hoc fit sæpiùs in corporibus debilibus, aut ubi pars hæc debilior reliquis reddita esset. Vnde tibi omnes excessus sunt fugiendi. Quantum ad medicamenta, mihi probatur saccharum rosatum ratione præseruationis. Laudo eius continuum usum, quo nil est melius pro renibus conseruandis. Hoc remedium est ita moderatum, ut, si renes sint dilatati, reducat eos ad suum statum, si oppilati, abstergit: si calefacti, refrigerat: neq; ob id nocet affectibus frigidis cùm sit moderatum: sed ante omnia mundum retinet stomachum, corroborat, abscinditq; catarrhū, & hoc prodest senibus. Assumat igitur singulo mane per horam ante prandium sacchari rosati ℥ s. & interdum leuiter post assumptionē deambulabit,

saccharum rosatū (?) renū pservatione.

bulabit, interdumq́; ,ſicuti eſſet bis uel ter in menſe, addet ſaccharo roſato ℈ i. uel ʒ s. Rha barbari electi, ſed tunc aſſumet mane tribus horis ſaltem ante prandiū, atq; ita toti corpori bene ſuccedet, ab infirmitatibuſq; ipſum præſeruabit, & à podagris, renibuſq; hoc remedium utile erit, nam præterquàm quod eos mundificat per urinam, corroborat etiam atque aſtringit ſine uiolentia. Et hoc ſatis ſit pro præſeruatione. Sed quando renes eſſent ita dilatati, ut ſanguis exiret, tunc reliquo corpore mundo exiſtente, ut eſſet facile utendo prædicta uictus ratione, laudarem ut in aſtringendo ſumeret in aurora hunc infraſcriptum puluerem calidum in aqua capillorum Veneris, aut Aſparagorum, aut Cardui, aut Fœniculi.

℞. Boli Armeni orientalis ʒ i.
Gummi Arabici
Tragacanthi ana ℈ ij.
Roſarum rubearum
Myrtillorum
Hypociſtidos ana ʒ i.
Corallorum rubeorum ʒ s.

Miſce, & fiat puluis ſubtilis, de quo ſumat ʒ s. ſingulis uicibus cum ℥ iiij. prædictarum aquarum, & in eiſdem diebus deſtillationis, in quibus hoſce ſumet ſyrupos, utetur tali renum unctione.

℞. Succi foliorum Lentiſci
Foliorum Myrti
Succi radicum Conſolidæ maioris ana ℥ i.
Infrigidantis Galeni ſimpl. ℥ ij.

Miſce, et fiat linimentum ſecundū artem. Hæc fieret

in exitu ſanguinis. De duabus purgationibus ſingulis annis faciendis, credo ipſas non fore neceſſarias, dummodo utatur prædicta uiuendi ratione. Permitterem balnea, ut Calderiana, refrigerabunt enim ſtomachum. Abſtineat quantum fieri poteſt, à fructibus. Vinum ſit coloris rubei, clarum, maturum, & non magnum admodum. Vtatur aceto pro condimento, & ob id non nocebit. Lac & lacticinia etſi nihil ſunt ad rem, tamen cùm aſſuetus ſit, poterit ante prandium interdum uti lacte recenti, aut iunchiada, cum modico capitis lactis, & utetur interdum, parcè tamen, caſeo recenti, à ueteri abſtineat. De piſcibus, laudo Alberos, Barbones, Auratas recentes captas in alto mari. Decoquantur aut in craticula, aut in iure. De fructibus ut ſunt Pira, & Cydonea cocta cum ſaccharo, laudantur à me. De cæpis & allijs, nocent ut alimenta, proſunt interdum ut medicamenta, incidendo humores craſſos, & reſoluendo uentoſitatem.

Conſult. XIII. Pro quadam muliere laborante Catarrho ſubtili, & acuto, deſcendente ad fauces, & traceham arteriam.

FRACASTORIVS. *Laudo in primis illius Medici opinionem, qui abſtinendum eſſe à medicamentis putat, & præſertim hoc anni tempore maximè calido. Et ex ſententia mea ab omnibus certè eſt abſtinendum, Manna fortaſſe excepto, quod cum iure pulli aſſumi poſſet. Nihilominus laudo, ut alijs remedijs occurramus catarrho, ſi talis eſt, ſicuti audio, & impreſſioni, quam facit in faucibus, & in trachea arteria, unde paucus ille ſan-*

le sanguis exit, interdum superficialis: utrunque enim timendum est, si non prouideatur. Pro cibis laudo lac, à quo obtunderetur acuitas catarrhi, & utile esset etiã ad abrasionem iam factam abolendam, seu tegendam. Ob eandem causam laudo Ptisanam, Risa præparata, & id genus alia cum immißione Papaueris serò in ferculis. Laudo etiam, ut cùm cubitum concedit, assumat unum aut duo cochlearia syrupi eiusdem Papaueris, utaturque in die Diacodio in forma solida, assumendo ipsum in os, & permittendo, ut paulatim liquefiat. Neq; etiam præter rationẽ esset, ut parum seminis Papaueris in pane misceretur, quo utitur; & hæc dicta sint habita ratione stomachi, & cæterarum rerum. Prætereà concludo, ut utatur hoc lambitiuo, à quo non leuem spero utilitatem: Tale autem est

℞. Tragacanthi ʒ ij.
Succi Liquiritiæ ʒ i.
Sapæ q. s. Fiat electuarium. Fugiat animi perturbationes, tanquam maximè sibi noxias.

Consult. XIIII. De catarrho in vniuersali, minante subitam suffocationẽ, nisi prouideatur.

ARCVLANVS. Si Medicus uocetur ad huiusmodi casus, et inueniat ægrotos cum tanta anhelitus constrictione, ut non poßint loqui, neque bibere, et cum facie nigra tendente ad liuidum, & cum sudore quodam ob anhelitus angustiam, existimet hæc tanta nocumenta, et tam subita prouenire à catarrho multo subtili, subitò ad partes pulmonis præcipitato, aut ad aliquas partes, ob quarum nocumentum anhelitus impeditur, & sic

esse in continuo fluxu. Quapropter tales ægroti sunt statuendi in aëre libero, luminoso, ad frigidum declinante, iniungendaq; est eis diæta tenuißima, prohibenda est eis omnis locutio, & motus corporis, situandiq; sunt sedentes pectore dilatato, parum pannis cooperto, cum nulla strictura pannorum circa collum, neque circa alias partes, dandusq; ipsis in potu est syrupus de Papauere cum aqua Iuiubarum, & hordei. Dandum est etiam Diapapauer, & Diacodion, et interdum in magna neceßitate danda est illis una ex pillulis opiatis, aut parum Philonij, aliquando etiam ad anhelitum dilatandum ponenda est uentosa super spondilibus pectoris, aliquando etiam plethorico existente pectore, secanda est uena, ubi materia inciperet figi in parte obtinente principatum, interdum ponendæ sunt uentosæ in pulpis spatulæ ad diuersionem faciendam, atque hac methodo si utamur in curandis catarrhis, à quibus per uiam suffocationis tantum periculi impendet, omnes ægroti per nos sanitati restituentur. Quòd si cum euacuantibus, diuertentibus, et materiam agitantibus procedamus (ut sentit Mesue) periculum est, ne magis fluant humores ad pulmonem, & subitò necentur ægrotantes.

Consult. XV. Pro quodam iuuene, qui passus est febrem putridam, qua cessante, vel imminuta periculum hecticæ impendet, vel iam forsan adest hecticæ principium.

CRASSVS. Vt ex literis potui colligere, hic iuuenis oppressus fuit à febre putrida, ex quo humore nescio, sed iudico fuisse choleram permixtam cum aliqua portione

portione pituitæ. Sed in præsentia, deleta febre putrida, aut saltem imminuta, multum uidetur esse periculū, ne in hecticam cadat, & fortasse sit iam principium. Quod cùm ita sit, necesse est omni industria corpus ipsum humectare, & refrigerare, et cùm factæ sint debitæ purgationes, cōsiderandum est, an sudor ille qui exit, subleuet ægrotum nec ne, nam subleuando infirmum, nō oportet impedire, sed debitis remedijs prouocantibus sudorem, opitulari. Quòd si debilitate ægrum afficiat, est impediendus, refrigerando aërem, nudando corpus, ipsumq́; ungendo oleis astringentibus, superq; spargendo puluerem rerum stypticarū, utendoq́; cibis crassis, uiscosis, & astringentibus. Si cessante sudore remanebit febris illa lenta, tunc est humectandum corpus in balneo aquæ dulcis tepidæ, ferendo in camerā propè lectum, quam tinellam appellant, qua utuntur stuffarij Patauij, et in ea suauiter reponatur, et sit aër cameræ temperatus, et stet in ea aqua tantisper, dum cutis corporis rubescat, et parum tumescat. Posteà exeat è balneo, & siccetur corpus, ponaturq́; æger in lecto molli & tepido, et totum corpus ungatur oleis uiolato, & Amygdalarum dulcium mixtis, et hoc fiat singulo mane ante prandium. Cibi sint frigidi & humidi, ut sunt cremor Ptisanæ, far, & actu frigidi ei exhibeantur, & panatella ex aqua ei propinetur. Quòd si timentes debilitatem uirtutis, ius carnis illi dabimus pullarum, quæ priùs hordeo, Endiuia, Cichorio, Soncho, & id genus alijs herbis frigidis atque humidis nutriantur. Potus sit aqua hordei uel uinum album oligophorum. Si febris durabit, maciesq́; crescet, erit sumendum lac mulieris

iuuenis bonæ temperaturæ, quæ utatur cibis frigidis & humidis, aut lac asinæ, quæ nutriatur modo prædicto de pullis, colãdo lac eo modo, quo docet Galenus vij. & x. artis medendi. Hæc sunt uera & principalia remedia huius iuuenis, inclinante ipso ad becticam, ut ex cæteris scriptis intellexi.

Consult. xv. Pro quodam patiente renum dolorem. MED. SAR.

℞. Passularum	
S. Com.	*ana* ℥ *i.*
Violarum	ʒ *ij.*
Prunorum	*num. x.*
Buglossæ	
Endiuiæ	*ana* M. *i.*
Polypodij	
Senæ	*ana* ℥ *ij.*
S. Carthami contusi	℥ *i. s.*
S. Anisorum	
Fœniculi	
Endiuiæ	*ana* ʒ *ij.*
Macis	ʒ *ij.*
Corall. rubeorum	
Myrobalanorum Citrinorum	
Chebulorum	*ana* ℥ *s.*

Infundantur omnia in aqua per diem naturalem. De inde bulliant ad consumptionem duarum partium, & facta prius bona confricatione manibus, colentur bene exprimendo, & in colatura dissoluantur medullæ Cassiæ

stæ fistulæ ℥ viij. pulueris Sacchari lib. s. & bulliant simul lento igne ad spißitudinem mellis, & fiat electuarium. Ex hoc electuario prima uice assumi potest cochleare unum bis in mense per horas quinque ante cibum, & augeatur uel minuatur dosis secundum Electuarij operationem.

R. Granorum fisticorum ℥ i. s.
Quatuor Com.m. frigid. ana ʒ i. s.
Specierum Diacinnamomi
Aromatici rosati ana ʒ i. s.
Sacchari albi q. s.

Fiat confectio in morsellis cum aqua Alkekengi, & sumatur una confectio pro uice, mane & sero per horam ante cibum.

℞. Olei uiolati ℥ i.
Adipis gallinæ
Anseris ana ℥ s.
Ceræ q. s.

Fiat unguentum, quo ungantur lumbi. Vitet renum calefactionem, dimittendo equitationem et coitum. Abstineat à fructibus, leguminibus, pastilibus, lacticinijs, piscibus, herbis multum frigidis & humidis, & à uino turbido, nigro, & grosso. Tempore uerò doloris fiat primo enema ex oleo communi, & iure pulli. Deinde aliud tale.

R. Florum Chamæmeli
Capillorum Veneris
Meliloti
Parietariæ ana M. i. s.

Lini
Fœnugræci
Anethi ana ℥ i. s.

Bulliant simul in sufficienti quantitate aquæ, deinde

R. Huius decoctionis lib. i.
Olei Anethini
Amygdalarum dulcium ana ℥ i. s.
Caßiæ nouiter extractæ ʒ vi.
Diaphœnici ʒ iiij.
Sacchari rubei ℥ i.
Vitellos ouorum nu. ij.
Salis communis ʒ ij.s.

Fiat clyster, qui calidus imponatur, deinde infunde spongias magnas in decoctione suprascripta, & facta expreßione, superponatur una obuoluta in panno lineo calido, et cùm incipit frigescere, exprimatur alia, et calida similiter ponatur, & si non quiescit adhuc dolor, fiat emplastrum ex medulla panis infusa & mollita in decoctione Altheæ, & cum olēo Chamæmelino distemperetur, & calidum supponatur.

Consult. XVI. Pro quodam patiēte hypochondriacam Melancholiam.

IN CASV nobis proposito quem opinamur esse flatuosam melancholiam, seu hypochondriacam, quam sequūtur symptomata nobis enarrata, gurgulatio. s. quædam cum dolore in hypochondrijs, et maximè in dextro ubi tensio percepta est manifesta cum quadam inflammatiua euaporatione, ascendente à dextro hypochondrio

uersus

uersus spatulam, sudores etiam quidam sunt post cibum secundum ceruicem, sunt etiam in nocte: emittit etiam aliquando uermes, nec nõ per mariscas profluit aliquando sanguis, cuius causa uidetur multum leuari ab huiusmodi accidentibus, conqueritur etiam de alui astrictione. Qua in re consulentes, omnibus omißis quæ ad morbi essentiam, causas, & signa pertinent, curationē aggrediemur, quam in principali affectu submouendo consistere dicimus, quem arbitramur esse obstructionem, quæ à multis, craßisq; humoribus facta fuit, impactis in uenis Mesaraicis, & uisceribus omnibus, & maximè hepate. Pro qua tollenda & uictus ratione & medicamentis agendum est. Quod ad uictum attinet, is quidem in hunc modum est instituendus, ut comedat optimum panem, bene coctum, mediocriter salitum, ac bene fermentatum, purum, sine aliqua cõmixtione, carnes comedat laudabiles, ut sunt pulli gallinacei bene nutriti, sed liberè degētes, nõ impinguati in carceribus, aut caueis, hœdina etiam caro, uitulina, & castrati optimi, ad rem est: aues quin etiam nemorales: et montanæ, quæ sunt in cõmuni usu, ut turdi, merulæ, passerculi, perdices, phasiani, et similes aues, dimittēdo omnes, quæ in aquis, & paludibus degunt. Oua etiam recentia sorbilia, aut tremula optima sunt, abiecto albumine, non frixa, nec aliquo modo indurata. pisces mali sunt, nisi fuerint ex petrosis: alij enim sunt fugiendi: lacticinia omnia praua sunt, res ex pasta confectæ sunt euitandæ, ex oleribus comedere quandoq; poterit, potiùs subducendæ alui gratia, quæ quòd pro cibo cõmoda sunt, ex his potißimum conueniunt Borago, Buglossa, Atriplex, Spinachium,

chium, modò in acetarijs, modò in ferculis condiendo. fructus uituperantur, sed aliquando tamen comedat in pauca quantitate. Ex acrioribus, et si sint cacochyma, quia tamen attenuari possunt, usum ipsorum non interdicimus, sed paucum. Aromatum usus moderatus intemporibus præsertim frigidis sit. Acetum non damnamus, quinimò in hoc casu conueniens est, sicuti agrestæ & omnium acerborum usum omninò non interdicimus. Vinum non sit nouum, non crassum, non nigrum, sed sit optimè depuratum, clarum, substantia tenue, colore aut album aut rubeum, facultate non aquosum, neq; admodum potens. Caueat à multa repletione tàm cibi quàm potus, pariter etiã non ingerat altera cibaria, nisi priora iam destributa & concocta fuerint. Sumpta cæna statim non dormiat, sed saltem per horam & dimidiam somnum differat, à prandio somnum euitet, nisi fuerit consuetus, aut ex aliqua causa noctes duxerit insomnes. Exercitio utatur mane ante cibum per horam, ut scilicet non statim post exercitium comedat. Similiter ante cænam. Aëris omnes euitet excessus, ut caloris, frigoris, uerùm potiùs frigoris quàm caloris. Procuret alui lenitionem, ut cum iusculo pulli, cum saccharo rubeo, aut inexpurgato, cum prunis decoctis in uino dulci, aut cum passulis, & saccharo sub dio in nocte expositis, aut cum oleribus oleo conditis, omnibus ante cibum per quartam partem horæ assumptis, aut aliquando cum clystere cõmuni, & aliquando cum una pillula ex Aloë lota aut, cum drachmis tribus aut quatuor Terebinthinæ Cypriæ, aut eius loco cum laricina aut abietina resina ad eandem quantitatẽ. Caueat ab animi affe-

ctibus

ctibus prauis, lætetur continuò, rideat, uerſeturq; con tinuò cum amicis dilectis, lætiſq;, coitu moderatè utatur, crebrum eius uſum fugiat. Deueniendo ad medicinalia, niſi fluxerit ſanguinis multitudo per mariſcas in copia moderata, ſuaderem, ut hoc uere lenita prius aluo, aut cum pharmaco leniente, aut cum clyſtere, niſi ſponte fluxerit, ſecaretur uena hepatis dextri brachij ad quantitatem ſanguinis moderatam, prout præſenti Medico uidebitur. Hoc facto ueniendum erit ad aperientia ipſas obſtructiones, quare per dies aliquot ſumat hos ſyrupos mane in aurora calidos, ac ſuperdormiat, ſi poterit, uel ſaltem decumbens quieſcat.

℞. Syrupi de Cichorio. s.
Acetoſi ſimpl.
De Lupulis ana ℥ s.
Decocti Cichorij
Fumiterræ
Lupulorum
Boraginis
Agrimoniæ
Ceterach ℥ iij.

Miſce pro ſyrupis viij. aut x. quibus aſſumptis accipiat in aurora in calidũ hoc pharmacũ, ſuper quod immediatè ſomnum unius, aut duarum horarum ad ſummũ concedimus. Sit tamen hoc factum in die non impedita à lunæ coniunctione, aut oppoſitione, & prandium ad ſex horas differat.

℞. Rha barbari electi ʒ i. s. infundatur in infraſcripto decocto ad horas x. cum modico Spicæ ac irroratione uini Maluatici, & fiat expreſsio.

Recipe

℞. Agarici trochiſcati cum Gingibere ʒ i.
Syrupi roſati ſolutiui ℥ iij.
Cum ſupradicta expreßione fiat potio.
R. Myrobalanorum omnium ana ʒ ſ.
Epithymi
Ellebori nigri
Polypodij ana ʒ i.
Florum cordial. pugil. ij. ſ.
Aniſorum ʒ i. Fructuum q.s. fiat decoctio in aqua Agrimoniæ ſecundum artem, et fiat leuis expreßio. Facta hac purgatione, laudo, bibat ex aquis Thermarum Aponenſium per dies octo aut decem. Antequàm autem ſuperueniant calores, mihi placeret, ut ſingulo mane per dies xv. aut xx. (niſi aquas prædictas biberet) aſſumeret pillulam unā ex infraſcriptis per horas tres ſaltē ante prandium, uel plures etiam, ac ſuperbiberet ℥ ij. uini Abſinthitis, quod in hunc modum parabitur. Ponatur in phialam aut uas ſimile m. i. ex coma Abſinthij, & repleatur uas uino albo aromatico. & ſic ſtet infuſum ſemper, quoad aſſumpſerit totam quantitatē, quam aſſumere uoluerit, ita ut nunquàm inde extrahatur, ſtet tamen infuſum Abſinthium priùs quàm prima uice aſſumat per horas xij. ad minus.
R. Trochiſcorum de Rha barbaro
De Eupatorio
De duabus Amygdal. Galeni ana ʒ i. fiant pillulæ viiij. cum uino prædicto. Poſſet etiam maximè in temporibus frigidioribus aſſumere mane per horas v. ante cibum ʒ. Mythridati electi, uerum cùm hoc aſſumit, trochiſcos non aſſumat, nec aliud quidquam. Nec mihi di-

ſpliceret,

ſpliceret, ſi aliquando mane tribus horis ante prandium ſumeret maſticando ℈ i. Rhabarbari. In hoc etiã tempore ueris, æſtatis & autumni laudo uſum balnei aquæ dulcis, moderatè calefactæ, ſtando in ipſo balneo per horam, aut minus iuxta tolerantiam. Deinde exiccando corpus, & lectum ingrediendo per aliam horam aut minus, ſicuti uidebitur Medico præſenti. Tempore autem quo utetur balneo, abſtineat ab exercitio, ne nimis corpus reſoluatur.

Conſult. XVIII. Pro Epileptico, oppreſſo alijs etiam ſymptomatibus.

MVLTAE quidem ſunt affectiones malæ in hoc uiro, ſed ea eſt præcipuè, propter quam hûc ſumus conuocati, nempe epilepſia. In inueſtiganda igitur natura, & curatione huius affectus immorabimur, nam ex hac etiam reliqua apparebunt. Si rectè cognoſcere hunc affectum uolumus, oportet inueſtigare ipſius naturam. Inueſtigabimus autem, ſi ipſius cauſas internas, externasq; conſiderabimus. Internæ cauſæ morbi comitialis duæ ſunt, formalis & materialis, formalis cauſa huius ſymptomatis eſt obſtructio uentriculorum cerebri, licet non abſoluta, à qua læduntur omnes operationes animales, materialis uerò cauſa, ſunt humores pituitoſi, craßiq;, uel qualitas aliqua mala. Extrinſecæ uerò cauſæ ſunt omnes ſex res non naturales, in quibus maximè errauit. Præterea qualitas illa impreſſa per morbum Gallicum, exhibitio argenti uiui, et id genus alia ſunt cauſæ extrinſecæ huius morbi. Cùm hæ ſint cauſæ huius morbi, non eſt mirum, ſi propter ipſum cerebrum debi-

litate

litate affectum (receßit enim ualde à temperatura naturali, quæ est calida & sicca) et propter intemperiem, & multiplicationem humorum, sint sequuta est sympto mata. In primis epilepsia propter humorem pituitosum, dolor capitis, tuberculaq; propter delationem illius materiæ ad uarias corporis partes. Quamobrem dubitandum est ualde, ne hic pereat, cum multis de causis, & præsertim ob morbum Gallicum difficulter remoueri poßit epilepsia, & periculum sit, ne incidat in apoplexiam. Tamen cùm iam sit præparatum corpus per syrupos de Fumoterræ, de Epithymo, & euacuatum per confectionem Hamech, rationem huius affectus haberem tantummodo per uictum attenuantem, id est calidũ & siccum, uellemq; ut uino paucifero uteretur. Et facerem, ut abstineret ab animi accidentibus. Deinde darem illi decoctum ligni Indi ad remouendam malam qualitatem hepatis ex morbo Gallico contractam, postremò adderem cauteria.

Consult. XIX. Pro quodam laborante febre pestilenti cum lenticulis.

CVM sit à nobis febris putrida pestilens, ex putredine sanguinis exorta, curanda, necesse est, ut statim ad remedia accedamus, quæ possunt huic morbo opitulari. Cùm igitur in hoc ægroto appareant iam in vij. die pustulæ in cute, quæ aliquam crisim facere naturam declarant, expurgatio autem illa fiat per conuenientem regionem, id est per cutem, per quam natura solet superfluitates expellere, ideò motus ipsius naturæ est adiuuandus,

dus, quomodo autem iuuari poßit, dicendum est. Cura febris pestilentis est exiccatio, cùm enim huiusmodi febris à plurima dependeat putredine, necesse est, si putredo tolli debet, ut causa materialis ipsius tollatur, quæ quidem est nimia humiditas aduentitia. Exiccabitur autem corpus, & tolletur putredo & per ea, quæ faciunt ipsum corpus difflare, & quæ rarefaciunt cutem, & ipsum corpus. Quare cùm natura tentet euacuare materiam per cutem, est adiuuanda, quod fiet, si rarefiet cutis, si diffletur materia, & euaporet. Id autem præstabitur primum cum frictionibus, deinde cum quodam linimento, quod ex Nitro, duabus partibus aquæ Chamæmeli, & una olei Amygdalini constat. Hoc enim linimento difflabitur corpus, rarefiet cutis, materia euaporabit, præsertim cùm attrahat leuiter, & æqualiter, & non sicut Cucurbitulæ uiolenter aut inæqualiter, id est & cum plurima spiritus, & caloris affectione. Fiat autem decoctio usque ad cõsumptionẽ aquæ, & posteà totum corpus unà cum frictione illo linimento ungatur: neque timenda est caliditas Nitri: nam illa leuis est, &, si quæ est, facile ab oleo & aqua extinguitur. Cauendum autem, ne illud linimentum refrigeretur, prohiberetur enim euaporatio, quod malum est, nam omnia adstringentia insigniter lædunt, prohibentq́; euaporationem putredinis, ipsamq́; continent in partibus internis. Prohibebitur autem refrigeratio linimenti, si aliquo indumento bombycino, uel lineo corpus induatur, atque ita occurretur putredini. Quantum uerò pertinet ad Petroselinum, ego id non exhiberem, ut huiusmodi materias moueret: nam maximè uaporem, & materiam attollit

pestilentis febris cura

Linimentu febrib. pestilentibus.

Nota che petroselino

tollit ad caput, unde insaniæ interdum oriuntur: syrupi uero efficaces ad resistendũ putredini, sunt, ut syrupus de acetositate Citri, syrupus de succo Acetosæ, & acetosus.s. Cichoriaceiq; syrupi; qui (de Cichoriaceis dico) uim habent resistendi putredini, & leuiter etiam infrigidant. Bolus etiam Armenus, Scordium, Corallum, cornu cerui, siue ustum, siue non, hæc omnia in puluerẽ redacta, & contrita habent maxime uim putredini resistendi, exiccant enim & tollunt ipsam putredinem. ℈. huius pulueris in iure pulli, poterit bis in die exhiberi, atque hoc remedio maximam rationem habebimus putredinis tollendæ. Victus sit pulli gallinacei, & caro hœdina, Ptisana, oua, cum prædictis pulueribus: hæc enim omnia resistunt causæ morbi, & corroborant uirtutẽ: ius quoque pulli maximè conuenit. Conuenit etiam saccharum rosatum, & Mithridatum. Potus sit syrupus acetosus, uel succus Limonum, aut Aurantiorum cum saccharo. Et ex hoc potu maximam æger percipiet utilitatem: resistit enim causæ ipsius putredinis. Vberior tamen pauló uictus est instituendus, ne cogamur posteà nutrire corpus cum maximo detrimento. Ii fieret aliquod linimentem cordi ex unguento rosato, uel cerato optimum esset. Corroborabitur enim locus & temperabitur. Sectio autem uenæ non est adhibenda, cùm iam sit maxima putredo, & uirtus non admodum fortis.

Consult. XX. Pro muliere grauida, laborante febre acuta, cum æstuatione stomachi, & leui quadam Lypothymia.

HABEMVS præclarißimi Doctores mulierem grauidam in 7. mensibus, laborantẽ febre acuta, in qua & sitis

ſitis magna, & ſummus calor reperitur. Laborat etiam æſtuatione quadam leui ſtomachi, ita, ut ſit leuis quædã lypothymia. Vt autem curetur, eſſentia huius febris eſt à nobis dignoſcenda. Noſcemus eſſentiam, ſi humores, locum, & magnitudinem febris noſcamus. Humores, à quibus hæc febris dependet, ſunt tres, bilioſus. s. pituitoſus, & melancholicus. Tota hæc maſſa à ſanguine puro diſtincta putreſcit, quod ex craßitudine urinæ, ex excrementis, & longitudine paroxyſmorum declaratur. Sanguis uerò ebullit, atque ita hæc febris propè eſt, ut peſtilens euadat. Locus eſt ambitus uenarum. ſæua autem febris eſt, quod ex ſymptomatibus colligitur. Caſus difficilis eſt, tum quia grauida eſt, & fœtus magnus, tum etiam quia ingens, & grauis morbus. Vt curetur procurandum eſt, ne humores generentur: & ſi qui geniti ſunt, paulatim & leuiter educantur. Atque in primis alteranda ſunt membra principalia, ita enim & generatio humorum tolletur, & febris ardor extinguetur cùm non poſſumus uti ſanguinis mißione, neque medicamento ſolutiuo propter imprægnationem. In primis igitur hoc linimento exteriùs inungerem facto ex oleo roſaceo completo, & cera alba lota. Ventriculum uerò cum roborante linimento, facto ex oleo Myrtorũ & Cytoniorum, Et ſi quid parum olei de Abſinthio addatur, non diſpliceret, his enim linimentis & corroborabuntur membra, & extinguetur calor. Cordi uerò applicarem unguentum roſatum Meſuæ, cum ſpeciebus cordialibus temperatis, & Sandalis. Interiùs uerò exhiberem ſyrupum acetoſum factum ex aceto albo optimo, & ſaccharo exquiſito, & aqua roſacea, & cum

aqua Endiuiæ, Acetosæq; miscerem, ut corpus refrigeretur. Id sero ac mane exhiberem. Quantum ad lubricitatem uentris, quæ procuranda est, attinet, laudo clysterem factum ex iure pulli, in quo decocti sint furfures, & hordeum, addendo mel rosaceum, & oleum uiolatum: ita enim absterget & non lædet matricem. De uictu. Oua non sunt admodum ad rem, nisi cogamur nutrire. Iuscula sint pulli, alterata cum Acetosa, Endiuia, Cichorio. Transacto nouilunio poterit iterum Manna exhiberi, uel cum eo Rha barbarum cùm priùs exhibitum contulerit, uel solum Manna reiterari, & hoc pacto fieri poterit euacuatio.

Consult. XXI. Pro Adolescente laborante doloribus articularibus, & pustulis in ambitu totius corporis, ac etiam ophthalmia.

TRIA *sunt in hoc adolescente præter naturam toto genere inter se diuersa. Sunt in primis dolores articulares cum aliquo leui tumore. Dolor est huius naturæ, ut facile à rebus calidis tollatur, ut à fomentis, & id genus alijs. Prætereà ita interdũ sæuus est, ut summa cum difficultate ab ægrotante toleretur. Tumor autem facile tactui cedit, eiusdemq; est cum cute coloris, neq; est insignis magnitudinis, ita ut uideantur à quibusdam flatibus huiusmodi tumores generari. Sunt deinde pustulæ in totius corporis ambitu cum pruritu, nigrescentes, & duriusculæ, si interiùs considerentur. Pruritus uerò ita malignus est, ut nunquam non ab ipso totum corpus scalpatur. Cum his pustulis quæ sunt in totius corporis ambitu adest etiam ulcus amlignum, &*

cacoëthes

cacoëthes in ipso præputio. Tertiò est in oculo dextro inflammatio in coniunctiua membrana, quæ à Medicis ophthalmia dicitur. Hæc autem inflammatio est ab humore calido, cùm sit cum rubore cutis, & cum calore. Adest præterea cum hac inflammatione insignis dolor. Inflammatio uerò est admodum maligna, non enim tantùm coniunctiuã occupauit, sed etiam uueam membranam, & pupillam: unde maximum ex hac re imminet periculum. Hæc sunt præter naturam, quæ adolescens hic patitur. Cùm igitur hæc ita se habeant considerandum à nobis est, quænam sint causæ horum affectuum. A primo autem est à nobis incipiendum. Quantum ergò attinet ad dolores articulares facile credo à principio huiusmodi dolores fuisse procreatos non per defluxum alicuius materiæ, sed per intemperiem. In primis cùm totum corpus, singulasq; ipsius partes considero, uideo (cùm uentriculus calidus sit, & hepar, & corpus uergat potius ad quandam siccitatem, quàm humiditatem) non posse ab his membris demandari ad aliquam partem materiam frigidã, & pituitosam, cuiusmodi ea est à qua ij dolores fiunt. Quòd si ea demandaretur, non frigida, sed calida foret. Deinde cùm hic adolescens oppressus fuerit hisce doloribus propter lotionem aquarum frigidarum, facile est existimare fuisse à tali aqua contractã in ipsis articulis, qui exangues natura sunt, & frigidi, intemperiem frigidam, à qua tales dolores successêrunt: cuius signum est, quòd facile cessant ij dolores à rebus calidis. Quòd si à principio materia horum humorum fuisset in causa, totum potiùs oppositum successisset. Caliditas enim cùm inueniat materiã crassam & frigi-

dam, ipsam cõmouet, non digerendo, cùm alioqui esset quieta, unde maiores dolores excitantur. Hisce igitur signis ego credo à principio illius dolores ab intemperie frigida sine materia euenisse. Verum autẽ est, quòd, posteà temporis successu cùm in omni coctione excrementa generentur, & maior copia excrementorum in diminuta coctione eueniat, fuerũt in hisce partibus multi humores crudi collecti. Cùm enim uirtus articulorum propter illam intemperiem non posset rectè cõcoquere alimentum, multa excrementa remanebant, quæ cùm nõ expellerentur propter debilitatem uirtutis expulsiuæ, multi humores crudi ea de causa fuêrunt in hoc corpore per illam intemperiem procreati, à quibus & maiores dolores, & illi leues tumores sunt generati. Puto autem cum huiusmodi materia frigida esse aliquid materiæ calidæ coniunctũ, quod ex acuitate doloris significatur. Id autem factum est ratione temperaturæ calidæ & siccæ, in qua necessariò humores cholerici generantur. Hæc dicta sint de essentia huius primi affectus. Pustulæ uerò illæ, & pruritus, cùm eæ sint nigrescentes & malignæ, & pruritus sit admodum molestus significatur ab aliqua materia maligna hæc omnia dependere, cuiusmodi est melancholia adusta. Id etiam declarat ulcus illud malignum in præputio existens. Huius autem materiæ & horum affectuum nõ possum aliã causam aßignare, nisi affectionem Gallicam, quæ cùm sit affectio talis in hepate, non calida uel frigida, necessariò in ea humores adusti generantur. Huius etiam affectus signum est, quòd adolescens hic cum multis mulieribus concubuerit, quæ erant tali morbo infectæ. Et
licet

licet non sequatur, hic concubuit cum muliere morbo Gallico infecta, ergò morbo Gallico correptus est: ualet tamen, concubuit cum tali muliere, & tales pustulas ex eo concubitu cepit, ergò morbo Gallico correptus est. Diximus iam causas secundi affectus. Quantũ uerò pertinet ad ipsam ophthalmiã, apparet ipsam per signa iam dicta, ex tenui sanguine & calido genitã esse. Caput autem puto esse in causa huius defluxus propter multas causas tum intrinsecas, tum extrinsecas, quas nescimus. Quare uerò hic defluxus magis factus sit ad oculum dextrum, quàm ad sinistrum, non possumus huius rei aliam asscribere rationem, nisi illius oculi imbecillitatẽ, quæ multis ex causis, nobis incognitis, potuit fieri. Hæc habui, quæ dicerem de horum affectuum essentia. Quantum uerò ad prognosticum attinet, nihil aliud dicam, nisi ipsum curatum iri, modò paruerit, & si assumpserit ea, quæ à Medicis præcipientur. In curandis hisce tribus affectibus, uidendum est, à quonam curatio sit priùs incipienda. Puto autem curationem esse incipiendam ab ipsa ophthalmia, tum quia ægrotus propter hũc affectum nos potißimùm uocauit, tum quia ita ratio exigit, quia magis urget ophthalmia, tum quia in ea est uehementißimus dolor, tum quia inflammatio in se magna est, quæ non tantùm coniunctiuam, sed uueam, & pupillam occupat, unde periculum est, ne amittat uisionem, ac ne in suffusionem incidat malignam. Curabitur autem, si primum leniatur uenter cum Caßia, et speciebus Hieræ. Deinde si uena humeralis secetur, ut diuertatur, & euacuetur materia, tum quæ facit, tum quæ factura est ophthalmiã. Facta uniuersali euacuatione ego

deinde aliquos syrupos exhiberem, qui maximam opem præstarent ophthalmiæ, ut est syrupus factus ex succo rosarum, Fœniculi, Verbenæ, cum decoctione Euphragiæ, et cum saccharo. Acciperem igitur dictæ decoctionis ℥ iiij. & illius succi ℥ ij. atq; ita efficerem syrupum, qui per septem dies exhibeatur. Euacuato corpore, et facta tali humorum præparatione, si quid posteà per medicamentum uideretur euacuandũ, euacuetur. Deinde erit ad aliquod medicamentum deueniendum discutiens, & resoluens materiam, à qua fit talis inflãmatio. Et quoniam iam fermè transactum est principium talis inflammationis, ideò repellentibus non admodũ egemus. Hoc uerò in casu esset ad propositum decoctum Fœnugræci cum pauca quantitate decocti rosarum: discuteret enim talem materiam huiusmodi fomentum humidũ, & ipsam aliquo modo repelleret. Collyrium etiam ex Aloë, & supradicto decocto esset maximè ad rem. Tolletur enim sic dolor & causa, à qua inflãmatio, dolorq; dependent. Eo igitur pacto ego curarem ophthalmiam, curata ophthalmia deinceps accederem ad curationem dolorum articularium, aduersum quos præsertim iuuarent aquæ Anconitanæ, non interiùs assumptæ, propter hepatis caliditatem & affectionem Gallicam, sed exteriùs applicatæ, id est in ipsis innatando: ita enim resoluetur, & exiccabitur materia talium dolorum. Quòd si lutum etiam hisce membris apponamus, nihil erit quod magis sit ex usu. Curatis his duobus affectibus, ego posteà ad curationem morbi Gallici deuenirem, quæ quidẽ fiet cum decocto ligni Indici, sumpto in aqua Endiuiæ propter corporis caliditatem, ne nimis calefiat, et exiccetur.

cetur. Ante uerò assumptionē huius decocti ligni Indici si uideretur iterum corpus esse expurgandum, purgetur. Et purgetur in primis pituita, deinde atra bilis, facta tamen priùs horum humorum debita præparatione.

Consult. XXII. Pro puella patiente menstruorum suppresionem.

FRIZIMELICA. Puella hæc etiam si in ea ætate sit constituta, in qua fluere menstrua deberēt (agit enim 18. annum) illi tam non fluunt, fortasse propter malā in sex rebus non naturalibus uiuendi rationem. Cæterùm licet ibi menstrua non appareant, singulis tamen mensibus patitur dolorem circa uentrem, & maximè statutis quibusdam temporibus. Prætereà hæc menstruorum suppreßio non solùm à causa extrinseca, sed ab intrinseca etiam fieri potest, quæ quidem est uiarum, per quas sanguis pertransit, naturalis angustia, crassus etiam sanguis, propter usum alimentorum crassorum, & multas cruditates redditus, inter causas intrinsecas huius affectus reponi debet. Vnde nō est mirum, si huic puellæ naturales purgationes fuerint suppressæ. Vt curetur, parandi in primis sunt humores, ut facile poßint impelli à uirtute expultrice, etiam quod uiæ naturaliter angustæ sint, neque poßint eæ reddi ampliores. Præparabimus autem humores, si fluxiles à nobis fiant, fient fluxiles si tenues reddantur, tenues autē humores reddentur medicamentis, quæ leuiter attenuāt, et leuiter calefaciunt, ut sunt Petroselinum, Fœniculus, Asparagus, Ceterach, ut semina Anisorum, Fœniculi, Dictamus, Calamenthū, Pulegium, Origanum, Saluia, Betonica, & id genus alia,

ſi decoquantur. Horum medicamentorũ decoctum frequenter exhibeatur. Ex ſyrupis, laudantur à me oxymel, ſyrupus de Betonica, de Calamentho, de radicibus, & tribus & quinq;, Bizantinis. Et aliæ id genus confectiones ad rem ſunt, ut Diacalamenthum, Diacyminũ, & ſimilia. Sed non eſt utendum his confectionibus niſi concoctis priùs humoribus, ſic neque decoctis, & ſyrupis, priùs enarratis, niſi primum corpore euacuato, quod rectè fiet cum Caßia & Hiera, & interdum ſolis pillulis de Hiera. Præter hæc maximè conuenit recta uiuendi ratio, quæ ſit attenuans, in debita quantitate, tempore, & ordine, cuiuſmodi ſunt piſces ſaxatiles, pulli, columbi iuuenes, hœdi, & caſtrati iuuenes. Ex piſcibus Aurata, Paſſerculus, Trigla & ſimiles conditi perpetuò oleo aceto & ſale. Vt autem uiæ fiant ampliores, utatur frictionibus inunctis manibus fricantis, attenuantibus oleis, ut Nardino, Liliaceo, Chamæmelino, Seſamino, & oliuarum oleo ex maturis oliuis. Laudo etiam interdum balneum ex aqua dulci tepida, in qua decoctæ eſſent herbæ relaxantes, et attenuẽtes ut Althea, Malua, ſemina Lini, Fœnugræci, & alia id genus. Venter autem & dorſum in exitu balnei inungantur ſupradictis oleis. His remedijs poterit puella hæc menſtruorum effluxum habere, præſertim ſi uiro tradatur. Venæ etiã ſectio, cùm humores erunt priùs parati, & uiæ apertiores, in prouocandis menſibus maximè conuenit. Secetur autem ſaphæna.

Medica-

Medicamentum vtile ad eos expurgandos, qui morbo Gallico laborant.

R. *Myrobalanorum Citrinorum*
Chebulorum
Indorum ana ℥ *s.*
Passularum ʒ *iij.*
Prunorum
Sebesten ana num. xij.
Polypodij ʒ *iiij.*
Liquiritiæ ʒ *ij.*
Sileris montani ʒ *iiij.*
Fumiterræ
Florum Boraginis
Buglossæ
Violarum
Scolopendriæ ana *m. i. s.*
Epithymi *m. ij.*
Colocynthidis ʒ *v.*
Succi Fumiterræ lib. iij.
Aquæ Fumiterræ lib. iiij.

Misce, & fiat decoctio ad consumptionem dimidij. & facta colatura, R. prædictæ decoctionis ℥ *iiij. pro uice, cui adde syrupi de Fumoterræ* ℥ *i. s. Misce, & fiat potio.*

Consult. XXIII. Pro quodam, renum dolorem patiente.

QVONIAM *renum atq; hepatis caliditas solet esse causa efficiens arenularum, & calculorum, materialis autem,* calculorum et arenulas cā

autem, humores partim cholerici, partim phlegmatici, qui ob uarios errores in uictu commissos solent generari, ideò in uera cura dicti affectus, necessarium est prouidere utriq; incõmodo, id est, contemperanda est caliditas illorum membrorum, & prohibenda est multiplicatio humorum, atq; ad has duas res peragendas necessaria sunt duo potissima instrumenta, quorum alterum est recta uiuendi ratio, quæ quidem apud me est maioris momenti: alterum uerò est præsidium medicamentorum. In primis igitur de priore uerba faciemus, deinde alterum attingemus. Viuendi ratio non solùm uaria est ratione alimentorum, & potus, sed aëris etiam, animi accidentium, somni, & uigiliarum, euacuationum, & retentionum, motus & quietis, quæ quidem non minoris momenti sunt, quàm cibus & potus, atque ideò omnia sunt consideranda in præseruando huiusmodi ægroto. Cauebit igitur quantũ fieri poterit omnes aëris excessus tàm calidos, quàm frigidos, neque deambulabit, uel laborabit in sole, aut uentis, et maximè in Austro, non dormiet in locis subterraneis, aut humidis, aut in aëre, aut in lecto sine tegumento, aut nudus, ut fieri solet in caloribus. Fugiet iram, atq; animi tristitiã, atq; quemcunq; animi affectum, quoad poterit. Exercitiũ corporis erit mane aut sero ante cænam, neque defessus assumet alimentum, sed priùs quiescet per spatium saltem semihoræ, neque, cùm sit calidus propter exercitium, deponet uestes, aut se uento, uel aëri frigido exponet. A prandio uel cæna per quantò longius tempus fieri poterit, cauebit quemcunq; laborem animi & corporis, ita ut neque scribat, neque legat, nisi res fortasse iocosas, non

multum

multum admodum laborando, & uellem, ut ſpatium hoc temporis eſſet ad minus horarum quatuor. Quòd ſi per tantum temporis ſpatium nõ poterit ſe abſtinere ab aliquo motu corporis, uel animi, abſtineat ſaltem quantum ſibi licuerit. Non capiet ſomnum poſt cibum, & maximè à prandio, & à cæna, neque cubitum concedet, niſi duabus horis à cæna tranſactis, mane è lecto maturè ſurget, neque dabit ſeſe ſomno nimis longo. Dabit operam, ut quotidie uenter fungatur officio ſuo, et quotieſcunq; ſecus euenerit, ſupplendum erit per ſex ℥. huius iuris, ſumpti mane per horam ante prandium. Quod quidẽ ius hoc infraſcripto modo præparetur, & erit utile non ſolùm ad lubricandum uentrem, uerum etiam ad contemperandum humores, & renum caliditatem.

℞. Hordei mundi pugil. i.

Radicum Altheæ num. iij.

Mercurialis m. i. Omnia hæc bulliãt in lib. i. iuris pulli, uel una cum dimidia, uſque ad conſumptionem dimidij, atque hoc iure utetur modo prædicto cum ſaccharo. Sed in primis cauebit à coitu à cibo, & ſi utatur, caueat modos non conuenientes, quemadmodum eſt diu propter delectationem ſemen detinere iam præparatũ, iacere modo oppoſito, ut eſt ſub & ſupra, atq; hæc omnia ſunt circa coitum cõſideranda à iuuenibus, tanquàm maximè utilia in hoc caſu. Coitus igitur erit temperatus, temperatus, inquàm, nõ ſolùm in modis, et in horis uſus, ſed etiam in frequentia, quia meo quidem conſilio debet eſſe admodum rarus, & ſemel in hebdomada. Circa cibum, abſtinebit à pane non fermentato, & male cocto, atque ab ijs panibus, qui Bucilati dicuntur, & à

quouis

quouis pane cocto ſub cinere, et à quocunq; genere mixturæ ex farina, ut ſunt eæ, quas Macarones appellant, aut id genus alia. A carnibus omnibus ueteribus abſtinebit, ut eſt boum, & caſtratorum, & aliorum animaliũ: Animalia etiam paluſtria uitabit, ut ſunt anſeres, anates, piſces craßi, ut eſt id genus piſcium, quod Tonnos appellant. Et ſobriè reliquis piſcibus utetur: Fugiat omnia genera lacticiniorum, & caſeum quemcunque, tàm recentem quàm ueterem: A cibo contineat ſe ab eſu fructuum. Vel ante cibum uti poterit aliquibus ficubus bene maturis, optimo Melopepone, aut prunis iam rectè maturis, ſed parcè de his ſumendum eſt. Vtetur recentibus ouis pro libito, decoctis aut in igne, aut in aqua. Varietatem ciborum maximè cauebit. Delectabitur uno tantum modo cibi, eoq; ſimplici, & ex tribus cibi partibus unius diei mane unam tantummodo ſumet, ſero autem duas. Ex oleribus nullum, præſertim crudum mihi probatur, ſed ſuis tẽporibus uti poterit Capparibus, Aſparagis, & Lupulis. Vinum erit potiùs album, quàm nigrum, ſubtilium partium, neque potens, quod erit miſcendum cum aqua non admodum frigida, ſed recenter à fonte ſumpta. Et hoc erit illi conſuetum uti cibis, neq; admodum calidis, neque frigidis, ſed temperatis. Et hæc ſatis ſint, quantum ad uictus rationem pro præſeruatione. Quantum ad medicamenta ſciendum eſt, qđ 15. die Maij neceſſarium eſt ei, ut utatur ordinaria purgatione, quæ quidem fiet per modum infraſcriptum. In primis laudo, ut ei ſecetur uena iecoraria ab eo latere, in quo plus ſentit dolorem renalem, uel dextro, uel ſiniſtro. Et cum indifferenter eſſet dolor in utroque late

re,

re, anteponendum est dextrum. Sanguis extrahetur ab octo, usque ad decem ℥. Modus autem uitæ regiminisq; particularis erit huiusmodi. Per duos dies ante purgationem utetur recta uiuendi ratione, & potiùs tenui quàm crassa, tertio posteà die ante prandium per dimidium horæ assumet ʒ x. floris Caßiæ. Et postridie, perfecta Caßiæ operatione circa horam tertiam diei sectio uenæ fiet modo suprascripto. Quarto postea die incipiet uti infrascriptis syrupis.

R. Syrupi acetosi.s.
Mellis rosati ana ℥ i.
Decoctionis infrascriptæ ℥ iiij.
R. Radicum Altheæ num.iiij.s.
Maluæ
Melonum
Anguriæ
Cucurbitæ ana ʒ ij.
Capillorum Veneris
Comarum uirentium Fœniculi ana M. i.

Bulliant omnia simul in lib.ij. aquæ Endiuiæ, usque ad consumptionem dimidij, dein coletur, & exprimatur pro tribus uicibus, & sic perseueret usque ad 9. syrupos. Assumptis prædictis syrupis, postridie bibet tale medicamentum.

R. Floris Caßiæ ʒ vi.
Electuarij de succo rosarum ʒ ij.
Syrupi rosati solutiui ℥ iij.

Cum aqua Capillorum Veneris fiat potio danda in aurora cum custodia. His peractis per octo, aut quinde

cim

cim dies continuos, quod magis laudo, assumet singulo mane & sero, per horam ante cibum unciam dimidiam sacchari rosati. Quod quidem saccharum laudo, ut per totum anni decursum sibi fiat familiare, sæpius eò utens horis prædictis, quia pauciora experietur magis accommodata ad suam dispositionem remouendam. Factis huiusmodi purgationibus per mensem inunget renes infra scripto unguento.

R. Succi rosarum
Violarum
Plantaginis ana ℥ i.
Olei rosati completi ℥ i.
Ceræ albæ ʒ ij.

Misce & fiat linimentum pro renibus. Et in primis pòst purgationem uictu utetur sobrio, & rationali, seruans quod supradictum est. Quòd si in Sicilia essent balnea ferrea, ut in Italia Lucæ, & Calderiana Veronæ, laudarem, ut in æstate circa dies caniculares per duos aut tres dies continuos ea quidem liberet, lauans etiam se intus secundum ordinem consuetum. Prætereà magnopere mihi probaretur, ut saltem bis in mense tres assumeret ex pillulis infrascriptis.

R. Rhabarbari electi
Aloës
Agarici ana ʒ ij.
Rosarum
Myrobalanorum Citrinorum anà ʒ i.
Spicae
Sem. Fœniculi ana ʒ s.

Pulucrizentur omnia per se, & misceantur, & cum muci=

mucilagine radicum Altheæ condita cum saccharo, fiat Magdaleon, de quo singulis uicibus fiant pillulæ tres, pondere ʒ i, assumendi per horam ante cœnam, & hæc satis sint, quantum ad præseruationem. Tempore autem paroxysmi, si forte eueniret, (quod Deus nolit) quod primum agendum est: id est, quòd si ei uomitus sit facilis, ita ut euomat cibum totum, tunc in stomacho existentem, & quidquid exitum optaret, deinde aliquantisper eo subleuato à uomitu, laudo ut ei unus, uel duo, uel tres, uel quatuor clysteres imponantur, tantum temporis spatium inter unum & alium interponendo, quantum doloris magnitudo permittit.

R. Florum Chamæmeli
Foliorum Maluarum ana M i.
Furfuris M. ij.

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ, ad consumptionem medietatis: deinde

R. Caßiam pro clysteribus ℥ i. s.
Mellis uiolati ℥ ij.
Olei communis ℥ iiij.

Misce cum prædicta decoctione, & fiat clyster. In secundo clystero seruando prædictam decoctionem, imponentur huiusmodi electuaria.

R. Hieræ picræ ʒ vij.
Mellis uiolati ℥ ij.

Atque ita fiet in tertio, & quarto clystere, si opus erit. Atque hic notandum est, quòd si priùs corpus purgatum non est, aut per uomitum, aut per clysteres, aut per utranque uiam, quod multò melius esset, non est aliquo modo applicandum loco dolenti aliquod genus fomenti,

menti, neque panni calidi, neque unguenta, ut uulgò fieri ſolet, nam id eſt augere dolorem, & reddere hominem deſperatum: ſed factis purgationibus, tunc uti poterit aliquo leui fomento, ut eſt Parietaria mortificata in oleo: ſeu lini, aut in Manteca. Et hoc etiam fomentum bonum eſt. Sumũtur farinæ, ex qua ſit panis, ranzæ pugilli circa duo, Sapæ cyathus unus magnus, & alius cyathus olei dulciſsimi, & alius uini dulcis perfectè, atque haec omnia bulliant leuiter miſcendo uſquequo redactũ eſt ad ſubſtantiam emplaſtri, non admodum ſicci, ſed mollis, atque hoc inuoluatur in panno lineo, & ponatur ſuper locum dolentem, utile admodum ad dolorem remouendum uel ſedandum. Factis clyſteribus, prouocatoque uomitu, ſi dolor perſeueraret: dabitur ei ſero aut mane, (ut melius erit) aut etiam meridie, & circa mediam noctem, (quia in huiuſmodi caſibus non expectatur tempus,) medicamentum infraſcriptum.

fomentũ pro renibus.

R. Floris Caſsiæ	ʒ vi.
Specierum Hieræ. s.	ʒ ij.

Miſce, et fiat bolus cum ſaccharo, aſſumendus in paruis bolis, & ſtatim aſſumet cyathum iuris, in quo decocta ſint oleum, Malua, & hordeum. Et, ſi poſt medicamentum dolor perdurat, potabit octo uel decem ℥ olei Amygdalini, cuius dimidium factum ſit ex Amygdalis dulcibus, dimidium uerò ex amaris. Et cibis non ueſcetur, neque bibet poſt aſſumptum oleum per ſpatium horarum ſeptem. Quod ſi & poſt hoc remedium dolor perſiſteret, aſſumet mane & ſero per tres horas ante cibum infraſcriptam decoctionem.

Sumãtur ℥ xij. iuris pulli, in quo ebulliãt radices duæ

Althea

Altheæ, pugillus foliorum Maluæ, Grana Alkekengi num. x. Grana xx. Cicerum nigrorum ʒ s. Cinnamomi non contusi, sed diuisi in partes: atque hæc omnia bulliant simul usque ad consumptionem dimidij, et coletur. Atque in hac colatura ℥ i. Mantecæ ℥ i. recentis olei, aut si quis Mantecam abhorret ℥ i. olei Amygdalini recentis, & ℥ i. sacchari perfecti ponantur, atq; ita utatur hac calida potione. Per totum tempus laudo sobrietatem in uictu, ut est panatella, iuscula hordeacea ex iure pulli, & potus aquæ hordeaceæ cum saccharo, qui quidem potus nunquàm debet esse in toto hoc tempore frigidus. Vtatur etiam clysteribus singulis diebus, sed non eius generis prædicti: sed solùm utens prædicta decoctione, addet ℥ iij. olei Chamæmelini, ij. olei rosati completi, & uitellos 2. ouorum. Et hæc sunt, quæ pertinent ad tempus paroxysmi.

Consult. XXIIII. Pro quodam, qui passus est vulnus in tertia vertebra, & priuationem subitam sensus & motus in brachio sinistro, nunc verò mouet quidem illud membrum, sed diminutè, vt etiam crus, sed multò magis crus læsum est in motu.

HABEMVS *ægrotum hunc præ manibus curandũ, qui nonnulla patitur symptomata, sensui admodum manifesta. Patitur enim uulnus in tertia uertebra, nec nõ passus est priuationem subitam sensus, & motus in brachio sinistro, licet nunc moueatur quidem, sed non ita extensiuè, neque ita liberè, quemadmodum priùs erat solitus mouere. In curando huiusmodi uiro duo sunt à*

nobis facienda: alterum est, quòd essentia horum affectuum est à nobis cognoscenda exquisitè, alterum est, quòd ad curationem eorum est à nobis accedendum. In cognoscenda essentia horum accidentium, duo sunt à nobis inspicienda, affectus.s. & locus affectus, de quibus maxima apud me est difficultas. Videndum est igitur, in quonam loco sit primogeniò affectus. Certum est, quòd locus læsus primogenio affectu non est spinalis medulla propter tres rationes, nam primò uulnus abest ab eo loco per duos digitos, deinde uulnus non penetrauit, sed per obliquum in superficie uersus latus sinistrum decubuit: postremò hic locus non est læsus propterea quòd ab eo ad crura nerui non proueniunt, sed ad brachia: neque enim usq; ad xx. uertebram oriuntur nerui, qui ad partes inferiores deueniunt. Quare relinquitur, non esse læsam spinalem medullam, sed propter illud uulnus dicendum est collectam fuisse multam materiam in loco affecto, quæ posteà per uertebras lumborum uertebris, & oßi sacro communicata fuit in causa, ut nerui orientes ibi, atq; ad infimas partes accedentes, impedirentur: quò minùs uirtus animalis ad ipsa crura deferretur.

Quare uerò non sint læsa brachia, cùm nerui læsi sint ad ea uenientes, dicendum est, id euenisse, quia uulnus fuit in superficie factum, & per obliquũ, ita, ut & nerui, & ipsorum principium parum aut nihil prorsus sit affectum. Hæc dicta sint de loco affecto. Affectus est spasma, non uera contractio, quoniam non est symptoma uehemens, & est contractio propter humiditatem imbibitam in ipsis ligamentis uulneris ratione. Vera autẽ paralysis non est, licet à principio ita fieri potuerit. Illa

uerò macies in crure, est propter repletionẽ uenarum: & suffocationem fermè caloris naturalis illius partis. Curabitur, si priùs exquisitè corpus euacuetur. Vnde à mißione sanguinis nõ admodum abhorrerem. Quantum pertinet ad aquas Anconitanas, nil potest præstantius inueniri, nam per os exhibitæ resoluent eas materias, à quibus motus, & sensus impeditur, euacuabunt & aperient illas obstructiones, à quibus prohibetur illius membri nutritio. Natationes uerò in ijs tantisper sunt concedendæ, quousq; uis cruris & crus ipsum alioqui maciatum non resoluatur.

Consult. XXV. Pro quodam patiente deprauatam visionem, stuporem & dolores articulares, & tubercula in pectore.

BREVIS *ero, uiri præstantißimi, multis de causis, quas minimè in præsentia recensebo, eiusdem breuitatis causa, seu gratia. Tria (ut potui ex uestris uerbis colligere) magnificus iste uir patitur symptomata. Alterum est, quòd deprauatè uidet, & imagines quasdam sibi uidetur aßiduè perspicere. Alterum uerò est stupor in brachio, ac in nonnullis alijs partibus, itemq; dolores articulares. Tertium uerò, tubercula quædam sunt in pectore, ac prope clauiculam. Vt igitur rectè in hoc nostro discursu procedamus, cognoscenda à nobis est natura horum symptomatum. Natura autem accidentium sunt ipsæ causæ. Causæ autem uel sunt extrinsecæ, uel intrinsecæ. Causæ igitur tum extrinsecæ, tum intrinsecæ à nobis cognoscendæ sunt, si curationem rectè adhibere uelimus. Verùm, cùm causæ uariè agant pro di-*

uersitate temperaturarum, ea de causa in primis à nobis cognoscenda istius magnifici uiri naturalis temperatura est, ut, quantus in ea lapsus sit, rectè perspicere possimus. Temperatura autē à nobis noscetur per ea, quæ apparent, huiusmodi autem sunt signa. Signa uerò sumentur uel ab actionibus, uel à paßionibus. Ab utrisq; igitur istius temperaturæ à nobis signa sumentur. In primis autem ab actionibus naturalibus. Actiones naturales sunt duplices, generatiua.s. & nutritiua. Actiones generatiuæ facultatis, quæ fuerunt à principio generationis, semper nobiscum manent, nutritiuæ uerò actiones immutantur. Quoniã uerò ex sententia Galeni, & secundum etiam rationem, temperaturam cordis & hepatis sequitur totius temperatura, ea de causa horum membrorum perspicienda à nobis est temperatura, quæ quidem meo iudicio à principio generationis fuerunt calida, & humida, licet nonnihil in præsentia sint immutata. Id uerò in ipso hepate declarat latitudo uenarum, pilorum flauities, pili circa hypochondria, & totus habitus corporis, uergens ad rubedinem & caliditatem atque humiditatem quandam. Talem prætereà in corde temperaturam declarat irascentia, & facilis placabilitas, pulsus magnus & frequens, pili circa pectus, & id genus alia. Quod cùm ita sit, patet & totum corpus fuisse calidum & humidum. Verùm his declaratis, deueniamus ad causas horum symptomatum. Cùm itaque talis fuerit huius uiri temperatura, facile potuit in hæc symptomata deuenire. Primum autem, ob causas extrinsecas, ob aërem.s. ob inordinatam in cibo & potu secundum quantitatem, qualitatemq; rationem, ob nimium

somnium,

temperatura cognitio et signorum sumptio

[handwritten margin note:] Factio nisi mutentur.

[handwritten margin note:] temperatura cordis et hepatis totius temperatura sequitur.

ſomnum,ob otium,ob abſtinentiã Veneris, itemq; ob nimiam animi mollitiem. Ab his itaque cauſis extrinſecis congregata fuit cauſa intrinſeca horum ſymptomatum. Ob ea enim quæ enumerauimus, diſtemperatus fuit uentriculus, ipſumq; cerebrum, ex quo multa materia pituitoſa & cruda fuit in hoc corpore collecta, quæ per uenas ad uarias corporis partes delata illa ſymptomata, quæ audiuiſtis, effecit. Primùm delata iſta materia ad cerebrum, deinde ad oculos, conturbauit ſpiritus, qui per neruos ad oculos deferuntur: & conturbatio ſpirituum fuit in cauſa, quare illud ſymptoma in oculo fieret. Deinde rurſus delata ad uentriculum, ſuſtulit appetitum, in uarijs corporis partibus effecit ſtuporem, & dolorem in articulis, & deniq; illa tubercula in pectore, quæ audiſtis. Hæ ſunt horum ſymptomatum cauſæ: reliquum eſt, ut ad curationem deueniamus, ſi primum illud à nobis erit dictum, facile ſublata cauſa, & tubercula & ſtuporem ſublatum iri: illud uerò ſymptoma in oculo, non ita facile curabitur, quoniam dubito, ne per eſſentiam illud ſymptoma in eo oculo reperiatur, ob temporis diuturnitatẽ. Primùm itaq; ſecarem uenam, quoniam & materia multa eſt, & uirtus efficax. Deinde concocta materia, cum ſyrupis de Endiuia, & Boragine euacuarem. Poſteà darem ſtillicidium balneorum, & aquam in potu. Verùm ante hæc omnia inſtituere oportet rectam uiuendi rationem, qui ſit attenuans, quoniam nunc hæc temperies eſt per frigidum & humidum excedens. Victus autem attenuans eſt calidus & ſiccus: potus tenuis & uinum pauciferum. Deinde regere illum oportet in alijs quinq; rebus non naturalibus, ita, ut cor-

pus istud distemperatum ad temperiem reducatur.

Consult. XXVI. Pro quodam patiente læsionem actionum naturalium, sicut est vrinæ stillicidium, ardorq;, tumefactio pedis: & animalium, sicuti est dolor in aliqua parte, stupor, & motus priuatio.

ACTIONES *læsæ eæ sunt, quæ ducunt nos in cognitionem morbi, quandoquidem morbus nihil aliud sit, nisi affectio primò lædens operationes. Habemus igitur in hoc præstanti uiro actiones læsas, & naturales & animales. Naturalium altera actio læsa est in pede, quæ pars non potest attrahere, concoquereq; alimentum ob affluxum illius materiæ, altera actio læsa est in ipsa urina, in qua pituita, & crassa quædam sedimenta apparent. Altera est ardor in emittenda urina, & ipsius stillicidium, operationum autem animalium est, & dolor in aliqua parte, et priuatio motus, stuporq;. Cùm itaq; hæ sint operationes læsæ, necesse est, ut sit morbus, à quo primò in hoc corpore læduntur hæ operationes.* morbi cognitio *Morbus autem probè à nobis noscetur, si causæ ipsius tum intrinsecæ tum extrinsecæ cognoscentur. Causæ extrinsecæ in unum omnes conuenêrunt in generando morbo, aër enim primò frigidus & humidus, mala in cibo & potu uiuendi ratio, otium præter rationem, & exercitium, nimia Venus, mollities, somnus nimius fuêrunt in causa, quare hepar & cor fuerint distemperata per frigidum & humidũ: alioqui illa membra erant naturaliter calida & humida: & ex consequenti totum corpus: quod ex latitudine uenarum, ex colore rubeo, ex pilis*

ex pilis non crispis, nec nigris, ex morum suauitate, & id genus alijs intelligi potest. Hæ igitur fuērunt causæ extrinsecæ (atque adhæc, argentum uiuum, frigidum & humidum in quarto gradu, à Galeno uenenum existimatum) propter quas istius magnifici uiri temperatura naturaliter calida, & humida deflexerit ad frigiditatem & humiditatem, et talem intemperiem, quæ est causa intrinseca. Vnde reddita duo in primis membra frigida & humida, hepar.s. & uentriculus, fuērunt in causa, quare generata sit pituita, quæ delata ad uarias partes, fecit illa symptomata quæ recensuimus. Primùm in pede fecit illam tumefactionem talis humor, qui quidem humor pituitosus in ea parte est, non per essentiam, sed per consensum à uentriculo & hepate. Deinde urinæ mixtus, reddidit eam albam, crassamq; ut apparet. Hic idem humor, mixtus urinæ in uesica, et delatus ad penem, craßior quàm par est, existens, fuit in causa, quare urina per stillicidium demitteretur. Ardoris uerò urinæ potest esse duplex causa, uel exiccatio illarum glandularum, facta per Venerem, uel admixtio bilis ipsi pituitæ, quæ sua acrimonia illum effecit ardorem. Motus etiã in aliqua parte priuatio, & dolor, & stupor fit propter eandem materiam ad eas partes delatam, quæ quidem efficit, ut non rectè eæ partes moueantur, & sentiant, & ut exulceratæ nonnihil, uel compressæ per eam materiam dolorem inducant. Hæc de causis horum symptomatum sint à nobis dicta. An uerò poßit sanari, ego existimo, facile posse causas intrinsecas remoueri, dummodo abstineat sese à causis illis extrinsecis. Curandum igitur hunc esse puto, per hanc rationem. Primùm est

alterandus, & uentriculus, ac hepar per calidum & ſiccum. Sed ante quàm id fiat, oportet corpus euacuare. Euacuabitur autem per uenæ ſectionem, baſilicæ, aut mediæ. Deinde dandi tres ſunt ſyrupi, qui concoquant materiam, quibus aſſumptis euacuanda eſt materia uel per confectionem Hamech, uel per aliquid huiuſmodi. Et reiterata euacuatione, ego poſteà curarem, ut uentriculus, heparq; ad priſtinam temperiem reducerentur. Id autem optimè fieri poterit per aquam ipſorum balneorum.

Conſult. XXVII. Pro quodam patiente calorem in pedibus, & ſtuporem, dolorem dorſi, vrinæ obſtructionem, & impedimentum in eiaculando ſemine, atque etiam in expandenda manu, ſi clauſa eſt, & claudenda ſi expanſa.

EST *Galeni ſententia, in libris de locis affectis, quòd, ut plurimum coniectura quadam (quæ ſæpe fallax eſt) ducitur Medicus in morborum cognitionem. Quod, ſi unquàm accidit, id perfectò euenit in hoc magnifico Viro, qui uaria ſymptomata, et inter ſe contradicentia fermè patitur. Primum ſymptoma eſt calor in cruribns, cum ſe cooperuit, ingens, et ſtupor in pede, dolor dorſi, & cùm procumbit, meliùs in eo dolore ſe habet, quàm cùm erectus ſtat. Nulla ſeminis eiaculatio, atque urinæ obſtructio, quæ emitti non poteſt, quouſq; teſtes non fuerint contrectati, atque etiam penis. Præterea patitur etiam aliud ſymptoma, nam mane cùm ſurgit ſi manus eſt expanſa, nequit claudere, niſi alterius ſubſidio. Si clauſa eſt, nequit aperire. Quæ cùm ita ſint, primùm*

à nobis

à nobis cognoscenda est huius magnifici uiri naturalis temperatura, & quantus lapsus præsens sit. Deinde causas & extrinsecas & intrinsecas horum symptomatum perspicere oportet, ac particularem uniuscuiusq;, ac demum ad curationem deuenire. Quantū igitur pertinet ad naturalem huius uiri temperiem, crediderim ego excessum in hoc corpore fuisse caliditatis. Primùm enim si habitum corporis considero, & præsertim musculos, apparet, quàm sint robusti, sine ulla pinguedine, & quàm solida sit carnis substantia, deinde latitudo uenarum, proceritas corporis, latitudo thoracis, bellicositas, audacia, caliditatem attestantur. Neque est, quòd quidquā probibeat nos, ut id credamus, præsertim color, qui non id attestatur, et flauities nulla pilorum. Vt enim dicebat Galenus in libris de temperaturis, color et pili mutantur ab aëris temperie, cùm tamen alioqui temperatura sit diuersa. Cùm igitur talis sit temperies huius uiri, & si nihil non propter temperaturæ fortitudinem potuerit efficere superioribus temporibus, tamen accedente senio (agit enim 55. annum) succubuit temperatura, & uicta est à rebus non naturalibus tandem. Primùm enim ab aëre mirum in modum frigido, deinde à peßima uiuendi ratione secundum quantitatem & qualitatem, à somno et uigilijs, à nimijs exercitijs, & laboribus, et angoribus, & curis animi, & deniq; ab omni genere peccati in sex rebus non naturalibus. Quæ cùm ita sint, quid mirum est, si naturalis temperies huius uiri, alioqui bona, sit immutata, & primū hepar sit factum seipso frigidius ? uentriculus, cor, ac deniq; uniuersum corpus? Qua facta intemperie in illis partibus,

color & pili ab aeris temperie mutant.

partibus, sequuta sunt illam symptomata quæ audiuistis. Hactenus causas & extrinsecas & intrinsecas diximus horum symptomatũ. Videamus nunc, quomodo sequuta sint hæc symptomata illam intemperiem. Primùm, propter intemperiem frigidam uentriculi & hepatis, cùm non potuerit generari bonus sanguis, abundauit multa pituita, quæ posteà præcipua fuit causa horum symptomatum. Illum sanè calorem in pedibus, ex eo arbitror prouenire, quòd, cùm passus sit aliàs erisypelata in ijs partibus, et nunc, cùm admodum cooperiantur, excitatur ille calor. Ille autem stupor factus est propter pituitam eò dilatam, quæ quidem etiam pituita delata ad uasa seminaria & colatoria seminis, atque urinæ, fecit obstructionem, ut non poßit semen emittere. Quare uerò ob titillationem testium & penis urina emittatur, dicendum est, quòd spiritus excitantur ob illam titillationem, qui calidi aperiunt sibi uias, & uirtus expultrix propter eas uias factas à spiritibus faciliùs posteà expellit urinam. Manus uerò clausa, quòd non poßit aperiri, & contra, hinc factũ esse existimo, quòd, cùm deferantur uapores ad eas partes crudi, qui cùm non poßint rectè resolui, faciunt ea symptomata: opprimunt enim musculos, ne poßint fungi officio suo. De dolore uerò dorsi, ego crediderim esse calculum in renibus satis insignem, ob labores perpessos, & ob uim doloris, & quia causa efficiens fuit calor. s. & materialis, pituita nempe. Oportet igitur, ut uentriculus & hepar alterentur per calida & sicca. Sed ante id secetur uena basilica, & extrahantur ℥ x. sanguinis, quoniam est uirtus fortis, & abundantia multa. Deinde per syrupos Cichorij
disponenda,

disponenda, & concoquenda est materia, quæ per Colocynthida uel per Hamech est euacuanda semel, & bis, instituto attenuante uictu, & posteà reducendus est uentriculus, heparq; (si fieri potest) ad temperiem: id autem fiet per balnea.

Consult. XXVIII. (seu potius animaduersio quædam) qua fluxionum omnium nomina, causæ, & signa ostenduntur.

SVPPONAMVS *fluxum uentris, (ut alias ostendimus) esse actionem læsam facultatis expulsiuæ intestinorum. Vel igitur huiusmodi læsio primogenio affectu inerit intestinis, uel aliunde communicabitur, si aliunde communicatur, uel ad ipsa non transmittitur, quod trãs mitti debet, uel defertur, quod deferri non debet. Dicimus nõ transmitti quod est transmittendum, quoniam facultas motiua à cerebro descendens, aliqua occasione intercipitur, ita ut inde musculi in recto intestino existentes resoluantur, & inde continuò, præter uoluntatem excrementa egerantur, sicut contingit in epilepsiis, apoplexijs, & in aliqua interdum paralysi. Hoc fluxus genus, sub symptomatis sensu contentum, nomine carens, tanquam quæ semper à sua causa pendeat, et eius curatione tollatur. Defertur autem, quod deferri non debet, uel à causa extrinseca, ut à cibis, uel qualitate uel quantitate, uel ordine, uel tempore sumendi excedentibus, aut ratione medicinæ nimium effrænis, uiolenter attrahentis humiditates, & mordicantis, aut ratione ueneni assumpti colliquantis, & putrefacientis. Quodlibet horum ex proprijs accidentibus, & ex historia*

storia

ſtoria relata per ægros, uel aßidentes dignoſcitur, uel fiet à cauſa intrinſeca, & tunc uel motus huius cauſæ erit naturalis, uel præter naturam. Si naturalis, criticus hic fluxus dicitur, conſequiturq; ægritudines, nullo plærunque remedio indigens, ſi erit præter naturam quod fertur, uel erit ſanguis, & hic uel ab hepate tranſmittetur ad inteſtina ob alterantis potentiæ imbecillitatem, atque hæc imbecillitas à duplici cauſa fieri poteſt, à caliditate. ſ. & frigiditate. Si à caliditate fiat hæc imbecillitas, ſanguis effluens erit craſſus, nigerq;, ſi uerò fuerit ob frigiditatem, erit ſanguis tenuis, ablutioni carnis recenter mactatæ ſimilis, appellabiturq; hic fluxus hepaticus: uel ab omnibus uenis deferetur ob mutilationem alicuius membri, aut retentionem hæmorrhoidarum, aut menſtruorum, aut fluxionis ſanguinis, uariusq; erit ſanguis defluens ruber, & naturalis. Eſt autem uterq; horum defluxuum ſine dolore, atq; hic ultimus à Galeno cruenta dyſenteria uocatur. At, ſi, quod defluit bilis fuerit cũ alijs quãplurimis humiditatibus ĩ extraneas qualitates à putrefactione immutatis, appellari ſolet hic fluxus nomine generis diarrhœa, cuius notæ ſunt egeſtio bilioſa cum prædicta humorum diuerſitate, dolor nunquam in eodem loco perſiſtens, ſed omnia inteſtina modò hîc, modò illîc ueluti lacerans, ac diuellens: multitudo excrementorum cum fœtore, totiusq; corporis repentina extenuatio. Vel erit, quod defertur pituita, quæ uel à ſtomacho, uel à cerebro deſcendit: & hæc uel acida uel ſalſa, uel inſipida, quæ à cerebro deſcendit cognoſcitur per ſigna deſtillationis aut catarrho, appellaturq; hic fluxus à recentioribus cerebra=

sanguinis fluxus

diarrhœus fluxus

pituitæ fluxus

cerebralis. Si uerò à stomacho fit, discernetur per impotentiam, per nauseam, per paucitatem sitis, diceturq; hic fluxus stomachalis. Si pituita erit acida, dolor erit moderatus, iuuabiturq; uenter à calidis. Si insipida, nullus omninò dolor infestabit. Si salsa, dolor erit uehemens, & sitis, quandoq; febris, & abrasio intestinorum, quam ferè semper dysenteria subsequitur. At si, quod defertur, nigrum fuerit, uel erit succus melancholicus purus, non assatus, qui ob imbecillitatem splenis deijcitur, appellaturq; hic fluxus splenicus, uel (ut isti dicunt) spleneticus. Vel erit atra bilis genita, propter succi melancholici, uel bilis flauæ assationem, à qua in eodem die plærunque fit lœthalis dysenteria, cancriq; intestinorum. At si fluxus uentris fuerit primogenio affectu, uel erit ob malam intestinorum intemperiem, & fluxus iste stercorosus uocatur: neque enim excrementa retinentur ob intestinorum imbecillitatem, sed crebrò egeruntur. Notæ huius fluxus sunt liquida, ac non admodum fœtida excrementa, sub tamen forma stercoris, pituitæ commixta, modicus uentris dolor, excitatio ad egestionem interdiu frequentius quàm noctu, ac præcipuè sumpto cibo. Quòd si talis mala complexio, non intestina tantùm, sed etiam uentrem obtineat, fluxus iste lienteria, & quandoq; cœliacus nuncupatur, qui maximè indicatur, quoniam cibus sumptus statim egeretur, parum aut nihil immutatus. Vel uitium erit in compositione, & tunc uel obstructæ erunt uenæ Mesenterij, & inde generatur fluxus, quem chylosum uocant, quem indicabit chylus, cum fæce liquida egestus, nullius aut pauci admodum fœtoris particeps. Vel erit ob cicatricem, à

dysen=

dysenteria in uentriculo aut intestinis relictam, euenitque inde alia species lienteriæ, de qua loquitur Paulus. Vel erit solutio continui.i. ulcera in intestinis, & hæc uel in quinque superioribus, appellaturq; hic fluxus cõmuni nomine dysenteria, quam acerrimus intestinorum, continuusq; subsequitur dolor, egestionesq; cruentæ ac saniosæ. Vel intestino ultimo, quod rectum uocant, & est tenasmus, qui cognoscitur ab inani & ingenti egerẽdi desiderio, doloreq; acerbißimo, sedis loca torquente. Notandum, apud antiquos cœliacum affectum quandoque sumi pro lienteria, & cum illa confundi, quandoq; pro eo fluxu, quem nos diarrhœam diximus appellari, & hoc est necessarium uobis aduertere, ut remedia distinguere sciatis ad cœliacos, ab antiquis descripta, quæ quandoque uidentur opposita, ac reuera ita sunt. Nec mirum, quoniam & cœliaci affectus nomen æquiuocum est, & ad dispositiones contrarias. & hæc de fluxibus dicta sufficiant.

Tenesmus

Nota de celia cu.

Consult. XXIX. Pro quodam patiente ophthalmiam. et alias i oculo iflamationes.

Cvm simus pertractaturi de eo affectu, quo laborat magnificus hic adolescens, & qui à Græcis Ophthalmia appellatur, tria sunt à nobis quàm breuißimè agenda. In primis sunt declaranda ea accidentia, quae in hoc adolescente apparent: deinde huius affectus essentia per proprias causas est inuestiganda, postremò de curatione ipsa breuißimis uerbis est agendum. Quantum pertinet ad primam partem, apparet in primis in hoc adolescente inflammatio illius oculi tunicæ, quæ coniunctiua nominatur,

minatur, deinde non solum in ea parte est inflammatio, uerum etiam in palpebris, quæ inflãmatio dicitur à Græcis echinophthalmia. Postremò, quandoque etiam apparuit inflammatio in cornea tunica, quæ à Græcis dicitur chymosis, à Latinis autem suffusio. Hoc autem proprium fuit huic adolescenti, quod nunquam uidendi facultate in hisce inflammationibus priuatus est, nisi quandoque, licet leuiter, in ipsa suffusione. Hæc sunt quæ in hoc adolescente apparent. Quantum uerò pertinet ad secundam partem, certum est, quod cùm affectus hic sit inflammatio, inflammatio autem fiat per defluxum humoris à prædominio calidi, certum est (inquam, in hac inflãmatione esse defluxum. Antequam autem ad defluxum declarandum accedamus, sciendum est, inflammationẽ, in quacunque parte corporis sit, eiusdem semper esse naturæ, uariari tamen ipsius nomen secundum loca, in quibus inuenitur, ut patet in ophthalmia. Adhæc notari debet, inflammationem semper fieri ab humore calido, uel sanguineo, uel sanguine bili admixto, licet secus opinatus sit Auicenna, qui ab humoribus etiam frigidis uoluit fieri posse inflammationem. Ego autem puto, defluxum talium humorum non posse generare inflammationem, sed alium tumorem præter naturam. Cùm igitur ophthalmia sit inflammatio meritò fiet ab humore calido, Iam demonstrauimus ophthalmiam fieri per defluxum. In omni autem defluxu quatuor necessariò sunt, humor, locus, seu pars à qua transmittitur ille humor, membrũ in quo talis humor recipitur, & uiæ, per quos talis humor transmittitur. Consideremus quatuor hæc in hoc adolescente, quibus si adiunctæ erunt causæ, abunde cognosce-

flamatio ab humore frigido fieri cõtra Auic.

gnoscemus naturam huius affectus, atque essentiam. Humor in hoc adolescente est sanguineus et calidus, admixtus etiam bili crassæ, ac cæteris humoribus, à prædominio tamen calidus, & sanguineus: id autem testatur & color loci affecti, nempe rubeus, et leuis dolor, & multus humor ipsorum oculorum, qui quidem sanguinem ipsum declarat. Prætereà & curatio, ut utar ratione Hippocratis, id ipsum declarat, nam mißio sanguinis maximè illi confert, neq; per aliam uiam, quando primò inuasit, sublatus est, quàm per sanguinis mißionē: signū est igitur, causam huius defluxus esse humorem calidum & sanguineum, id etiam testatur temperatura calida, de qua posteà loquemur. Membrum mandans hepar est, cum in eo sanguis generetur, à quo transmittitur humor peccans: hoc enim membrum in hoc adolescente calidum est, quod & ex pilis nigris & ex colore subnigro declaratur, et ideò generat plurimum sanguinis calidi & feruentis: quale enim membrum est, talis est humor qui ab eo generatur. Quantum uerò attinet ad qualitates paßiuas, puto hepar esse temperatū. Quam ob rem ij, qui tali præditi sunt temperatura, ex sententia Galeni in secundo libro de temperaturis, carnosi sunt, et generant plurimum sanguinis calidi. Cùm igitur talis sit temperaturæ, nō est mirum si talem sanguinem generet, qui calidus cùm sit tendit ad partes supernas: calidi enim proprium est, sursum ferri, et ideò uera erisypelata ex subtili sanguine, uel bili subtili admixto fiunt in partibus supernis, nam in infernis partibus fiūt tantùm spuria erisypelata. Cùm autem sanguis hic feruidus sit, non omninò aptus est ad nutritionem, humor enim

enim dulcis & mitis optimè nutrit, & ideò expellitur quod reliquum est ex nutrimento huius sanguinis à uirtute expultrice (quæ fortis est in hoc corpore, cùm calidum sit, et meatus ampli) ad ipsum cerebrum: cerebrũ uerò per accidens & secundariò ad partes imbecillas transmittit. Cùm enim redundat recrementum aliquod, semper deuenit ad partem imbeciliorem. Membrum uerò recipiens ipse oculus est, qui debilis est, et præsertim ipsius tunica coniunctiua, et palpebræ. Ad has enim partes à uenis iugularibus intrinsecis capitis deueniunt uenæ deferentes sanguinem. inflammatio enim fit, cùm sanguis ex amplioribus uenis in strictiores, et tandem in aliquam partem extra uenas decumbit: ubi putrescens, efficit inflammationem, atque hæc causa est, quare in humoribus non fiat inflammatio, et cæteris partibus, cùm ad eas uenæ nõ pertingant: pertingunt autem ad coniunctiuã & palpebras. Oculus autem debilis est, propter insitam tum malam compositionem, tum temperiem. Vergit autem ista inflammatio magis ad oculum sinistrum, quoniam pars sinistra naturaliter dextra debilior est. Viæ uerò, per quas defertur hic humor sunt uenæ, quas iugulares appellant, quæ disseminantur postea in coniunctiuam, et palpebras. Ita igitur dictum est à nobis de omnibus rebus, quæ in omni defluxu sunt. Aduertendum autem est in hoc adolescente caput esse calidum et humidum. His declaratis, considerandæ sunt ipsæ causæ, quæ uel intrinsecæ sunt, uel extrinsecæ. Intrinsecæ sunt, sanguinis calidi multitudo, ab hepate calido dependens, quæ tendens ad cerebrum, & oculum facit hanc inflammationem, quod etiam ex curatione,

quæ per uenæ sectionem sæpe facta est, declaratur. Extrinsecæ causæ sunt mala uiuendi ratio, coitus, nimium exercitium, & id genus alia. Explicata iam essentia & cognita huius affectus, est deueniendum ad ipsam curationem. Curatio autem ipsa haud simplex est: uel enim debetur morbo facto, uel futuro. Quantum pertinet ad morbum factum, cura est manifesta, cùm is tollatur per sanguinis mißionem. Quantum attinet ad præseruationem, utendum est in primis recta uiuendi ratione, ut cibis, qui refrigerent, et non augeant sanguinem, ut ptisana est. Vinum sit tenue, et aquosum, ita enim refrigerabit corpus & deriuabit humorem ad caput tendentem. Vterer etiam aqua, per quam sanata fuit ipsius soror, nisi debilitate uentriculum afficeret, & nimis in hypochondrijs hæreret. Vtatur etiam moderato exercitio. Verùm hæc non sufficient, nisi interdum utatur aliquo medicamento corpus ipsum expurgante, et diuertente materiam ad caput tendentem: & ideò, Caßia cum Hiera, uel Rha barbarum cum Hiera mihi summopere probatur, expurgat enim humorem ad caput tendentem, Myrobalani etiam, Chebuli dicti, secundum omnem modum administrationis mane & serò conueniunt, uerùm neque hæc sufficient. Cùm enim sanguis perpetuò generetur in maiori copia, et calidior quàm conueniat, aderit continuò causa ophthalmiæ, unde sequetur morbus, et ideò intentio nostra in hac cura maximè est dirigenda ad tollendum hunc humorem, nam de partibus non est cura habenda. Supponatur autem in primis, renes esse horizontem definientem partes supernas à partibus infernis, deinde sciendum est,

est, quòd diuersio uel simplex est, uel composita, si materia fluxura est, fit diuersio simplex, quoniam morbus non est, neque est euacuanda materia à loco læso, atque hæc diuersio fit per locum remotißimum secundum rectitudinem. Si uerò est, & causa, et morbus, tunc diuersio erit composita, et eligemus medium locū, per quem & causam tollamus, morbumq; ipsum, uel materiam, actu morbum facientem. Quòd si materia tantum est in loco, neque amplius fluat, tunc est facienda deriuatio per locum propinquum. In hoc adolescente, cùm non sit ampliùs ophthalmia, sed egeat tantum præseruatione, eligemus locum remotißimum, hoc autem crus est sinistrum, si sit ophthalmia in oculo sinistro, hæc enim pars remotißima est, cùm sit sub renibus, & secundum lineam rectam: & ideò in hac parte fiat cauterium, posteà uerò aliud erit efficiendum in brachio, si urgebit res. Quòd si actu esset ophthalmia, tunc cauterium in nucha erit efficiendum, cucurbitulæ in collo applicandæ, & sub auribus affigendæ, ita enim à loco læso materia euacuabitur. Et hæc dicta sint de ophthalmia.

Compositio ad vermes.

℞. Gentianæ
Centaurei minoris
Aloës
Agarici ana ʒ ij.
Caryophyllorum
Nigellæ
Costi
Sem. Santonici

Anisi
Scordij ana ʒ i. s.
Cornu cerui usti
Rosarum rubearum
Sem. Acetosæ
Margaritarum ana ʒ i. *Puluerizentur omnia per se subtiliter, deinde misceantur, posteà inspergantur succo Limonum admixto cum acerrimo aceto & aqua rosacea æquis portionibus, et permittantur exiccari, & hoc iteretur septies. Vltimò adde Croci* ʒ s. *Musci, Ambræ ana gra. x. & cũ syrupo de corticibus Citri fiat Magdaleon, et tutò dari potest à* ʒ i. *usque ad duas, & potest fieri pauca dosis, et multa, prout libuerit, si uoletis, in officina conseruari potest, et confici pillulæ, uel in bolo exhiberi, cum modico mellis rosati, uel pulue-rizetur, & cum aqua Cardui benedicti potest sumi, prout magis ægro satisfiet.*

Consult. XXX. Pro quadam muliere patiente diuturnum capitis dolorem: & quodam viro patiente stomachi imbecillitatem.

SIC. ℞. *Ligni sancti abrasi lib. i.*
Corticis eiusdem ligni ℥ s.
Aquæ claræ fontis lib. xviij. Misceantur omnia in uase terreo, ad usum adhuc nõ accomodato, sed priùs humefacto, capace prædictæ aquæ quantitatis, atque stent in infusione per horas 24. sæpe illa miscendo. Applicetur deinde uas hoc igni claro, non uiolento, fiatq́; decoctio usq; consumptionem tertiæ partis ipsius aquæ, quo facto ponantur in eo decocto huiusmodi herbæ, bul-

liantq; usquequo molles, teneræq; reddantur. Pro uiro hæ sint herbæ, Betonica, Serpillum, Mentha, Borago. Pro muliere autem Betonica, Fumus terræ, Perforata, Borago, accipiaturq; singulorum ana pugil. i. Deinde ℞. Vini albi maturi, non in excessu potentis lib. iiij. prædicti ligni ℥ iiij. Misceantur, & stent per aliquod tempus in infusione sine alia decoctione. Facta posteà decoctione ligni ex aqua, atque ab igne semota, proijciatur supra eam uinum unà cum ligno prædicto, cooperiaturq; uas usquequo refrigeretur decoctum, factaq; diligenti colatura, reponatur decoctum in uase uitreo bene obturato. Dum fit decoctio, spuma conseruetur, utilis ad capitis dolorem. Modus autem usus huius decocti talis erit. Mane per horam ante diem assumat huius decocti seu syrupi calidi ℥ vi. quiescatq; posteà per horas 4. intereà, si sudor proueniret, dabitur opera ut exiccetur, et non refrigeretur. Post quietem assumet alimentum, serò pariter hora 23. potabit eandem uini quantitatem, quiescatq; in lecto usque ad secundam uel tertiam noctis horam, quo quidem tempore poterit cibum assumere. Prætereà. ℞. quod reliquum est ligni ex prima decoctione, aquæ fontis lib. 36. infundanturq; omnia per horas 12. fiatq; decoctio usque ad consumptionem tertiæ partis, et additis lib. viij. uini, quo quidem pro potu utatur. Si quid ligni remanebit adhuc, poterit illud quidem in alia aqua decoquere interdum, cuius usus erit ad crurum, & pedum lotiones, et per consequens ad diuertendum. Aduertendum, quòd si, dum hoc uinum huiusmodi ordine assumunt, ægrotis superueniret calor aliquis insolitus aut alius labor multi mo-

menti, cessandum esse puto per duos dies à uini assumptione, aut saltem per unum, uel sumet uinum semel in die usquequo illud accidens quiescat. Et si corpus uidebitur excalefactum, utatur hordeo, aut farre optimè mundo, & decocto, atque condito iure carnium, de quibus posteà erit sermo. Numerus dierum, quibus uti debet hoc remedio, non est determinatus, quia neque morbi, neque causæ neque complexiones, et ætates in omnibus sunt æquales, quia tamen 40. dies communiter determinantur, uolo, ut cùm hi ægroti ad xx. diem peruenerint, quiescant per unum diem, et assumant eas pillulas, quas posteà describam ordine consueto. Cibi sint boni succi, facilis digestionis, ut gallinæ, capi, pulli, pernices, auiculæ, uitelli ouorum recentes, & tremuli. Vsus harum carnium erit, ut elixentur aliquo conditæ sapore excitante appetitum absque nocumento capitis. Abstineat à piscibus, leguminibus, carnibus craßis, cibis salsis & acutis. In ferculis utatur interdum Fœniculis, Boragine, Mentha, Anethoq; & nonnullis folijs Betæ. Vtatur interdum Boragine tantum condita, temperata aceto atque passulato. Cappares etiam interdum laudo eodem modo conditos. Cubiculum sit clausum, & calidiusculum. Vitet diurnum somnum, infusionem manuum in aqua frigida. Habeat quotidie aut saltem alternis diebus beneficium uentris. Vitet quamcunq; acutam cogitationem, omnia prætermittens, præter spem sanitatis suæ, dependẽtis tamẽ in primis à Dei bonitate. Antequàm incipiat assumere hoc uinum, si hoc anno illi non fuisset secta uena, suppreßis menstruis laudo, ut cõstante uirtute sibi secetur uena pedis saphæna, prope tempus

tempus ſuarum purgationum, hoc eſt, per ſex dies ante. Ante uenæ ſectionem per quatuor dies aſſumet decoctũ Betonicæ, Saluiæ, Boraginis & Matricariæ cum ſaccharo, ad quantitatem ℥ iij. uel iiij. Et poſt etiam uenæ ſectionem per quatuor ſimiliter dies idem decoctum potabit: Quo facto, aſſumet huiuſmodi pillulas.

R. Pillularum de Fumoterræ
Indarum, Cocciarum ana ʒ ſ.
Cum ſyrupo de Betonica fiant pillulæ v. Quod ſi ſibi menſtrua effluerent, finito tempore eorum, prædictum decoctum per 6. dies aſſumet, et poſteà pillulas aſſumet, quieſcatq; deinde per unum diem, et poſteà uinum incipiat aſſumere. Sed ne etiam caput relinquatur ſine aliquo remedio exteriori, conſiliũ do, ut ægrotæ caput ungatur ſpuma ligni primæ decoctionis. Quòd ſi maioribus remedijs egeret, licet pleriſq; uſa ſit, laudo tamen unum, quod & magni uiri eſt, & ipſa etiam experientia comprobatum.

R. Serpilli
Verbenæ
Roſarum, licet ſiccarum ana ʒ ij. decoquanturq; in oleo communi in duplici uaſe, et hoc oleo inungat ſibi caput ante & retro. Laudo lotiones pedum, & aſſumendo uinum & nõ aſſumendo. Prætermitto caputpurgia, maſticatoria, quia quouſq; uinum hoc aſſumet, erit à cæteris remedijs ſuperſedendum. Hoc tantum dicam, quòd aſſumpto uino, ſi nõ ſuccedat, quemadmodum ſpes eſt, laudo ut fiat ſibi cauterium poſt caput, aut ſaltem foramen equinis crinibus, quod ſedazum uulgò appellant. In cooperimento etiam capitis laudo, ut ſibi hæc imponantur,

nantur, Maiorana.s.Saluia, Mentha, Betonica, Sena, Caryophylli, nux muſcata, Cinnamomum. Pillularum, quibus uti debet ægrota medio tempore aſſumptionis uini, deſcriptio talis eſt.

R. Pillularum de Fumoterræ

Aggregatiuarum

De Rhabarbaro ana ℥ s. Cum ſyrupo de Fumoterræ fiant pillulæ v. Pro uiro autem hæ pillulæ erunt commodæ, quibus utetur ſingulis menſibus, aut alternis ſaltem, et ſi illi erit animus ſumendi uinum, per tres dies ante eas aſſumet, uitans cibos craſſos, frigidosq́; uinumq́; noxium, & ſuperfluum cibum.

R. Pillularum de Hiera cum Agarico ℥ i. s.

Fiant cum melle roſato pillulæ v. Sumptis his pillulis, poterit etiam uti interdum, ſi opus erit pillulis ex Aloë lota, ad corroborandum ſtomachum bis in hebdomada, eo.s. tempore cùm ſtomachus erit perturbatus.

R. Pillularum Aloës lotæ ℈ i.

Conſult. XXXI. De cauterio.

FRIZIMELICA. Omnia cauteria aut ferro fiũt, aut medicamento acuto. Medicamenta uerò acuta aut ſubtilium partium ſunt, ut Euphorbium, aut craſſarum, atque ita ſicca, ut ſua ſiccitate membra corrumpant. De cauterio quod ferrò fit, cùm inter Medicos de eo conſtet, nihil dicam in præſentia. De eo uerò, quod acuto fit medicamento pauca ſubijciã. Medicamenta acuta ſubtilium partium, ut Euphorbium, non rectè ingrediuntur cauteriorum potentialium compoſitionem, id autem eſt, quia nimis inflammant. Ob id etiam, medicamenta quæ

crassarum partium sunt & sicca admodum, à me non laudantur. Metallica interim medicamenta non carent reprehensione. Quam ob rem medicamenta horum cauteriorum, duo in se habere debent, & quod acutum sit, & quod exiccet, ita, ut acuties siccitate reprimatur, & siccitas acutie adiuuetur. Tale autẽ medicamentum, est quod ex calce, & cinere constat: in utroq; enim simplici uis est & acuta & exiccandi. Verùm quia hæc uniri non possunt, nisi per medium, ideò fit, ut aqua necessariò ad horum mixtionem requiratur, sed in hac frigiditas & humiditas remaneret, nisi omnia simul decoquerentur, igitur decoctio horum est efficienda. Inter cineres, ficus cinis, Spicæ, caprificiq; laudatur, nec non cinis, qui ex Quercu montana, Iunipero, Fraxino, Nuce, & sarmentis conficitur. Validus etiam is cinis est, qui fit ex stercoribus uaccarum, boum, canis, & leporis, & ex nucleis oliuarum & uuarum. Sarmenta quinetiam leguminum, ut Fabarum, Cicerum, coria animalium, ut boum combusta, & ranæ in olla occlusæ optimum cinerem efficiunt. Omnia autem hæc in olla, præter sarmenta, sunt comburenda, & hæc de cinere dicta sint. Calx uerò fit ex marmore, et lapidibus uiuis combustis. Quin etiam testæ animalium, & cortices ouorum, & nitrum si comburantur in olla, calces optimas pariunt. Calx autem recens esse debet. Sunt qui calcem & cinerem ex fæce conficiant uinaria, quam tartarum appellant. Hæc sunt, quibus utendum est pro calce, neque tutum esse puto ad Arsenicum, Calcanthum, atramentum sutorium deuenire, & hæc de calce. Modus uerò conficiendi cauterij multiplex est, interdum enim acre, interdum me-

diocre,

diocre, interdum leue conficitur. Acre fit, cùm recipiuntur, utriusq; partes v. & cinis etiam acrior sumitur, sin mitius est faciendum, partes duæ cineris, et tertia calcis accipientur. Si igitur conficiendum huiusmodi cauterium est, accipiemus calcem contusam cum cinere, ac deinde hæc duo ponantur in olla fundum habente perforatum, & aquæ dulcis lib. 7. aut 8. (si mixtura ipsa erit libra una) superponantur, deinde defluat aqua in uas suppositum, & iterum infundatur, & hoc frequenter fiat, & per duos dies, quousq; uideris aquã nigricantem aut albicantem. His factis, iterum tantundem calcis & cineris in ea aqua ponatur, atque in ea tandiu maneant, & agitentur, quousq; aqua acris & salsa reddatur. Mox fiat decoctio in uase æneo magno, & cùm facta erit decoctio ad certam spißitudinem in uas minoris capacitatis mutetur, & ita frequenter mutetur, quousq; in sal redigatur, quod posteà in uase uitreo clauso angusti orificij, atque in loco sicco prope ignem erit conseruandum. Alius modus cõficiendi cauterium est per distillationem, nam ea aqua, de qua facta fuit mentio, si distilletur, ualet primus liquor ad dentium absterstonem, secundus ad ulcerum exiccationem, tollendaq; carnis condilomata, tertius est omnium acris, quo utimur ad uesicas & leuia ulcera inducenda. Postremò post effluxum horum humorum seu liquorum in uase remanet sal, quo utimur pro cauterio, atque ij duo sunt modi conficiendi cauterij. Notandum autem est, uas illud, in quo aqua ponitur tres partes uacuas, & unam plenam habere debere. Tempus autem applicandi cauterij est cùm corpus est ab excrementis uacuum:

cuum: locus autem esse debet is, qui sit aptus ad deriuandum, ut si à capite deriuandum sit, in cruribus, brachijs, uel collo est ponendum, seu applicandum: cauenda sunt capita musculorum in applicatione, uenæq́;, nerui & arteriæ. Cùm applicatur capiti cauendæ sunt cõmissuræ ob fila neruea, quæ à dura membrana oriuntur, cauenda sunt loca nobilis, multiq́; sensus. Applicato cauterio uelum tinctum triapharmaco est ponendum, & ne ulcus putrescat, Cerotum album est applicandum, et si locus dolet, linimento aliquo est utendum. De cauterio uerò, quod ignito ferro fit, nihil aliud dicam, nisi quòd consulo, ut ab eo abstineamus, ipsiusq́; loco potentiali potiùs utamur.

LECTORI.

Consilia aliquot Montani, breuiora licet, quæ ex eius colloquijs obiter excerpta sunt: tamen, quia vtilia sunt, omittere nulla ratione potuimus.

Consult. XXXII. In suffusione oculorum.

SVFFVSIO est morbus in situ, & fit cùm aliquis humor collectus est inter corneam tunicam & pupillam: curatur potißimum acu pungente, sed priùs est corpus purgandum.

Consult. XXXIII. Pro corroborando capite.

PVLVISCVLI inspersi capiti ex Macere, Caryophyllis, Maiorana, Ozymo, rosis & Sandalis. Hæc enim super caput debent inspergi, & posteà pyleum est imponendum. lixiuium dulce quinetiam ad rem est, factum non ex cinere, sed ex Assaro, Sena, Polypodio, Chamæmilla,

Chamæmilla, Stœcade, Maiorana, Iride. Sapo fiat ex Mace, Caryophyllis, Muſco, Cinnamomo, & Ambra, atq; etiam Agarico. Antidota uerò in huiuſmodi caſu conuenientia ſunt Theriaca, Mythridatum, Saccharum roſatum, Myrobalaniq; Chebuli conditi.

Conſult. XXXIIII. Pro cura Vertiginis.

PRO *curanda uertigine eſt prohibenda generatio uaporum & humorum, quod quidem fiet per uictum in ſex rebus non naturalibus ſecundum rationem inſtitutũ, prohibendi ſunt uapores geniti, ne aſcendant, & diuertendi ſunt humores, quod ſanè fiet duplici inſtrumẽto, medicamentis. ſ. & chirurgia. Medicamenta erunt ſyrupus roſatus ſolutiuus cum Rha barbaro, uel*

℞. Caſsiæ ℥ i.
Agarici ʒ i. s.

Miſce. Pillulæ quin etiam factæ ex Rha barbaro, Agarico, & Hiera. ſ. ſummopere conueniunt. Antequam autem purgetur humor peccans, præparandus eſt conuenientibus ſyrupis, ſicuti eſt ſyrupus acetoſus de acetoſitate Citri cum aqua Pentaphylli, & Acetoſæ, per chirurgiam diuertentur humores, in primis quidem cauterijs factis in cruribus. Deinde, ſi aperiantur hæmorrhoides non ſanguiſugis, cum ſanguinem attrahant ſubtilem & craſſum relinquant, ſed ab alijs inſtrumentis. Vltimò caput eſt corroborandum. Ad hanc autem intentionem conueniens eſt ſaccharum roſatum, confectio Diatriaſandalon, & Myrobalani conditi: puluis etiam in aures iniectus ex Sandalis, Myrtis, roſis, & Sandaraca,

raca conueniret ad refrigerandum, quemadmodum etiã si super caput hæc aspergantur. Odoramentũ prætereà esset cõueniens factum ex Sandalis, rosis, Violisq; & Nenuphari, Camphora, atque ex aceto rosato & sindone odoraretur. Extrinsecus etiam conueniret inunctio olei rosati.

Consult. XXXV. Pro Catarrho defluente ad pectus.

FRIGIDVS est hic catarrhus, crassus partim, & partim tenuis, partimq; fluens, & partim iam fluxus. Conuenit igitur pro curando huiusmodi catarrho modica quidem sanguinis mißio, sed crebrior. Præparandus deinde syrupis catarrhus hic est, quemadmodum sunt syrupi, de Liquiritia, de Hyssopo, de Farfara, & de Betonica. Medicamenta uerò purgantia erunt, ut Agaricus cum Caßia, uel cum Terebinthina, pillulæ aggregatiuæ, de Hiera cum Agarico, Cocciæ, Myrobalani. Pro corroborando capite, & pulmone, ne reciperet catarrhum descendentem, conueniens est saccharum rosatum cũ bolo Armeno, qui maximè prohibet descensum catarrhi, idq; post purgationẽ. Ad corroborãdum uerò caput & pulmonem conuenit Theriaca, uetus & noua, Myrabolani Chebuli conditi, à quibus etiam hepar & uentriculus corroborantur. Balneũ etiã ad diuertẽdum catarrhum laudatur. Expurgandum etiã esset caput, et pro caputpurgio succus Cyclaminis opus est. Pro masticatorio Mastyx simplex, dein Staphisagria cum Pipere. Cauteria quin etiã in crure, brachijs, & genu conueniunt. Sinapismus ex Thapsia, & flammula

mula Iouis & Apio canino, seu Ranunculo facit ad catarrhum diuertendum.

Consultatio XXXVI. Pro muliere patiente catarrhum, flatus & rugitus in intestinis, fluxũ hæmorrhoidalem, diminutionem menstruorum, cachexiam, & dolorem in pectore.

MVLIER *hæc, quam curandam suscepimus, est calidæ & humidæ cerebri temperaturæ, calidi & sicci cordis, atque etiam hepatis, & frigidioris atque humidioris uentriculi. Hæc autem intemperies horum membrorum est ascititia, naturalis uerò est calida & humida. Laborat catarrho à capite descẽdẽte, quiin substantia modò tenuis, modò crassus est, & sapore insipidus. Patitur deinde flatus, & rugitus in intestinis, necnon fluxũ hæmorrhoidalem in maxima quantitate, præcedentem semper tempus menstruorum. Menstrua tamen in hac muliere sunt diminuta. Patitur arefactionẽ in corpore, & cachexiam. Vrinæ sunt tenues, albæ, & crudæ. Postremò patitur dolorem in pectore, qui ante fluxum menstruorum incipit, & post desinit. Causa catarrhi est intemperies frigida, & humida uentriculi, cuius ratione superfluitates abundant, & uapores, qui posteà caput petunt. Est etiam intemperies calida hepatis, à qua multi uapores ad caput transmittuntur. Caput uerò cũ sit calidum & humidum facile suscipit quæcunque excrementa. Accedit ad hæc error in uictu & aëre, qui subtilis est, & reliquis rebus non naturalibus. Quòd uerò catarrhus modò sit crassus, modò tenuis, id est ratione uariorum ciborum, & uariarũ cõ-*

co-

coctionum. Est autem insipidus, quia caput humidum est, & uentriculus. Flatus uerò illi, rugitus atque dolores ab humoribus frigidis à capite descendentibus, & qui à uentriculo generantur, fiunt à debili calore, unde eleuantur plurimi flatus, ex quibus fit dolor & rugitus. Fluxus hæmorrhoidalis fieri potest uel ratione dilatationis meatuum, & uasorum, uel ratione orificiorum, quæ sunt nimis patefacta, uel fit uitio sanguinis, idq; uel quia plurimus est, uel tenuis, uel acris, uel humens, uel ratione uirtutis expultricis membrorũ mandantium, uel propter imbecillitatem membrorum recipientium. Omnes autem hæ causæ in hac muliere concurrunt. Est in primis dilatatio orificiorum & uasorum, quia fluxus hic à rebus calidis irritatur, & ab astringentibus cohibetur, fit etiam ratione copiæ, quia maxima quantitas sanguinis apparet, & dimissa est sectio uenæ. Fit etiam ratione tenuitatis & acredinis sanguinis, ut ex ipso sanguine manifestum est. An uerò fluat à supernis partibus, dubium est. Nam si flueret, esset commixtus fæcibus. neq; ualet ratio sanguinẽ hunc non posse fluere ab hæmorrhoidibus, quoniam fit in maximà quantitate, id enim falsum est. Habet menstrua diminuta, tum quia habet 40. annum, tum quia aliò tendit sanguis. Vrina est cruda, & tenuis, tum quia serum aliò tendit, tum propter imbecillam uentriculi concoctionem, & nutritionẽ. Dolor in pectore, quoniam materia à capite descendens, tendit ad uenas pectoris, easq; distendit, & cessat posteà, quia ea materia per menstrua expurgatur. Cachexia illa fit propter malam concoctionem et nutritionem. Haec autem

mulier

mulier facile incidit in hydropem propter fluxum hæmorrhoidarum, nihilominus non sunt adstringendæ hæmorrhoides, sed semper una aperta seruanda est, ne fiat diuersio sanguinis ad alias partes. Vt curetur, necesse est omnia membra corroborare. Et quoniam æstas est, ideò laudo syrupum de Endiuia, confert enim ad corroborandum iecur, & uentriculum. Pro capite, Syrupus de Betonica, mel rosatum, Zeuma saccharinum conueniunt. Atque ex singulis ℨ vi. accipiantur cum decocto uel Cichorij, uel comæ Absinthij, uel Betonicæ, uel Violarum. Posteà cum Manna, uel Caßia & infusione Rhabarbari, uel cum syrupo rosato solutiuo erit corpus expurgandum. In autumno, si uellet sese expurgare, uteretur oxymelle composito, Agarico, & confectione Hamech. Pro corroborando uentriculo & capite uti debet saccharo rosato, & bolo Armeno ante ingressum lecti. Vtatur lotionibus capitis, cum rosis Balaustijs, corticibus Granatorum, & Agarico in lixiuio decoctis, & sapone confecto ex Agarico, & Iride. Pro flatu utatur saccharo rosato cum Cinnamomo, & Caryophyllis. Ad corroborandas uirtutes uti debet Myrobalanis Chebulis, Indis, Citrinis. Vtatur etiam confectione ex Pistachijs, & seminibus Melonum, atque pineis conflata.

Consult. XXXVII. Pro cura Hypochondriacæ Melancholiæ.

PRO præparatione humorum peccantium in hoc affectu conueniunt syrupus acetosus, de pomis, & mel rosatum,

ſatum cum decocto Bugloſſæ, Boraginis & capill. Veneris. Medicamenta uerò purgantia commodiſsima ſunt cõfectio Hamech, quæ euacuat humores craſſos & aduſtos, & corroborat ratione Myrobalanorum, cui confectioni Hamech miſceri poterit ſyrupus roſatus ſolutiuus, ſanguiſugarum uſus in prouocandis hæmorrhoidibus, quarum apertio in hoc affectu utiliſsima alijs uidetur licet, non admodum mihi probatur, quia ſanguinem tenuem attrahunt, & relinquunt craſſum. Et, ſi aliqua utilitas ex earũ applicatione percipitur, ea quidem non eſt propter humorum & ſanguinis attractionem, quæ fit per eas, ſed ex apertione uenarum. Ad corroborandum iecur & uentriculum & euacuandum poſt euacuationem conuenit ſaccharum roſatum cum puluere Rha barbari, uel Caſsia. Confectio etiam Dianthos, ſpecies Diamuſci dulcis, & Cinnamomum cum ſaccharo roſato conuenient ad corroborationem capitis & uentriculi.

Conſult. XXXVIII. Ad cordis tremorem, cum deliquio animi.

OPTIMVM in huiuſmodi affectu eſt hoc unguentum, maximè aptum ad cor roborandum.

R. Specierum cordialium temperatarum ʒ iij.
Sandalorum rubeorum
Roſarum rubearum ana ʒ s.
Corallorum rubeorum ℈ i.
Olei roſati ℥ ij.

Miſce, et cum modico ceræ fiat linimentum pro corde. Electuarium quoque utile ad eandem intentionem,

cuius descriptio talis est.

R. Sacchari rosati ℥ ij.
Boraginati ℥ i.
Corallorum rubeorum ʒ ij.
Sandalorum rubeorum ʒ i.
Sem. Citri ℈ ij.
Musci
Ambræ ana gra. iij.
Iulep rosati ℥ i. Misceantur omnia, & fiat electuarium secundum artem.

Consult. XXXIX. Pro puella, laborante catarrho, febre, dolore iuncturarum, uentriculi frigiditate, & hepatis caliditate.

PVRGANDVM *est corpus, & caput, deinde corroboranda sunt membra. Quantum ad purgationem, leniatur in primis uenter tali medicamento.*

R. Electuarij lenitiui ℥ i.
Syrupi rosati solutiui ℥ i. Cum aqua Cichorij fiat potio. Deinde ad præparandos humores peccantes, talem assumat syrupum.

R. Syrupi de Betonica
Mellis rosati
Oxymellis.s.ana ℥ s.
Aquarum Endiuiæ
Betonicæ ana ℥ i. s.

Misce pro syrupo. Pro purgando corpore utatur Agarico cum Aloë, uel Rha barbaro. Pillulæ etiam ex Aloë, & Rha barbaro per interualla sumptæ non leuiter conferent. Pro expurgando capite, utatur & caputpur-

putpurgijs, et masticatorijs. Caputpurgia fiant ex succo Betæ, Cyclaminis, & Maioranæ. Pro masticatorio utatur Mastiche, & sola, et cum Dictamo. Pro corroboratione corporis, & præsertim uentriculi, hepatis, iuncturarum optimi sunt Myrobalani Chebuli conditi, Mythridatum quin etiam, Theriacaq; Sacharo rosaceo mixta, & Diamuscum dulce, conferent ad eandē intentionem, & potißimum capitis corroborationem. Pro resoluenda autem hac materia, quæ in iuncturis est, hæc inunctio utilis erit.

R. Olei rosati ℥ ij.
De Terebinthina ℥ i. Misce.

Consult. xxxx. Pro muliere quinquagenaria, laborante visus debilitate.

PVRGANDVM est corpus. Ante uerò purgationem est fluxile reddendum. Id autem fiet syrupis, ut est Oxymel, syrupus acetosus, & putamina Citoniorum cum aquis, uel decoctis conuenientibus, medicamenta erūt Colocynthis, Agaricus, Scāmonea, pillulæ Cocciæ, confectio Hamech, pillulæ aggregatiuæ, cùm in hoc corpore omnes peccent humores. Pro euacuando autem capite singulis hebdomadis uti poterit pillulis ex tribus constantibus, Agarico, sim. Rha barbaro & Aloë, quæ poterunt corrigi cum Euphragia, capil. Veneris, modico Macis, Cinnamomi, & Spicæ Nardi. Ad diuertendam materiam ad oculos fluentem, cauteria à me laudantur, & applicatio sanguisugarum hæmorrhoidibus. Pro expurgando autem capite optima erit Mastyx.

Consult. XXXXI. Pro prouocatione menstruorum.

VTILE *est in hoc affectu decoctum Chamæmillæ, Liliorum alborum, & Anethi. Pessulus etiam ex oleo Maioranæ, & Ambra utilis est ad eandem intentionẽ, nec non frictiones in coxis & applicatio cucurbitularum, & decoctum radicum Valerianæ, florum Pulegij Chamæmeli ex uino, quod Romaniam uocant.*

Consult. XXXXII. Ad frigidum catarrhum.

LENIATVR *in primis uenter Caßia cum Hiera, posteà sumat aliquem ex his syrupis, ut syrupus de Stœcade simplex, syrupus acetosus, de Betonica], Oxymel utiles sunt. Decoctum autem sit Betonicæ, Endiuiæ, & Cichorij, ut habeatur etiam ratio hepatis calidioris. Medicamenta in hoc affectu commoda erunt Agaricus, Rha barbarum, et Agaricus cum Rha barbaro uel cum Caßia. Pro expurgando autem capite utilis erit pro masticatorio Mastyx, Staphisagria, Piper, & radix Capparum maximè cõmoda ad extrahendam pituitam. Caputpurgium autẽ fiat ex succo Maioranæ, Betæ, Cyclaminis. Ad corroborandum autem caput puluis ex Caryophyllis, Agarico, & Ladano pari portione utilis est. Lotio etiam capitis cum rebus calidis commoda est. Pomum etiam odoriferum continuò in manibus habeat, confectum ex Nigella, Ladano, Nuce muscata, Caryophyllis, Ambra & Musco, utile profecto ad caput calefaciendum & corroborandum.*

Consult.

Consult. XXXXIII. Pro quodã habente dolorem capitis per cõsensum à ventriculo,& à toto corpore ex vaporibus crassis & frigidis.

Bis in anno, uere.s.& autumno medicamentis humores peccantes purgantibus est hic ægrotus expurgandus. Singulis etiã septimanis ante cœnã assumat ʒ. pillularum ex Hiera.s. Ad subducendã etiam aluum utilis est Terebinthina pinguis pondere ʒ iij. tribus horis ante prandium hostiæ inuoluta. Ad corroborandum uerò stomachum & caput utile est saccharum rosatum sumptum per horam ante prandium & ℥ s. pro uice. Pro corroborando uerò capite præcipuè utatur lauando illud lixiuio in quo rosæ decoctæ sint, Saluia & frustulum Agarici, fiat linimentum ex oleo Caryophyllorum, et frictiones in toto corpore: atq; hæc agenda sunt ne succedat paroxysmus. Quòd si ægrotus erit in paroxysmo, utendum erit tali linimento in collo, fronte, temporibus, & circa scapulas.

R. Terræ sigillatæ
Boli Armeni orientalis ana ʒ i.
Hypocistidos
Acatiæ ana ʒ ij.
Albuminis ouorum conquassatorum num. iij.
Aceti mediocris ℥ iij.

Misce, quo linimento uti poterit in principio paroxysmi, uel paulò ante.

Consult. XXXXIIII. Pro quodam laborante hypochondriaca Melancholia.

CAVSA *huius affectus sunt humores melancholici crassi, à quibus fit obstructio, ebullitio atque inflammatio inter splenem atque stomachum. Intentiones sunt corroborare ipsum splenem, & aperire ipsas obstructiones. Purgabitur bis in anno, autumno. s. & uere. Et uere secetur uena basilica sinistri lateris. Medicamenta autem, quibus in purgatione uti poterit sunt Cassia, Rha barbarum, syrupus rosatus solutiuus. Purgato corpore, laudo usum balneorum Calderianorum. Cæterum assumpto aliquo ex supradictis benedictis medicamentis pro corpore exquisitiùs purgando, assumat in primis hos syrupos.*

R. *Syrupi de Fumoterræ* ℥ i.
Buglossæ, de pomis ℥ s. *cum aquis conuenientibus fiat syrupus, quo syrupo per aliquot dies assumpto, capiet posteà tale medicamentum.*

R. *Confectionis Hamech* ʒ iiij.
Syrupi rosati solutiui ℥ iij. *Cum aqua Betonicæ fiat potio. Post purgationem uti poterit Saccharo rosato, conserua Boraginis, & Buglossæ. Hic est igitur modus purgandi, quo bis in anno ægrotus uti debet. In intermedijs autem temporibus accipiet ter seu quater in mense has pillulas.*

R. *Epithymi Cretensis* ʒ vi.
Agarici alterati ʒ iij.
Corticum Ellebori nigri ʒ iiij.
Specierum Hieræ s. ʒ iiij. *Cum melle rosato fiat*

Magdaleon

Magdaleon, de quo singulis uicibus accipiat ℨ i. & sumat per horam ante cœnam, & parum cœnet, bibatq; & fiant ex illa ℨ. pillulæ iij. cum melle rosato. Purgato corpore, accipiet per horam ante prandium parum conseruæ florum Boraginis, & Buglossæ.

Consult. XXXXV. Pro homine habente cor, hepar, caput, & renes calidos, laborante catarrho salso, podagra, & duritie splenis.

CORPVS hoc indiget expurgatione, & humorum præparatione. Pro præparatione syrupus de Endiuia, rosatus, Oxymel: cum aqua Endiuiæ, Buglossæ, uel cum harum herbarum decoctione conuenientes sunt. Euacuatio autem fiat cum pillulis Coccijs, et de Hermodactilis. Pro splene indurato cõueniẽs est aqua chalybeata, quia refrigerat & obtundit hepatis caliditatem, à qua generantur humores adusti, qui efficiunt duritiem illam in splene. Ad reprimendos uapores cerebri, & ipsum contemperandum alioqui calidum utiles sunt pulueres ex Nymphæa, Rosis, & Violis. Medicamentum utile ad expurgandos humores, qui in hoc corpore dominantur eiusmodi est. Nota de aqua calibeata

R. Myrabalanos

Foll. Senæ, & Epithymum, fiatq; decoctio secundum artem in s.q. aquæ, & in eo decocto infundantur rosæ multoties, & in hac infusione rosarum ℨ iiij. aut v. infundantur secundum artem Rhabarbari electi, et fiat expreßio, deinde

R. Huius colaturæ ℥ iiij. qua utatur singulis septimanis loco syrupi. Hoc autem medicamentum utile est

ad euacuandas materias biliosas, crassas atque adustas, & corpus ipsum refrigerat. Vinum interdicatur ægroto, quia fluere facit humores ad loca dolentia, cæterum notandum est ante syrupos lenitiuum esse exhibendum, idq; ne per syrupos materiæ malæ in uentriculo, intestinis, & primis uenis existentes, per corpus deducantur.

uinũ fluere facit ad loca dolentia.

Consult. XXXXVI. Pro ægroto, laborante hepatis intemperie frigida cũ scirrhi principio.

IN HOC affectu conueniunt medicamenta benedicta, ne dissoluatur uis hepatis, ut est Mãna, Diacatholicon lenitiuum, Rha barbarum, modicum Agarici, sed ante hæc medicamenta exhibeantur syrupi disponentes corpus, & humores, ut est syrupus acetosus, Oxymel, & mel rosatum. Conueniunt etiam in curando hoc affectu, expurgantia corpus per urinam, talia autem sunt syrupus de Cichorio, cum Rha barbaro Bizantino & de radicibus. Euacuatio quin etiam per halitum conuenit, quæ quidem fieri debet cum rebus aperientibus & resoluentibus, ut olea sunt, & balnea præsertim Patauina. Pro corroborando hepate extrinsecus maximè conuenit in hoc affectu frigido huius partis oleum de Spica, & de Absinthio, & confectiones habentes uim corroborandi. Vtile etiam erit ægroto in curando affectu, si singulis septimanis utatur pillulis de Hiera & Rha barbaro, idq; ut tollantur obstructiones, & interdum Caßia cum Rha barbaro.

Consult.

Consult. XXXXVII. Pro ægroto, laborante catarrho defluente ad pectus, cum intemperie frigida capitis, & febre hectica.

IN *curando hoc ægroto, secundum Galeni præceptum, cùm fluat uenter, non est ei aliquodq́ genus medicamenti exhibendum, quia timendus est casus uirtutis, & præsertim in homine tabido, etiam si euacuantio non sit sufficiens. Alteranda igitur tantùm sunt membra, & corroboranda. Pro capite confert lixiuium dulce factum ex ligno Salicum, in quo Agarici ʒ ij. rosæ, & Chamæmilla decoquerentur. Vtilis etiam erit pulуis hic super caput sparsus, constans ex Sandaraca, rosis, & lignis Iuniperi contritis, Stœcadeq́; ac Maiorana. Verùm ante hæc remedia non erit alienum, caput ipsum expurgare per tale caputpurgium.*

R. Florum Chamæmillæ m. i.
Hordei pugil. i.
Maioranæ m. s.

Agarici electi ʒ ij. Decoquantur omnia simul in aqua Violarum ad consumptionem medietatis. Deinde facta bona expreßione addatur sacchari optimi ℥ s. & fiat caputpurgium. Et quoniam membra omnia naturalia maxima sunt debilitate affecta, ideò laudo, ut utatur hoc electuario, à quo membra omnia naturalia humectabuntur, & corroborabuntur.

R. Sacchari rosati uiolati
Boraginati ana ℥ ij. Et sumat ℥. pro uice, per duas horas ante prandium. Emplastrum hoc etiam mirum in modum corroborabit membra naturalia.

Recipe

R. *Carnis Citoniorum decoctorum in uino austero* ℥ iiij.
Carnis Dactilorum ℥ iij.
Passularum ℥ iiij.
Farinæ hordei ℥ iij.
Olei Amygdalarum dulcium ℥ iij.

Misceantur omnia, & cum uino decoctionis Citoniorum fiat emplastrum. Indigemus etiam, cùm ægrotus hic febre hectica laboret, humectatione, quæ fieri deberet atq; introduci per balneum. Sed quoniam per debilitatem ægroti non licet, ideò loco balnei huiusmodi linimento utendum existimo.

R. *Medullæ cruris uituli* ℥ s.
Olei Amygdalarum dulcium recentis, & recentium Violarum ana ℥ i.

Misce cum pauco uino paucifero, albo, & fiat linimentum. Ad corroborationem autem cordis, & temperamentum confert hoc linimentum.

R. *Vnguenti rosati Mesuæ* ℥ i. s.
Specierum cordialium temperatarum ʒ ij.

Misce. Puluis autem superius descriptus ordinandus hoc pacto, est aptus ad capitis corroborationem.

R. *Stœcados*
Maioranæ
Baccaris
Rosarum
Sandaracæ
Mastyches ana ʒ ij. *fiat puluis subtilißimus. Pro sistendo catarrho bolus Armenus conuenit in introitu lecti, in quantitate unius Ciceris. Pro uictu Ptisana, &*

ouis,

ouis, & pro potu uino paucifero albo utatur. Decoctum etiam Farfaræ, Hordei, Liquiritiæ ex iure pulli maximè esset ad propositum.

Consult. XXXXVIII. Pro ægroto, laborante doloribus & morbo articulari cum frigiditate corporis, & omniũ membrorum principalium imbecillitate, & catarrho.

CORPVS *hoc in primis in uere est hoc pacto expurgandum.*

R. Floris Caßiæ nouiter extractæ ʒ x.

Specierum Hieræ. s. ʒ ij. cum saccharo fiat bolus, sumendus tribus horis ante prandium. Postridie accipiat hunc syrupum.

R. Mellis rosati

Syrupi de Absinthio ana ℥ i.

Decoctionis Liquiritiæ ℥ iiij. fiat syrupus, quem assumat per x. dies: in hoc spatio dierũ x. foueat hypochondria, uentriculũ & reliquum corpus oleo Chamæmelino, moderatè calido bis & ter in die. Apparentibus signis concoctionis accipiat hoc medicamentum.

R. Floris Caßiæ ℥ i.

Agarici præparati ʒ ij.

Liquiritiæ pulverizatæ ʒ ij.

Misce, & fiat bolus, dandus in aurora cum custodia. Posteà per tres dies assumat mane ante prandium ℥ s. Sacchari rosati pro uice. Vtatur præterea ter in mense infrascripto bolo.

℞. Carnis pinguißimarum ficuum, quæ per sedaceum seu cribrum fuerint excolatæ ℥ s.

Medullæ

Medullæ Carthami ʒ ij.

Miſce,& fiat bolus,& ſi parum educat, addatur Rha barbari pulueriꝫati ʒ i. Et,ſi bolus fuerit durus, emolliatur cum ſyrupo de Liquiritia. Vtatur etiam ſingulis diebus tribus horis ante prandium Acori radicibus, ſaccharo conditis,uel Myrobalanis Chebulis. Pro corroboratione capitis utilis erit hæc lotio, ſingulis ſeptimanis adhibita.

R. Lixiuium, confectum ex dulci cinere ligni, in quo decoquantur Saluia,Maiorana,Betonica, & modicum roſarum,& loco Saponis utatur Agarico, decocto in eodem lixiuio. Ad diuertendum humores à capite utiles erunt frictiones, & poſt frictiones uſus commodus erit alicuius olei odorati,ut de Spica, de Caryophyllis. Si aluus non profluat,utatur clyſteri communi,confecto ex Betæ,Maluarũ,Furfurũq; decocto,addito oleo cõmuni,ſale,et oui uitello,et quãdoq; ℥ ij.mellis roſati.Vel,ſi clyſteri uti recuſarit,accipiat Maluam, Betam,& Mercurialem, decoquantur in iure pulli,& facta colatura. mane accipiat per tres horas ante cibum lib.i.huius decocti. Pro potu utatur uino albo, quod remedium eſt ad materias auertendas, per urinæ meatus, contra multosq́, qui uinum in articularibus morbis interdicunt. Dolores articulares leniantur,uel cum lana ſuccida moderatè calida, uel cum pelle uulpis noua, & cum oleo Chamæmillæ, uel Chamæmilla contuſa, uel flore Caſſiæ, cum floribus Chamæmillæ pulueriꝫatis. Cætera medicamenta repercutientia, tanquam noxia reijcienda. Tempore autem exacerbationis dolorum mollem habeat aluum: tenui uictu utatur, uinoq; hoc tempore abſti-

stineat, ipsiusq; loco mulsa utatur hoc modo confecta.

R. *Aquæ partes* 12. *mellis optimi, & despumati.* i. *& admisceantur modicum quid Saluiæ, aut Cinnamomi, prout gustui magis uidebitur familiare, & bulliant simul usque ad generationem spumæ, continuò ipsam spumam abijciendo.*

Consult. XXXXIX. (ratiocinationis plena) De cibis & medicamentorũ qualitatibus, in temperie, & excessu.

AEQVALITAS *in temperatura actu, & in mixtione, tantum sit de calido, quantum de frigido, humido & sicco.* Excessus *autem actu, ut si exuperet caliditas, frigiditas, humiditas, uel siccitas.* Nihil *autem refert an hæc æqualitas, uel excessus sint absoluti uel relatiui.* Vel *huiusmodi excessus est in potentia, quæ uel est actiua, ut scribendi in scriba, uel paßiua atque hæc uel propinqua, ut potentia sanguinis ad carnis generationem: uel remota, ut est panis potentia ad sanguinem generandum.* Ea *autem quæ corpori admouentur, uel sunt cibus absolutè, cuius plurimum uertitur in corporis substantiam, nulla facta alteratione sensibili in ipso corpore, atque est totus in facultate paßiua, uel est cibus medicinalis, minusq; huius uertitur in corporis substantiam, facta aliqua alteratione sensibili in corpore, caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate & secundum substantiam totus est in facultate paßiua, secundum uerò aliquam qualitatem in facultate actiua: uel quæ corpori admouentur sunt medicina, atque ea, uel cibalis, uel absolutè.* Cibalis *est, cuius minima pars uertitur in corporis*

ris substantiam sensibili alteratione facta in eodem corpore, caliditate, frigiditate, & cæteris: secundum substantiam tota est in facultate paßiua, secundum uerò aliquam qualitatem in facultate actiua, ut Portulaca & Solatrum. Absolutè medicina est, cuius nihil uertitur in corporis substantiam, totaque eius substantia est in facultate paßiua, secundum aliquam qualitatem in facultate actiua sine detrimento tamen corporis, sed alterans tantùm, ut Theriaca, & Mythridatum. Vel ea, quæ admouentur corpori, sunt medicina uenenosa, uel uenenũ absolutè. Si est medicina uenenosa, est purgans, alterans, & erodens: atque huius nihil uertitur in corporis substantiam, secundumq; aliquam substantiam est in facultate paßiua, secundum uerò aliquas qualitates est in facultate actiua cum manifesto corporis detrimento, alterando & corrumpendo, ut Opium: diminuendo & euacuando, ut Scammonea: erodendo, ut Cantharides, Euphorbium. Intelligitur uerò ne mole excedant, nam si excederent omninò perimerent & corrumperent. Si uerò est uenenum absolutè, corrumpit totam corporis substantiam nulla facta sensibili operatione ab ipso calore naturali in ipso ueneno, & est totum in facultate actiua, ut Saliua, Vipera, Aconitum. Notandum uerò est, has omnes facultates medicinarum non determinari, tales esse, uel tales, nisi determinetur corpus, cui applicãtur. secundum enim uarietatem temperaturarum non tantùm in spetie, sed in indiuiduo uario modo deducuntur ad actum proprium, respectu cuius sunt facultates, et potentiæ. Ex his sequitur primum Corollarium, quòd quamuis medicinæ, uel cibi sint æquales respectu humani

ni corporis, non ſunt eiuſdem temperaturæ. Corollarium ſecundum eſt, quòd una et eadem res poteſt eſſe cibus, & medicina, imò cibus & uenenum reſpectu diuerſorum, ut Elleborus homini medicina, cibus Coturnici: Cicuta uenenum homini, cibus Sturno. Corollarium tertium ſequitur, quòd medicina in propria temperatura inæqualis cum exceſſu inſigni quarundam qualitatum poteſt eſſe, eadem tamen reſpectu corporis, cui applicatur erit tẽperata, ut oleũ, & Lithargyriũ reſpectu corporis humani. Quartum Corollariũ ſequitur, ꝙ quãuis medicina dicatur eſſe in potẽtia, reſpectu caloris innati, qui uario modo ipſam alterat, deducendo ad actum, iſta tamen uarietas oritur ex uaria medicinarum temperatura.

Conſult. L. De cura uermium puerorum.

R. Rhabarbari
Agarici trochiſcati ana ʒ ſ.
Oxymellis ſ.
Aquæ graminis ana ʒ vi.
Miſce, & fiat potio parua: item
R. Agarici præparati
Rhabarbari electi ana ʒ ſ.
Oxymellis ſ.
Syrupi de Endiuia
Aquæ graminis ana ℥ ſ.
Miſce, ut fiat potio parua. Pillulæ quinetiam ad eandem intentionem.
R. S. Citri mundatorum ʒ ij.

Dissoluantur in uino Maluatico, exprimanturq́; & expreßioni misce

Aloës lotæ, cum succo rosarum	ʒ iij.
Agarici	ʒ i. s.
Rhabarbari	ʒ i. s.
Camphoræ	℈ i.
Croci	gr. iiij.
Myrrhæ	℈ s.

Misce, & fiat Magdaleon, ex quo pillula i. quantitate unius ℈ uel ℈ s. fiat, antequam cibum sumat.

Consult. LI. Ad fluxum hæmorrhoidarum.

R. *Vnguenti Comitissæ*	q. s.
℞. *Pulueris Balaustiarum*	
Myrtillorum	
Gallarum rosarum	*ana* ʒ i.

Misce. Ad fluxum diarrhœum

R. *Sumach*	
Radicum Cichorij	
Radicum Plantaginis	
Caudæ equinæ	*ana* M. i.

Fiat decoctio in iure pulli pro uicibus duabus: clyster aptus ad mitigandum dolorem hæmorrhoidarum.

R. *Aquæ hordei*	*lib.* s.
Olei de sem. Lini	
Rosati	*ana* ℥ ij. *Misce.*

Consult.

Conſult. LII. Pro hydropico ex aſcite cum tympanite.

HABEMVS *hominem qui fuit Curſor, & priùs incidit in anginam, quæ uexauit eum per 40. dies. Eſt ualde prudens, ut mihi uidetur, inter eius ordinis homines: quia audiuit uinum non conuenire, abſtinuit à uino per duos menſes: quia uerò ſitijt admodum, multum aquæ bibit, in quo non ſatis fuit prudens: & iam undecimus eſt dies, ex quo incidit in tumefactionem pedum, & uentris inflationem. Credit ſe meliùs habere, cùm non appareret tumor adeò magnus in pedibus: ſed deteriùs habet multò, quia materia aſcendit ad uentrem, & percipit ex motu uelut fluctuationem quandam, & uidetur initium eſſe ueræ tympaniæ, & aſcitis: plærumq; enim iunguntur iſta. Tympaniam non poſſum deprehendere ita manifeſtè hodie, ut heri ex uentris inflatione. Sed quibus ex cauſis oritur? Anaſarca fit, quoties intemperies eſt in uenis & hepate, ſine aliquo alio inſigni nocumento. Aſcites uerò & tympanites fiunt, quando ſunt obſtructiones in hepate, Meſaraicis & ſplene, ut cibus non poßit reddi per omnes partes. Et ſemper fiunt iſtæ duæ ſpecies cum obſtructionibus inſignibus. Vidi Venetijs religioſum quendam ordinis Prædicatorij in hoſpitali S. Ioannis & Pauli, hydropicum ex aſcite & tympanite, qui fuit curatus. Adfuêrunt mecum excellentißimi Medici plurimi, ſcilicet, Papienſis, Eugubinus, Trincauella, & alij. Habebat is (ut dixi) aſcitem cum tympanite, & tabem cum febre hectica: oportebat eum exiccare & humectare: quare eramus in maxima diſcordia. Ego*

timpanitis, et ascitis coniungunt
anasarca
q°mō fiat et ascitis et timpanitis.

uolebam, ut multum biberet, sed quæ aperirent, quia habebat plurimas obstructiones. Prætereà, ut humectaretur, quia ad tabem peruenerat. Ordinabam ego syrupum acetosum, cum omnibus quæ prouocant urinã. Eugubinus nolebat quidquam esse bibendum, & narrabat de quodam historiam, qui per sicca fuit curatus. Papiensis, ut litem dirimeret, conclusit, omninò nihil esse bibendum. Res extrahebatur usque ad noctem, deducebant nobiles unumquenq; Medicum ad suam cymbam. Ibi tum Papiensis, quod anteà dißimulauerat, conuersus ad Magnificum quendam, dixit, si uultis curare hũc Dominum, profectò non aliud erit faciendum, quàm quod consuluit MONTANVS. Vidi repletum quendam aqua inter cutem, qui non poterat uentrem sustinere, sed fascia ligatum continebat. Vidi alium, qui in ponte Riui alti eleemosynam petebat, mendicum hydropicum tantùm in brachio: is adeò distentam habebat manum, ut facilè æquaret manicas ad terram usque demissas. Vidi etiam puellam hydropicam in gutture tantùm, ut tumor longißimè dependeret, quam curaui per incisionem. Est ergò hydrops abscessus quidam, qui in qualibet parte corporis accidere potest, præcipuè tamen in abdomine. Quantò deteriùs habent, tantò plus habent de aqua: & si meliùs, plus de uento. Est igitur tympania minus malum quàm ascites. In hoc autem nostro est adhuc plus de uento quàm de aqua, nec adhuc facta est putredo. Accipit iam syrupum acetosum, Diarrhodon, ordinatum à D. Hieronymo de Saxonia, quem non mutabimus, quia aperit & confortat: sed loco aquarum uibebimus fieri huiusmodi decoctionem.

Recipe

hydropicus in brachio

puella hydropis in gutture

uidi ego mulierem hydropicam in matrice & secamus eam mortuam.

R. Chamædryos
Agrimoniæ
Cichorij ana m. i.

Coquantur in libris duabus aquæ ad consumptionem tertiæ partis: facta expreßione diligenti, seruetur decoctum pro quatuor syrupis, cum syrupo ordinato à D. Hieronymo. Item accipiat ante syrupum pillulam infrascriptam.

R. Specierum Hieræ simpl. ʒ s. fiat una pillula.

Per Agrimoniam intellige Eupatorium antiquorum, nõ Argemonem: debemus enim nominibus uti usitatis, & habere intentionem rectam. Habebit inde hæc iuuamenta: egeret singulis diebus, aperiet, corroborabit uentriculum, concoquet meliùs, & exiccabit aquam. Agrimonia, Chamædrys & Cichorium habent etiam proprietatem ad hepar: & quia obstructionem magis habet in uentriculo, singulis diebus accipiat unam pillulam de Hiera. Quando septies, aut prout uideritis, ista exhibueritis, poteritis alia maiora exhibere. Nunc nihil exteriùs applicetur, ne materia attrahatur. Accipiat syrupum tantùm sine pillula, quia ista pillula plurimum eduxit: unde colligere possumus, esse in concauo magnas obstructiones, quæ uentositatis causæ sunt, & imbecillis coctionis. Quare nisi istæ ablatæ fuerint cum uentositatibus, nunquam curabitur. Necesse igitur est ut accipiat Hieram. Prætereà uolo fomentum ex Absinthio, cum uino potente & aceto, sine aqua, ordinare, quia uolumus resoluere, ut fomentetur uenter cum spongia bis uel ter, deinde linimentum adhibeatur.

qd intelligunt
p agrimoni
am.

R. Absinthij m. ij.

Aceti fortißimi
Vini optimi ana. quantum sufficit pro fomentatione.

R. Pulueris Cimini
Anisi
Carui
Ameos ana ℥ i.
Olei de Costo
Nardini ana ℥ i.

Cum cera fiat linimentum molle pro loco. Tertiò die abijt Montanus, et post octiduum redijt, ac proœmij loco hæc nobis retulit. In sene isto hydropico uidetur mihi malum auctum, quia intumuit uehementer, etiam facies magis est tumida, si rectè animaduertetis. Causam audietis. Cura nostra, si rectè meministis, erat directa in id, ut calefaceremus, & exiccaremus hepar, quia ex longo aquæ usu, quam copiosißimè biberat per sex ferè menses, nimium sese refrigerauit: obstructæ ergò uiæ inter hepar & Mesaraicas, & facta est tympania flatum habens inter peritonæum & partes alias, quæ rarò, imò nunquam est sine aqua. Est prætereà uir circa 56. uel 60. annum. Est ergò morbus frigidus, ut omnis hydrops essentialiter est frigida. Exhibebamus ergò syrupos calefacientes & aperientes, & singulis diebus unam pillulam de Hiera, ut calefaceremus, & paulatim educeremus. Præterea fecimus magistrale linimentum uentri & pedibus, & ita in hoc puncto reliquimus patientem, & abiuimus aliò uocati, credentes ita perseueraturum eum in medicamentis ordinatis. Sed aliter factum inuenimus. Nam interim accepit succum

Fumi

Fumi terræ, cum sero lactis, & extrà usus est emplastris Meliloti. Videamus, quid ista poßint, an intentionibus nostris satisfaciant. Serum lactis refrigerat & humectat, teste Galeno libro de aliment. & simpli. faculta. quamuis Mesue dixerit habere uim calefaciendi & exiccandi, sed eam admodũ leuem, nec insignem. Quare & ipse ubi uult refrigerare in humoribus adustis, exhibet serum lactis tanquam aquam, (non putemus Mesuen uirum certè magnum, contradixisse Galeno) quæ habet frigiditatem, actu potiùs humiditatem quàm potentia. Quare Galenus uolens infrigidare, accipit aquam ualde frigidam in synochis & causonib. et ista frigiditas potest remoueri facile cum aliquo simplici: nam si addatur Sulphur, Calamenthum &c. tunc calefacit magis: utimur enim aqua tanquam fundamento, materia, basi & subiecto aliorum calefacientium & refrigerantium. Tale quid præcisè imaginatus est Mesue de sero lactis. Et sine dubio per se, et absolutè loquendo, uoluit serum esse frigidum: sed quia à lacte uulgò separatur cum coagulo, quod est calidum & siccum, facile in se recipit istas qualitates, aut secundùm Dioscoridem cum Oxymelle. Credidit ergò propter adiuncta serum esse calidum & siccum, non per se. Et ita est concordandus Mesue cum Galeno, neque proptereà est mendacij arguendus, sed propriè confusus est dicendus, quod proprium est Arabum: nam omnes Arabes potiùs sunt confusi, quàm mendaces, quia procedunt confusè, aut quòd ea quæ bene intelligebant, non poterant exprimere, aut quòd male uersi & translati sunt. Certè Mesue non debebat absolutè dicere serum esse calidum & siccum,

ſed diſtinguere, ſcilicet, ſerum præparatum ſecundum modum Dioſcoridis, aut etiam ut nos facimus, eſſe aliqua ex par e calidum & ſiccum, licet in ſe ſit frigidum & humidum. Sed ſi non uis conciliare ipſum hoc pacto, crede magis Galeno, principi Medicorum, qui & diſtinctè loquendo, apertè ſerum frigidum eſſe ponit. Non ergò dandum fuiſſet, ubi calefacere & exiccare oportebat. De Fumoterræ nullus certus eſt gradus à Galeno, neque ab alijs expreſſus: ubi enim Galenus ſubticet, ibi miris modis alij cæcutiunt & contendunt: uelut etiā de Rha barbaro, argento uiuo, ferro, quia methodum eorum non habent, deſtituuntur luce Galeni. Sed nos certum gradum dabimus, uera methodo inquirentes. Guſtanti apparet in Fumoterræ amaritudo ſatis inſignis, hoc eſt, ſupra mediocritatem, non tamen Aloë & Abſinthio comparanda, & præter ipſam nulla percipitur uis aut aſtringendi, aut acrimoniæ. Ergò amarus eſt cum aqueis partibus pluribus. Signum, quia aquoſitas eius uidetur linguam humectare. Prætereà tantilla herbula plurimum reddit ſuccum, & ſi tantum Saluiæ, Calamenthi, aut Abſinthij ſumpſeris, duplo ferè plus ex Fumoterræ extrahes. Adhæc facile exiccatur, & fit prorſus effœta, ſicca, ſicut fœnum: nec retinet ea ſuccum, ſicut aliæ plantæ, quia ſuccus eius eſt tenuis, ſubtilis: percipitur igitur amaritudo cum inſipiditate. Senſus autem magis percipit inſenſibilia intenſa quàm remiſſa: ſed aquea cùm ſint inſipida, non mouent ſenſus. Amaritudo autem eſt obiectum guſtus, ferè ut dicit Ariſtoteles, uellicans, quod ſumpſit à Platone. Amaritudo eſt ex partibus terreſtribus aduſtis, inſipiditas ex frigiditate & hu-

Nota d[e] fumo terre et d[e] eius tempera[men]to.

amaritudo et insipiditas a quibus partib[us].

& humiditate. Et licet plus adsit humiditatis quàm frigiditatis, tamen non ita percipitur: non enim mouent sensum, nisi frigiditas ualde intensa fuerit. Scimus nunc esse partes diuersas in Fumoterræ, sicut in Coriandro, quod & calidum est & humidum. Ratione amaritudinis Fumus terræ est calidus et siccus, abstergens & aperiens, et hæc non potest secundum gradum pertransire: nam omnis amaritudo in caliditate non pertransit secundum gradum, quia per uehementissimam adustionem fit acris sapor. In amaris simplicibus partes igneæ potiùs exhalarunt, & remansêrunt terreæ. Sic Absinthium est calidum in primo gradu: succus autem eius, quia terrestreitas est magis remota, est calidior. Ita Aloë non pertransit secundum gradum. Si ergò Absinthium calidum est in secundo gradu, quid dicemus de Fumoterræ, qui adiunctam habet plurimã humiditatem? Certè uix attingit primum gradum caliditatis. In passiuis autem est ferè temperatus, quia habet amaritudinem cum multa humiditate tenui: quare ualde abstergit, & obstructionem liberat, & non calefacit: potest etiam refrigerare & humectare multa aquositate. Quare rectè dicitur abluere melancholicos humores, & cõferre succis adustis, quod experientia in omnibus terris probauit: & certè experientiæ est plurimum fidendum. Quòd si opiniones omnes uulgi huius urbis cõiungerentur, de Fumo terræ, aut re alia, optimus exurgeret Medicus. Quare ego consulo, ut quoties refrigerare, humectare & abstergere uolueris, sumas Fumum terræ: non autẽ quando intentio occurrit calefaciendi & exiccandi. Malè ergò hactenus factum est cum ægroto nostro. Neque

coriandri temperamentum et fumi terre et absinthii

quando utendum fumo terre

emplastrum Meliloti admodum facit ad propositum nostrum, quod in duritie cõfert, sicut etiã cerotum Oesypi descriptione Philagrij, ut habent Luminaria. Sed in isto uolumus resoluere, & etiam unà corroborare, ut tonus membrorum maximè principalium conseruetur. Nam quando laxa sunt reddita, non possunt bene conficere alimentum: ergò & illa remouebimus. Hæc proœmij loco dicta sint hac uespera, quæ nobis ualde utilia esse iudico. Neque uerò me quisquam iniquum esse dixerit in alios Medicos, qui ea uobis propono & declaro, quæ recta sunt & artificiosa: nam hæc esset magna malignitas, indigna bonis disciplinis. Primùm omnia symptomata obseruate circa ægrum, posteà eadem diligenter audite, si uultis proficere. Hydropicus quia habet tympaniam cum ascite, magis tamen tympanitem, est iam in manifesta declinatione: perseuerabimus tamen adhuc in nostris intentionibus, quæ sumebantur à ueris indicationibus. Calefaciemus & exiccabimus hepar, & obstructiones auferemus, tumorem etiam ex flatu & aqua resoluemus, & euacuabimus. Quatuor ergò ista faciemus. Ordinabimus autem linimentum, non emplastrum. Sumo autem emplastrum modo moderno, quod nos cerotum uocamus: antiqui appellarunt emplastrum, quia emplastra dum exiccantur, decidunt, & per lectum sparguntur, & sunt ægris molesta.

℞. Olèi de Costo	℥ i.
Nardini	℥ i. s.
De Absinthio	℥ ij.
Mastyches	ʒ ij.
Specierum Diacimini	ʒ ij.

Cum

Cum modico ceræ fiat linimentum pro toto uentre.

℞. Syrupi acetosi
De radicibus ana ℥ i.
De Absinthio ℥ s.

Detur mane sine aquis: quia humida ut aqua, nõ conueniunt ubi habemus aquam & uentum, atque ubi aperire uolumus obstructiones in regione stomachi & Mesaraicis, oportet medicamen ibi moram facere. In radice, credo quòd fuerit calidæ & siccæ temperaturæ, sicut etiam ex habitu corporis apparet & colore, qui ex malo regimine prouenit. Fuit enim cursor, & post magnam defatigationem, ut fit in tabernis, uini plurimum hausit potentis, aut etiam crassi. Collegit multum etiam adustionis, melancholici humoris, qui desedit in crure: solet enim illa loca petere propter grauitatem, unde uarices, & κακοήθη ulcera fiunt. Ex colore igitur, asperitate ad tactum, & calore etiam, ibi apparet humor adustus, qui longè aliter est tractandus, quàm superiores illi affectus, qui calida & exiccantia requirũt. Nam cruribus in hac dispositione cõueniunt res abluentes & refrigerantes. Optimum igitur fuerit lauare pedes sero lactis, in quo sint res abstergentes, ut Fumus terræ: si uerò sumptibus parcat, aqua hordei cum Fumo terræ, folijs Boraginis, & aliquanto furfuris.

℞. Hordei pug. iiij.
Fumi terræ
Boraginis
Endiuiæ ana m. ij.
Furfuris pug. iiij.
Ebulorum v.

Bulliant

Bulliant in situlis duabus aquæ, ad consumptionem medietatis. Vltima Maij. Cursor peius nũc habet quàm antea unquam, quia nihil eorum quæ præscripsimus, fecit. Vrina est alba, liuida, non pallida: nam hæc esset satis bona, quia pallida & citrina, sed plumbea aut cineritia, significat frigiditatem, et extinctionem caloris naturalis. Luciditas & splendor, aliorumq; quæ sunt in urinæ corpore, fiunt à calore & spiritu. Ergò priuatio luciditatis indicat spirituum priuationem. Hydrops est accidens, non ægritudo. Intemperies autem hepatis, & Mesaraicarum obstructio est ægritudo. Prouidimus ergo cum calefacientibus, aperientibus & abstergentibus, sed nihil est adhibitum. Morietur bonus senex, nisi adhibeatur summa diligentia. Potest cõmodè adhiberi in hoc casu, Diaphœniconis, Meliloti, Agrippæ usus. Sed quia aggrauant, et etiam exiccant, sunt ægris molesta. Linimentum igitur ordinauimus, quod idem faciat. Semper est opera danda, ut non tantùm salutaria ordinemus remedia, quæ ad morbum attinent, sed etiam grata ægrotis, et quæ minimè ipsis sint molesta. Semper cùm uultis aperire, addantur amara, quia ista cùm fundantur in materia crassa & terrestri, moram faciunt, & obstructiones aperiunt: acria incidunt potiùs, et penetrant. Galenus fuit non dico simplex, ne putetis me Galenum reprehendere, sed bonus uir: nimio quodam studio uoluit se conformare Dioscoridi. Nam cùm ille in Fumo terræ dixerit uim esse mouendi lachrymas, hic etiam præter methodi rationem dicit eum habere acrimoniam.

Consult.

Consult. LIII. De Phthysico.

INFIRMVS iste in sinistra parte, perpetuò diu no ctuq; à mense Septembri usque ad Bacchanalia, sed ad tactum non doluit, sicut mihi interrogatus respondit. Nunc nihil dolet nisi circa uentrem, in affecto latere cubans doluit. Hoc præcipuum est symptoma, ex quo reliqua dependent. Inquiramus igitur eius causas. Iste dolor uel est à mala temperatura sine materia, uel cum materia: non à simplici, quia ad tactum doluit, posteà multum etiam sanguinis excreuit, & cessauit dolor. Etiam si simplex mala intemperatura fuisset à principio, tamen diu sine affluxu permanere non potuisset. Est igitur affluxus materiæ frigidioris, quia per sex menses durauit. Sed ubi est tota materia? In parte exteriore pectoris: quia cubans in latere affecto, doluit, propter compreßionem: si enim in interiori parte fuisset, non doluisset eodem latere cubans, quia materia costis incumbens non extendit locum. Quare etiam totum oppositum accidit, si in latere non affecto cubat. Dolet enim nunc locus affectus, quia materia suspenditur, si est in interiore cauitate pectoris: si uerò in exteriore, quiescit sine dolore. Est ergò materia in exterioribus, intra uenas ibi existentes, quæ erant tumefactæ. Nam si extra uenas putruisset, aut apostema aut scirrhus apparuisset. Ergò obstructæ fuêrunt uenæ à sanguine crasso ibi collecto, quo natura irritata, postquã se patiens præter solitum mouisset, compressus hominũ multitudine, Venetijs die Iouis in Bacchanalibus agitata est materia, & posteà subitò erupit, & transiit per membranã succingentem

é pulmone eductus sanguis qualis.

gentem costas ad pulmonem, & tandē expuit. Fuit iste sanguis purpurei coloris. Ergò à loco eductus, et crassæ substantiæ, cùm sanguis à pulmone proueniens sit rubeus, spumosus & tenuis. Igitur in exteriori parte pectoris fuit prima affectio: non tamen immediatè sub cute, sed in interiori parte musculorum, quia non doluit ad tactum. Et quia locus iste debilis permansit, adhuc nonnihil dolet. Post sputum sanguinis natura euacuationem à loco est aggressa, sicut etiam faceret Medicus, uolens se iuuare: eduxit multum sanguinis ex uenis narium, quod nisi fecisset, impetus fuisset factus ad suffocationem. Non potuit autem ita exquisitè purgare, quin remanserit in pulmone aliquid: sed de hoc nihil dicemus, quia priùs uidebimus sputum. Tußis si non est ex sanguine in pulmone detento, erit forte propter leuem destillationem ex capite, uel ob consensum, uel est sicca propter malam qualitatem, quæ infecit pulmonem, ad cuius expulsionem uires intendit natura. Dolor uentris est propter consensum, fortaßis circa diaphragma. Sanguis est unà euacuatus, & ita calor debilitatus, non potuit alimentum uitæ conficere, nec uirtus retentiua continere quantum conuenit: quare flatus exorti dolorem inferentes: frigus in extremis, & uelut horripilatio in toto est, ex uapore potiùs quàm ex materia. Aliàs horripilatio fit, quoties mala qualitas, aut humor mordax uel calidus uel frigidus, subitò per membra sensibilia spargitur. Hîc non est humor, quia fieret febris, sed est potiùs uapor, qui non potest exhalare. Nam si ægrum corpus, nihil difflatur, nisi symptomaticè: si sanum, optimè difflatur: si medium, medio modo se habet:

horripilatio quomodo fiat.

&

& quia isti uapores non sunt tenues, quia non difflantur, sed craßiusculi, fit ut diutiùs hæreant, & horrorẽ ita perpetuò inferant. Extrema frigent ob caloris inopiam, quia sunt exanguia. Iam habet febrem, quam ego credo esse becticam, complicatam tamen cum putrida: quia pulsus est durus, uelox, frequens, & inæqualis. magnus non est, sed magnitudinem compensat frequentia & uelocitate. Inæqualitas pulsus semper duo signi gnificat, aut febrem putridam, aut pulmonis affectus. Est autem ista putrida ex materia pituitosa, crassa, quam Græci τυφώδα, Auicenna Laticam appellat, in qua obstruitur calor, nec potest liberè transire. τύφος enim Græcis significat sepultus calor. Hodie deteriùs multò se habet quàm heri: oportet igitur attendere euentationi & exiccationi ad prohibendam putredinem, & aperiendas obstructiones. Præterea corroborandus est calor naturalis, quo corroborantur omnes uirtutes. Expectandum præterea, num dolores sint proportionati futuri altero die. Ptisana hordeacea erit illi ualdè conueniens, quia abstergit, refrigerat, lenit etiam ratione aquæ: Sed ne acescat in uentriculo, parum Cinnamomi addere oportet, quod etiam prohibet putrefactionem & confortat, concoquit pituitam existentem in uentriculo, & corrigit eius frigiditatem: ac licet uerum Cinnamomum non habeamus, uti tamen possumus eo quod habemus, aut etiam Caßia lignea. Loco alimenti sumat uitellum oui, aut carnes etiam: est enim ualde debilis. Vinum sit album & leue: nam hoc ad humectandum confert. Etsi enim humectatio nunc nõ est utilis ob putredinem, tamen facit ad aperiendum et euentandum. Nam & humida

pulsus inæqualitas qd significet.

ptisana qd operetur.

Nota de cinnamomo

mida corpora dummodò euentantur, non putrescunt. Nec parum alimenti adfert humiditas illa ex uino tali. Nunc cùm adeò sit debilis, & res procedat in deterius, ordinabimus linimentum pro parte sinistra dolēte, quod partem istam humectabit, & facilitabit etiam sputum, nec tamē putredinem augebit. Sumemus oleum Chamæmelinum, & adipem anserinum. Adeps anserinus ualde penetrat, est enim subtilißimarum partium, relaxat, resoluit, & habilitat pectus ad motum. Probari potest etiam subtilitas & penetratio, si infundatur in manum, tunc enim celerrimè pertransit, & in substantia positus citò diffunditur ad magnum spatium. Anethinum est resolutiuum materiæ calidæ, ut sanguineæ, & est concoctiuum frigidæ. Nota: Quæ concoquere aut maturare debent ad inflammationem à sanguine & calida materia, non debent transire primum gradum caliditatis, sicut Chamæmelinum, Amygdalarum dulcium, & Liliorum alborum, quæ in primo gradu sunt calida. Quæ concoquere debent materiam frigidam, non debent trāsire secundum gradum caliditatis, ut Anethinum calidū in secundo gradu. Quando miscentur medicinæ calidæ in secundo gradu, cum calidis in tertio, tunc totum mixtum est remissum in secundo, iuxta Galenum, sicut ostendimus in nostra Methodo de compositione pharmacorū. Ex oleis in hoc casu præferrem Chamæmelinum, quia etiam uim habet corroborandi: habet etiam leuem astrictionem. Et iam ista tria agere intendimus: Victum instituemus, linimentum ordinabimus, & corroborabimus oīa mēbra naturalia. Ad corroborationē ergò iuuatur totus uenter inferior, cum oleo de Absinthio. quòd si pau-

si paulò melius habere cœperit, medicinas ordinabimus. Vix euadet hic, sed eligemus ægrum alium, de quo maior sit spes, ne si omnes prius desperati moriantur, nostra culpa perijsse dicantur: sicq; uos facietis in praxi, non sunt desperati casus recipiendi. Est à me quæsitum, utrum poßimus ueram cognitionem sumere ex urina, qua semel corrupta, calida aqua post reparatur. Respõdeo, nihil sumi posse: nam in urina considerari debẽt liquor, color, substantia, subsidentia. Sed hæc omnia destruuntur, posita ad ignem urina: semper enim magis tincta ad ignem redditur, quia partes quædam tenues aduruntur, quæ mixtæ cæteris, tingunt. quandoq; etiam minus tingitur, cùm partes non sunt aptæ ad ustionem. Substantiam facit calor naturalis, quia magis uel minùs attenuat. Idem non potest calor ignis: non enim eodem modo potest regere, quo calor naturalis. Idem de liquore dicendum, sunt enim liquor & substantia ualde annexa. Limpidiores plærunque redduntur. Subsidentia autem semper post calefactionem. Est ergò nihil certi ex tali urina: sed est inuentum hoc auarorum Medicorum, qui multum ea ratione lucrantur. Auicenna inquit, multi putant urinam collectam post sex horas non esse inspiciendam: ego uerò nec post unam horam. Quidam post tres dies uident, & prædicant, modò des unum Mucenicum. Quando urina statim putrescit, non est facta cõctio. pus & sedimen in urina, media sunt inter putrefactionem & concoctionem. Sumat ouum sorbile, scutellam brodij carnis uituli aut pulli, loco syrupi: licet etiam carnes manducare.

℞. Adipis anserini ℥ i.

Olei

Olei Anethini
Chamæmelini ana ℥ s.

Misce pro unctione pectoris in parte dolente.

℞. Olei Absinthij ℥ ij.

Lichenes Plinij Misce pro unctione totius uentris inferioris. Lichenes Plinij, quam etiam uocat Mentagram, quia mentum erodebat usque ad ossa, & proportionata erat morbo Gallico, nunc uerò non extat, differt à Lichenibus Græcorum. Pro eductione materierum putridarum & catarrhalium, ordinabimus nunc remedia ex facile acquisibilibus, ne nobis accidat quod Venetijs cuidã insigni Medico super hydropico consulenti accidisse nouimus, qui non sine risu aliorum consuluit, exhibendam esse urinam camelorum, quam ex India afferri oporteret. Medicamenta sunt exhibenda quæ possunt haberi, quæq; non sunt ita magno comparabilia, si medearis pauperi.

℞. Terebinthinæ pinguis ℥ ij.
Sacchari rosati puri ℥ iiij.
Agarici præparati ℥ s.

Misce, detur in aurora quatuor uicibus, aut prout patiens ferre poterit. Lachryma ipsa Terebinthina seu Laricina, dilatat, abstergit, & tabidis iuxta Dioscoridem est accommodata. Succus rosarum refrigerat, confortat & expurgat. Agaricus euacuat materiã. Temperatura ipsa uel febris non potest tolli, nisi causa subla ta. Cibus sit humidus & refrigerans. Ego semper sumo naturam rei, & inde omnia primùm deduco, quæ à me dicuntur, seposita interim omni autoritate: posteà uerò Hippocratis, Galeni, & aliorum sententijs comprobo. Hectico electuarium non dabimus, quia euacuauit heri quater,

Terebintina seu laricina lachryma [illegible] optim.

quater, & dicit se mitigationem manifestam sentire ex pharmaco assumpto. Sed tamen in sinistra parte conqueritur adhuc de dolore uehementi, ita ut quiescere non posit: quare unum tantùm fiet in hectico, in cæteris relinquamus eum his quæ iam sunt ordinata. Ordinabimus ei linimentum, quod uim habeat corroborandi locum, ne recipiat fluxionem. Non tamen eiusmodi erit corroboratio, qualis solet adhiberi in inflammationibus, quæ est correctio seu reductio temperaturæ. Erit hæc tamen astrictio, ad quam maximè faciet Absinthium, Betonica, Chamædrys: habet enim uim maximam corroborandi omnia membra naturalia, cum Endiuia, Cichorio, & rosis, si timetur caliditas. Facta ex his fomẽtatione, liniẽdus erit locus cũ oleo Chamæmelino et Absinthino.

R. Absinthij
Chamædryos
Cichorij
Betonicæ ana m. i.

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ ad consumptionem medietatis, & fiat cum spongia fomentatio.

R. Olei de Absinthio
De Anetho ana ℥ i. ad inungendum locum post fomentationem. Phthysicus hodie quiescet, sed tamen interim utetur suis fomentis. Pulsuum differentias, quæ possunt uerè à Medicis cognosci, non scio plures quàm istas sex. Si Galenus potuit alias cognoscere & obseruare, bene est. Hoc scio, quòd omnes nos non alias cognoscimus quàm illas communes: quod de alijs alij dicunt, forsitan sunt imposturæ. Prima differentia pulsus, est magnitudo, quæ indicatur secundum omnes dimen-

pulsuũ diff^c. sex

1^a.

siones, scilicet, longum, latum, & altum: quandoq; enim sentitur unica tantùm dimensio, scilicet longitudo, & tunc percipitur arteria, uelut filum quoddam tenue extensum. Et talis non est magnus pulsus, quia non habet omnes dimensiones. Eius opposita differentia est paruitas. Secunda est uelocitas, quæ sumitur ex celeritate
2a motus usq; ad quietem: ei opposita est tarditas. Tertia est frequẽtia & raritas, quæ attenduntur penes quietẽ.
3a Quarta est inæqualitas & æqualitas, quæ attenduntur penes omnes prædictas differentias. Est autem inæqua-
4 litas duplex: una, unius tantùm pulsus, & hæc est fortaßis incomprehensibilis: altera plurium, & dicitur inæqualitas συστηματικὴ, quasi collectiua, ex multis pulsibus collecta. Vehementia etiam & debilitas pulsus potest cognosci: nam uehemens est qui Medici tangentis manum ualde pulsat: debilis contrà. Item plenitudo & uacuitas. Si quærat à uobis aliquis, quasnam differentias habeat istius pulsus? credo inter uos alios aliud responsuros: sed ut habeatis ea in re artem aliquam, nunc de pulsibus dicam. Sex differentias pulsuũ habeatis semper præ oculis, sicut elementa quædam: tot enim cognosco, & cognosci posse credo. Vltimas quatuor positas à Galeno, si quis cognoscet, bene est, ego ingenuè fateor me non cognoscere. Nihil enim minus unquam uolui quàm decipere. Itaq; haud æquo animo patior me interpellari inter tangendum, et explorandum pulsum, quòd nihil adeò magnam requirat diligentiã ut pulsus: ut mirum sit alios confabulari interim, & tamen omnes pulsuũ differentias assequi. Ego nescio an poßint esse tàm ingeniosi, & tanta celeritate discurrere. Vos debetis

debetis esse maximè diligentes, ut eas quas dixi differentias, cognoscatis. Primùm considerabitis, utrum sit magnus an paruus. Nam & à natura primùm intenditur magnitudo, quam si potest perficere, ea sola contenta est. Non abundat enim in superfluis, & in omnibus moderata est natura. Itaque frustra sunt aliæ differentiæ, ubi in pulsu est magnitudo. Consideratur autem magnitudo in tribus dimensionibus, scilicet utrum sit altus, hoc est, an multùm eleuetur: an longus, per quatuor digitos æqualiter: an strictus uel largus. Potest enim istorum aliquod esse sine alijs, et nihil in his sine causa accidit. Secundò consideretis utrum uelox sit, hoc est, utrum celeriter moueatur in pauco tempore: an tardus, qui longo tempore mouetur. Attenditur hæc differentia penes motum: percipiuntur enim in quolibet pulsu semper ista duo, motus & quies. Tertiò, utrum frequens sit an rarus. frequens est, quando breuis quies intercedit: rarus, quando longa est quies inter duos pulsus: sicut uites raras dicimus, inter quas magnum est interuallum: & rarum auditorium, cùm miser doctor uix quatuor habet discipulos: frequens autem, cùm sedent confertim. Est igitur frequens pulsus, quando quietes sunt paruæ: rarus, quando quietes sunt longæ. Quòd Galenus gloriatur se amorem deprehendisse ex pulsu, apertum mendacium credo esse: eo fuit ingenio, ut uoluerit in omnibus &c. habuit nescio quid Græci. Quartò est uehementia & debilitas consideranda. Vehemens dicitur, quando est ualidus, urgens, et certat cum digitis uestris, nec uult cedere. Debilis autem, quando non facit resistentiam. Sed hic habeatis unam cautelam, ne durities uos

decipiat, & ne uehementem iudicetis, qui est durus. Differunt enim uehemens & durus pulsus: quia durus post preßionem quasi uictus cedit ac cessat: sed uehemens resistit fortiter. Quintò, an sit plenus uel uacuus: apparet enim aliquando materia ac si esset uacua. Sextò, utrum sit æqualis an inæqualis, maximè an inæqualitas systematica. Non autem turbet uos uocabulum, quia nihil est in uocabulo: potestis uos dicere collectiuã, pro systematica. Est autem inæqualitas systematica, quando decem uel duodecim sunt pulsationes, et nulla est æqualis seu correspondens alteri. Simplex inæqualitas est: quando in una pulsatione percipitur magna diuersitas, ut si in una parte mordicat, in altera minimè: aut in uno tactu est uelox, in altero tardus &c. Istam diuersitatem non puto posse deprehendi, cùm uix quies in pulsu percipiatur. Quare nugas esse arbitror reliquas differentias, quas certè impoßibile est cognoscere. Et quòd Galenus diuidit posteà genera pulsuum usq; ad minimum, credo ipsum risisse cùm scriberet. Quidã dicunt se posse pulsum serrinum percipere, quod splendidum est mendacium: sicut Medicus quidã dixit ægrum habere serrinum pulsum, et cùm alter doctior eum se deprehendere posse negaret, tandem & ipse confessus est, nec se deprehendisse, hoc tamen ideò dixisse, ut si fortè alter cognouisset, ipse non minùs scire uideretur: sed quando tu non cognoscis, inquit, neque ego cognosco. Hæc de differentijs pulsuum, cras de causis agemus. De salute hectici despero, sed tamen nunc bene se habet: uirtus satis constat. Vrinæ sunt laudabiles in substantia, et colore: sputum est heterogenium, spumosum, tenue, &

in qui-

in quibuſdam partibus coctum: pars craſsior, uiridis, ſuppurulenta uenit ab una parte, et ſputum ſpumoſum ab alia. Factum eſt autem ſpumoſum ideò, quia ſpiritus cum humore eſt admixtus, & confractus ad minima. Craſsior autem pars eſt cruda, putrida, & derelicta à natura, unde non potuit ſpirituari, ſeu ſpirituoſa fieri: non enim admittit ſpiritum iſta craſsities. Viriditas cruditatem & malignitatē ſignificat: ſpirituoſa pars proculdubio deſcendit ex capite in pulmonem, nec multam moram fecit in ipſo, alioquin enim putruiſſet. Eſt iſte noſter æger in capite de empyemate. Non eſt mirandum quòd pus per membranam ſuccingentē coſtas in pulmone recipiat: nam ut Galenus etiam inquit, natura multa alia facit miranda magis, ut quòd pus per os tranſit, quæ quo modo fiant, non poſſumus imaginari, fiunt tamen, et omnes Medici tanquā manifeſtum id recipiunt. Hac nocte uehementer doluit in latere affecto, forſan quòd heri plus iuſtò comederit, ſicut ipſe fatetur. Et quando repletio adeſt in corpore, ac pulſus non eſt factus debilior, iterabimus eius medicinam de Terebinthina, ut natura aliàs excrementis ſuffocata excitetur. In hectico hodie nihil mutabimus, quia uirtus ſatis eſt imbecillis, & pharmacum multum eduxit. Verendum ne incidat in ſymptoma grauiſsimum, quod ferè accidere ſolet cum catarrho, in tabidis maximè, ut cum diarrhico fluxu pereat, propter uirtutis imbecillitatem, quæ conſiſtit in tribus, in calore & ſpiritu, in ſanguine, & in ſolidis. Quando hæc omnia bene ſe habent, ualida etiam eſt uirtus: quando deficit unum, imbecillior fit ipſa. In tabidis autem omnia iſta deficiunt: deficit enim calor,

ſanguis, muſculi conſumpti, & deniq; nihil aliud ſunt quàm oſſa & cutis, ut ait Galenus: non mirum itaque ſi ex retentricis imbecillitate in diarrhœam incidant, hinc enim & fæces iam indigeſtæ apparent. Poteſt etiam eſſe propter catarrhum. Ita uidebitis ſemper fieri, quando prouenit fluxus, quod ut plurimum contingit tabidis, tunc mors eſt proxima. Fiat huic tamen fomentum ex Abſinthio & aceto, ad corroborationem, quia propter frequentem egeſtionem multum eſt debilitatus, & corroboratio iſta non eſt propriè dicta, ſed largiùs ſumpta. Quia uerò confortatio nihil aliud eſt, quàm reductio ad temperiem, eſſet in iſto procedendum cum frigidis & humidis. Pulſus eſt admodum paruus, ſed uelocitas non admodum mutata. Si hæc nondum deprehendiſtis, exercete manum & mentem ut poßitis deprehendere. Velox, paruus, magnus, ſunt relatiua in comparatione ad aliud, ad temperatum ſcilicet in calido aliquo aut bilioſo. Pulſus in ſe non rectè dicitur magnus aut uelox, ſed bene in comparatione ad Socratem calidum & humidum: & exceſſus notamus tantùm in pulſibus. In uelocitate nõ receßit pulſus, ſed mutauit inſigniter frequentiam: eſt enim multò frequentior quàm heri. Nam cùm tria ſint quæ pulſum faciunt, neceßitas, uirtus, inſtrumentum: neceßitatem habet eandem quam ſanus, & forte etiam maiorem, & duritiem inſtrumenti. Ergò nõ poteſt dilatari ad iuſtam & opportunam dimenſionem. Natura ergò prouidet cum uelocitate. Sed quia etiam uirtus imbecillior, nõ eſt uelocior: ad uelocitatem enim requiritur uirtus, ſiquidem ſenex non poteſt bene currere. Supplet ergò frequentia, quod magnitudine & uelocitate

pulsu tria sunt q faciunt.

uelocitate non poteſt: & eſt frequens pulſus perinde ac formica operoſa: nec deſunt iſta uſque ad mortem, quia ultimum eſt refugium miſerorum, pulſus. Nuſquam deſperet Medicus, quando conſtat in pulſu magnitudo, uelocitas, uehementia: ſi aduenit pro his frequentia, malum. Quantum ad tabidum, pauca ſunt dicenda, & pauca etiam facienda, deuenit enim ad extremam extenuationem, & ad fluxum uentris, quod peßimum eſt, iuxta Hippocratis illud: A tabe ſubitò fluxus uentris ſuperueniens malum, ac ferè omnes moriuntur. Sic Caſſanus noſter, & M. Antonius Barolinus. Eſt autem malum & per uiam ſigni, quia ſignificat defectum omnium uirtutum. Virtus enim naturalis non concoquit, non ſanguificat, non diſtribuit: et prætereà catarrhum augeri oſtendit, qui deſcendit ad ſtomachum, & lenit aluum. Et per uiam cauſæ malum eſt, quia ipſe nutrimẽto indiget, quod ſubtrahitur per defluxum uentris. Non loquemur igitur ampliùs de iſto, niſi quòd conabimur facere dum uiuit, quæ poſſumus. Appetit lac, quod dabimus ei, ſed in quo ferrum candens fuerit extinctum, ut partes ſeroſæ, tenues, abſtergentes auferantur, & maneat pars caſealis, ad alui aſtrictionem non parum conferens. Linimentum etiam ordinabimus ad corroborandum uentriculum, & ſiſtendam aluum.

R. Ladani electi ℥ s.
Maſtyches ʒ ij.
Olei de Abſinthio ℥ i.

Miſce pro unctione ſtomachi. Ladanum, præterquàm quod concoquit, etiam facit ad penetrationem. Maſtyche appropriata eſt ſtomacho, & Abſinthium mirificè robo-

roborat uentriculum. Affligitur in sinistra parte, & nō potest quiescere in opposita, quia tumor iste iam deuenit ad partes interiores. Ex Chamæmelo & Chamædry facere possumus fomentationem. Prætereà emplastrum Meliloti est optimum: quia resoluit, maturat, & confortat. Si materia indiget resolutione, tunc resoluit: si maturatione, maturat: si utroq;, utrunq; facit. Ergò loco dolenti applicabitur illud emplastrū Meliloti, sicut pridem dixi. Ita iste miser est mortuus cum fluxu uentris.

meliloti empla-
stri uirtus.

Consult. LIIII. De Ischiadico.

CVM accedetis ad ægrotum, quod primum debetis agere, est istud. Primùm contemplemini uultum, deinde colloquamini cum ipso, posteà tangatis pulsum, & obseruabitis omnia quæ uobis ad morbi cognitionem erunt necessaria. Decumbit hic Ischiadicus, qui ad tabem ferè peruenit. Adsunt febris continua, tabes totius corporis, dolor in sinistra parte circa glandulas, inguinis dolor, non erigit crus, sed flectit. Ista omnia consideranda in hoc ueniunt. Quo modo curandus hic erit & liberandus ab his affectibus? Indicationes erunt necessariæ. Vnde? à natura morbi & symptomatibus. Sed præsupponemus, primò eius temperaturā, quæ est calida, sicca, cholerica: est enim gracilis, & talis fuit sanus: pili plurimi in corpore, et nigri, craßi, uenæ amplæ. Laborauit anteà ex hepate: anteà, ut dixit, laborauit morbo Gallico. Est Ceretanus, uagabundus, uixit inordinatè, ut solent isti. Incipiamus à primo symptomate. Primò sensit dolorem cum tumore in partibus glandulosis circa pubem, qui causatus est à materia pituitosa, uel etiam

ex faece

ex fæce sanguinis, in eam partem natura debilem delatam, propter ambulationem, et uictum inordinatum: cõmunicata deinde est propter loci uicinitatem, neruis & musculis mouentibus crus, qui aut resoluti sunt, aut debiliores facti: forte etiam per uertebras dorsi delata aliqua materia eò decubuit. Morbus ergò est mala intemperies, uel obstructio in istis partibus. Febris est symptoma: quia materia multa in locum aliquem depulsa, nõ bene euentata, necessariò putrescit. & puto febrem esse hecticam, quæ ut plurimum iungitur putridæ, etsi ex ephemera potest fieri transitus in hecticam, sicut dicit Galenus: multò magis ex putrida, præcipuè in cholerico corpore diu laborante. Si uelis febrem morbum appellare, nihil refert. Febris putrida ferè semper iungitur hecticæ. Et hoc est, quod Auicenna inquit, primã & secundam speciem hecticæ cognosci difficillimè. Contrarium dicere uidetur Gale. sed Auic. intellexit de hectica coniuncta putridæ: & sic doctißimi isti uiri non sunt pugnantes. Ατροφία seu tabes, fit propter dolorem febremq́; : sed primum uitium est in neruis & musculis pedum. In cura respiciendum est ad id, quod est principale, quo ablato auferũtur & cætera. XI. Meth. quod habet rationem causæ sine qua non, sed cætera curari possunt: quod perpetuò in complicatis uitijs est obseruandum. In hoc casu dum dolor adest, tolli nequaquã cætera poterunt. Dolor ergò primò sedetur. Solet autem sedari aut per mitigatorium, aut per stupefactiuum, aut per euacuatiuum. Non per duo priora, ergò per euacuationem. Sed iste humor faciens dolorem, uel totus decubuit in partẽ, uel habet adhuc causam fouentẽ.

Dolor p que, sedatur.

Euacuare

Euacuare ipsum non ausim, quia fuit satis purgatus, & heri sumpsit pillulas satis fortes: prætereà est arefactus omninò. Sed ex loco oportet tollere materiam. Instituatur regimen primò, deinde à loco materia euacuetur. Sed quibus modis? aut fomentis, aut emplastris, aut utrisq;. Et nota, si per emplastra applicata rubescit locus, erit iter curæ cognitum, quia materia dißipabitur & resoluetur: sin minus, cura erit difficilis & impossibilis. Postquàm igitur facta est generalis euacuatio, fomenta applicabimus, & emplastra quater aut quinquies: si tumor non obedit, ad fortiora ibimus: si neq; tum, ad chirurgum ægrum mittemus. Inter reliqua semper habeat patiens uentris beneficium. Aqua mellis loco uini bibatur: nam bene nutrit, & meliùs quàm uinũ. Iniiciatur aliquid Saluiæ & Betonicæ, propter corroborationem neruorum, & resolutionem materiæ. A clysteribus primò incipiemus leuioribus, deinde fortiorib. Resoluere & mollire oportet in hoc casu. A leuibus incipiamus, & tandem ad dropacismos perueniamus, si ista non contulerint.

℞. Anethi sicci
Florum Chamæmillæ
Maioranæ
Pulegij
Calamenthi ana m. i.
Sem. Lini
Fœnugræci ana ℥ i.
Ebulorum uirid. m. iiij.

Bulliant omnia simul in sufficienti quantitate aquæ, ad consumptionẽ medietatis, pro fomentatione. cum spongia

gia terantur quater.

℞. Hyssopi ceroti
Dialtheæ ana ℥ i.
Butyri recentis ℥ ij.

Misce, fiat linimentũ pro loco, quod adhibeatur post fomentationem.

R. Aquæ communis lib. iij.
Mellis ℥ iiij.s. *Sumitur octaua pars mellis.*
Saluiæ
Betonicæ *ana* M.s.

Bulliant in aqua ad tertiam partem, bibat loco uini. Conualuit, & discessit tertio. Iuuenis quidem sciaticus bibat aquam mellis, et clysterem sumat ex Maluæ brodio, cum Hieræ picræ ʒ iij. Mellis rosati ℥ i. Olei ℥ iij. Potus pro febricitante:

R. Aceti lib. i.
Sacchari ℥ viij.

Fiat oxysacchara, atque de isto sumatur aliquid, & misceatur cum aqua cocta, quantum ægro placet, & sit potus febricitanti.

Consult. LV. Pro melancholico.

CASVS *nobis oblatus diligenter est cõsiderandus. Ex colore iudicamus ipsum ualde abundare melancholia, & adusto humore, & corpus esse cacochymicum. Color enim maximum indicium præbet humorum existentium in corpore, ut dicit Gal. Prætereà germina illa in diuersis partibus idem ostendunt. Sed melancholici sunt frigidi & sicci. Iam, ut dicit Gal. 11. artis, tem-*

pera

peratura calida & sicca, decedente ætate, transit in frigidum & siccum, quia calor adurit humores: ergò omnes tales sunt flatuosi. Et abundant etiam pituita. Quare in euacuandis melancholicis, semper etiam aliquid admisceas, quod pituitam educat. Confectio Hamech est diuina apud me, pro melancholicis & adustis humoribus, in qua melancholiam purgantia, optimè admixta sunt cum his quæ ducunt pituitam. Bene etiam illud, quòd coitu iuuentur melancholici, quia excernuntur flatus. Sed quæritur an ista cacochymia sit ratione propriæ intemperaturæ, an ratione regiminis. Credo esse propter utrunque. Pili nigri, craßi, ostendunt habitum naturalem melancholicum. Gal. 11. de temp. Non ab excrementis iudicabis temperaturam, sed ab adnatis, quæ consequuntur temperaturam, sicut maximè sunt pili, siquidem cholerici facti melancholici retinent pilos suos rubeos, nec mutant cum temperatura, nisi posteà per longum secessum. In hoc sunt nigri & craßi: ergò fuit melancholicus à natura. Acceßit regimen inordinatum, est enim pauper, solitus humi cubare, & fortasse dormire in solo per compita. An habuerit morbum Gallicum nescio, ipse non fatetur, sed ulcera mali aliquid repræsentant. Quando accidit morbus Gallicus, accidit contagium quoddam in hepate innominatum, quod nec calidum, nec humidum, nec frigidum, nec siccum dicere possum, quia omnes humores redundant in talibus, nisi quòd semper craßiores reddantur & adusti. Non est credendum esse infectionem calidam, quia non iuuarentur à ligno sancto, quod est calidum: sed est potiùs quædam occulta qualitas, quæ nobis est incognita. Et talem esse

ca quam temperatura calida et sicca decedente aetate transeat in frigidum et siccum et sint flatuosi.

Nota de morbo gallico.

esse causam credo, quòd sit cacochymicus. Quæ cùm ita sint, ista omnia uidetis sequi: habet ulcus malignum circa oculum, cuius sanies exiens uidebatur mihi quasi caro nigra assata: estq; hæc serpigo in superficie, quod ostendit tenuem & rodentem humorem: uerisimile est enim partes superiores infestari tenuioribus, craßiores uerò inferiores partes occupant: quare circa genu est insignis abscessus cum dolore, deueniens nunc ad exituram. Quanquam semper consulo ut caueatis à suppuratione circa iuncturas, quia sunt difficillimæ curæ. Arabes bene hæc distinguunt. Apostema seu inflammatio dicitur, quando materia colligitur: ueniens ad exituram, quando exit in spatium quod est intra cutem & musculos: quando suppuratur, Aldubalaton uocant. Credo quòd non tantum peruenerit materia ad exituram, sed quòd etiam aliquid sit de pure. In omni abscessu semper resolutioni est intendendum, si potest fieri, aut ei quod est melius. Quatuor enim sunt quibus terminatur abscessus: aut resoluitur, aut suppuratur, qui duo sunt boni termini: aut in scirrhum transit, aut corrumpit membrum: quæ duo mala. Quod de crure, idem dico de brachio, est enim eadem ratio, licet in brachio non sit tanta materia. Materia in crure est melancholica, adusta, permista cum pituita, ad exituram ueniens. Materia in isto est subtilis, acris, erodens in superficie. Si procedes cum calefacientibus & humectantibus, reddes ulcus peius: si cum calidis & siccis, exacerbabis, ita ut in gangrænam transeat. Nec frigida & humida conueniunt: ergò frigida & sicca erunt applicanda, uelut unguentum de Pōpholyge, quod in istis ulceribus plurimùm confert. O-

portet

portet autem Pompholyga optimè & subtilißimè esse contritam atque lotam, ne mordicet. Addatur oleum rosaceum, omphacinum, & commisceantur in mortario plumbeo, & fiat linimentum pro loco. Si modò sufficiens esset exiccatio, succum Solatri potes sumere cũ exiccantibus, uelut est unguentum de Cerussa, plumbo, Cadmia: & ex omnibus metallis optimè elota conueniunt. Vnguentum de calce etiam conuenit, sed oportet esse bene lotam. Ne fidas hac in re aromatarijs, quia omnia negligentiùs lauant. Hæc in ulcere. Sed in oculo ipso Tutia simplex confert. quòd si à leuioribus incipere uoluerimus, saccharum Candi bene puluerizatum optimum erit, deinde aqua Plantaginis manè lauetur. Ad alias partes, quia corpus nondum est euacuatum, applicabimus interim quod sequitur.

R. Rosarum	M. ij.
Chamæmillæ	M. iiij.

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ, ad consumptionem medietatis. Pro fomentatione.

R. Olei Chamæmelini	℥ iiij.
Rosacei	℥ ij.

Fiat linimentum, quo inungatur post fomentationes. Sed oportet omnibus modis corpus purgare, ad tollendã cacochymiam, seruato etiam optimo regimine in sex rebus non naturalibus. Edat, si habere potest, carnes pulli, oua, ptisanam factam cum seminibus refrigerantibus. Bibat uinum album, lymphatum. Pro minoratiuo sumat:

R. Electuarij lenitiui	℥ i.
Diasenæ	℥ s.

Misce, cum saccharo, fiat bolus. Hic miser omnia habet

genera

genera ægritudinum: ſed quia hora cœnæ inſtat, reſeruabimus eum caſum integrum.

Conſult. LVI. Pro Diarrhico.

CIVIS Nobilis Patauinus, Doctorem ad ſe accerſitum miſerat, qui de eius conſtitutione ita nobiſcum cōmentabatur. Complexio eius eſt calida & humida, ut ad oculum apparet: necdum annum quadrageſimum, ut opinor, egreſſus eſt. Is iam inde uſque ab ineunte ætate uariè ſe exercuit, nec quidquam minùs potuit quàm in otio tranſigere ætatem, quare in militiam profectus ſtipendia diu fecit. Ab hinc annis duobus exercitia primũ omiſit, & otio ſummo ſe dedidit corrumpendum: quare etiam homo uarijs eſt mutationibus obnoxius. Nuper dolore uentriculi laborauit & cholico, ex quibus iuuante diuina clementia conualuit. Nunc uerò de lapide renum & dolore haud mediocri conqueritur. Atque altera iã dies eſt, ex quo fluxu uentris laborare cœpit, & quemadmodum uidetur, deijcit craſſam pituitam cum bile ex clyſteri, quo materiam peccantem moui. Præſcripſi deinde diætam optimam, ac inunxi uentriculum oleo Maſtychino. Sed quia omnis materia necdum excreta erat, ſequebatur uentris rugitus, & dolores alij: quare clyſtere ordinaui ex hordei decocto, cum melle roſato ſolo. Ad hæc mala acceßêre etiam dolor, uigiliæ, ſitis. Sed quẽ diſcurſum quis habere poſſet in hoc caſu? Tria autem in primis ſunt conſideranda, quod paßim Galenus inculcat: res naturales, præternaturales, & aër ambiens. Alijs omißis conſideremus ſynptomata, quæ primũ conſideranda ueniunt, & nos in cognitionem tum morbi, tum

tum causarum inducunt. Symptomata uerò sunt, dolor uentriculi, & cholicus, ex intemperatura nimirum, cùm materia scilicet eò delata est, quia egerebat copiosè, propterea quod non exerceretur ut antea, et nihilominus copiosa & crassa egerebat. Deinde fluxus uentris est symptoma, quia exiens est mutatum: atque is est Diarrhicus. De lienterico Galenus multa, v. Aphor. i. Et lientericum non esse uel ex eo constat, quòd non inconcocta, neque diminutè concocta egerat. Inconcoctiones & cruditates hîc dicimus, uel quòd non digestæ sint materiæ, uel concoctioni contrariæ. At iste fluxus promanat ex multitudine materiæ, quæ corrupta est, & quia multa, & quia calor naturalis imbecillus. Imbecillus uerò est calor naturalis factus, ob omissa exercitia, quæ eum uel sola accendunt: deinde quia hac consistendi est ætate. Postremò, quòd ea superfluitatum excretio non fiat, quæ olim stantibus exercitijs fuit ob calorem uegetum. Sed dicat aliquis, quo modo corrupta sunt excrementa, cùm non fœteant? Non fœtent, quia non admodum sunt adustæ fæces: corrupta uerò à frigiditate positiua, quæ corruptionis nõ minus est causa quàm calor extraneus. Hinc illud quoque est, quòd albescant, & sint spumosa aliquantulum. Atque eadem nunc est causa lapidis: nam calculi aut congeruntur à calore, aut quia materia crassa congeritur. Quid igitur faciendum? Tria potißimum: euacuandum est corpus primùm, deinde membra sunt alteranda, tertiò præcipienda sunt illi usitata exercitia. Membra autem alterari non possunt, nisi corpus priùs purgatum sit: itaque uentriculum roborabo inunctione oleorum, Mastychini, Nardini, quibus addam etiam

calculi

Rosatum

Rosatum, propter corporis temperaturam. Cessante uentriculi dolore, obstructiones ut tollam summa ope nitar: id autem fiet syrupo de Cichorio & Betonica, quia materiæ frigidæ: atque hac de causa acetosis supersedebo. Deinde curabo purgari uberiùs corpus, aut Hiera, aut Alephanginis, quibus addam aut aureas, aut Coccias, prout materia fuerit pituitosa. Post hæc alterationi ipsius uentriculi intendam, & dabo

R. Diacalamenthi ℥ ij.
Rosati ℥ i.

Quod reliquum est, repetat sua exercitia, aut utatur diæta attenuante, id est, calida & sicca, & uescatur auibus paruis, & sæpe hauriat oxymel.

Consult. LVII. De Epileptica puella.

FRIZIMELICA. Scribitur ad nos de puella, quæ nata est annos uiginti, cuius temperaturam humidam iudico declinantem ad caliditatem. Caput frigidius forte est & humidius, quia dolor grauatiuus infestat, & ipsa frigus in capite sentit. Vitæ ipsa est intemperatißimæ, & menses sunt suppreßi, atque iam à decem mensibus non purgatur: quare in epilepsiam incidit. At uerò in dubio relinquitur, anténe menstrua fluere desierint, quàm epilepsiam sentiret: quanquã ratione probabili id fiat uerisimile. Ad hæc uentriculus male est affectus. Ipsa etsi adhibuerit doctißimum Medicum anteà, à quo corpus & pharmaco & phlebotomia est purgatum, & bona uictus ratio instituta, tamen & nos propter consilium requisiuit. His suprà paulò repetitis, quid rei sit perpendamus diligentiùs. Temperaturam iudico humi-

dam cum leui caliditate: quia carnosum est corpus puellæ & pingue. Sola uerò pinguia semper sunt frigida. Eadem ratio est membrorum principalium, quæ toti plerunq; sunt uniformia. Caput igitur summè humidum: unde deinde uaria symptomata, et ipsa deniq; epilepsia. Labor capitis diuersus est, dolet, & percipit frigiditatem, laborat epilepsia: an uerò fuerit ea cum spuma, aut sine hac, aut cum conuulsione, incertum est. Hûc accedunt iam alia symptomata: menstrua enim sunt suppressa, unde promanat mala intemperatura frigida & humida capitis, quæ morbus est mulieris: nam percipit summam frigiditatem. Ipse capitis dolor est grauatiuus, qui demum sunt fontes epilepsiæ: nam epilepsia nihil aliud est, quàm obstructio in ipsis cerebri uentriculis, quæ fit à pituita, alijsq; uiscidis humoribus & craßis, qui cùm in capite abundent, & accedat ipsa capitis intemperatura, sequitur epilepsia: menstrua enim sunt suppressa, quæ uel sola parare uarios morbos solent: unde etiam materiæ congestæ frigidæ & humidæ ex uentriculi uitio, intemperanter enim uiuit. Intemperantiã sequuntur cruditates, quæ replent corpus malis humoribus, et maximè cerebrum. Ita fouetur intemperatura capitis ab inferioribus: cum eodem cõmunicat totum corpus, quod illi noxios uapores transmittit. Quid igitur agendum est? credis ne eam posse euadere? Vereor equidem ut id fiat, cùm ob alias causas, tum quòd in loco sit frigido & humido. Quare nec mirandum est, nihil Medicum effecisse clarißimum adhibitis illis medicinis. Verum enimuero cùm epilepsia sit primariè in cerebro, uel per consensum: si est per consensum, membrum est alterandũ,

sola pinguia sem[per] sunt frigida.

epilepsia q[uid]

Nota de intemperantia

alterandum, & antequàm hoc fiat, totum corpus euacuandum. Quid? euacuari'ne debet per phlebotomiam? Per tempus non licet, quare in uer differendum censeo. Restant instrumenta euacuandi corporis duo, diæta scilicet & pharmacum. In diæta assumat quæ aperiunt, incidunt, et apertè attenuant. Inter cætera utatur pane satis fermentato, cum seminibus, ut Fœniculi & alijs. Vtatur carnibus attenuantibus, ut auicularum paruarum, & hæ condiantur aromatibus item attenuantibus. Vinum'ne dandum sit, dubitari poßit, quia caput est affectum: sed quia humores sunt frigidi & craßi, modico utatur uino, atque si hoc nolit, bibat aquam mellis, uel sacchari, aut oxymel, aut oxysaccharam: nec acetum quidquam hìc nocere potest ob mixtionem. Decoquantur item Betonica & Saluia. Vtatur item exercitijs. Quid? semel'ne interdiu comedet? Quia uerò edere bis in die consueuit, nolo ut quidquã contra consuetudinem faciat. Vti quoque poterit salsamentis, quorum incidere est. Venter frequẽter leniendus est, nam est adstrictior, ob crassos & uiscidos humores suspendentes fæces. Quare ante cibum etiam oxymelle utatur. Partes inferiores exerceantur, & frictiones fiant, sed non item in capite. Cæterùm exerceatur ambulando & equitando. Concocta materia ad caput ueniemus. Hiera & Caßia uenter leniatur, et materia concoquatur cum syrupo de Betonica, oxymelle composito, et Scyllitico interdum: pillulis Coccijs purgetur, quibus aliquid Colocynthidis addatur. Ego misceo drachmæ uni ipsarũ specierum Hieræ ℈ i. Colocynthidis usus quandoq; erit propter intemperaturam corporis. Trochiscorũ Ala-

bandal & confectio Hamech ualde est bona. Laudarem multum pillulas illas Coccias in hoc casu, quas describit Gal. lib. v. Meth. cap. XIIII. Suadeo etiam ut sæpe interim purgetur, ac per interualla sæpe pillulis utatur, donec uer attingeremus, in quo demum purgarem & alterarem caput, tunc mitterem sanguinem, cum syrupis materiam concoquerem, et euacuarem: deniq; consulerem etiam ut in nostras has Thermas ueniret, & aquã biberet, prouocarentur frictionibus menstrua, ac darem Diasplenion, Diacalamenthon, Diatrionpipereon. Vterer etiam decoctis Calamenthi, Pulegij, Dictamni, ut materia attenuaretur. Nunquid saphæna secanda? Ita: & si hoc nolis, fiãt scarificationes circa malleolos, quas antiqui multùm laudarũt: nam & ego hyemem uereor. MONTANVS: Vtar & ego breuitate, ut rationẽ temporis habuisse uidear, sed ita tamen, ne quid eorum quæ ad institutum sunt necessaria, prætermittam. Certum est puellam laborare epilepsia, non propter unam, meo iudicio, sed multas causas. Principales duplices sunt, efficientes aliæ, aliæ naturales. Iam uerò efficientium aliæ sunt intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. Intrinsecæ uerò, uel agitatio siue motus est spirituũ in cerebro: agitati enim in neruos ingredi nequeunt: unde sequitur, ut corpus aliquandiu sensu & motu priuetur, uel propter ebullitionem humorum in cerebro contentorum, uel propter caliditatem ascendentem. Tertia sunt humores craßi & pituitosi obstruentes spirituum meatus. Quarta, uel uapores uel qualitas uenenosa ascendens, unde contrahitur cerebrũ, et motus corporis deprauatur. Atq; hæ sunt causæ quatuor intrinsecæ & corporeæ epilepsiæ.

cae epilepsie

Extrinsecæ

Extrinsecæ autem sunt, diæta, qua est usa, affectus animi, & aër. Porrò causæ naturales sunt uel humores uel uapores. Si est humor, uel est sanguis, uel melancholia, uel pituita: idq; aut in cerebro, et tunc morbus per essentiam dicitur: aut in partibus inferioribus, & dicitur iste per consensum. Quia uerò tot sunt causæ (de loco formali non ampliùs dicere necesse habeo) quid credis in hac esse omnes? Equidem credo si nõ omnes concurrant, certè tamen plurimæ sunt. Spiritus undosus adest: atque hoc uerum inde capio signum, sensisse puellam strepitum in capite, nimirum propter uaporum agitationem. Deinde est calefactio & ebullitio humorum in capite, quia ob oculos uidebatur uidere quædam fulgura, quæ perturbationem cerebri efficiunt, et sunt ceu flammæ aëris. Tertiò, obstructio meatuum propter humores frigidos & crassos: hisce enim diebus sensit perpetuò dolorem capitis grauatiuum. Quare quòd adsit mala quoq; qualitas, argumento sunt retenta menstrua, unde uenenosus quidam uapor exhalat, quod pluribus ostendit Galenus lib. vi. de locis affectis. Ad hæc accedit etiam corporis temperatura humida & calida: nam au ctore Galeno 11. de temperamentis, carnositas sola caliditatem arguit, pinguedo humiditatem: hæc cùm coniunguntur, significat etiam qualitates coniunctas. His positis negari non potest, hepar quoque calidum & humidum esse necessariò, quare etiam aptum replendo capiti, quia uaporosum gignit. Ratione autẽ cerebri apta est puella ut hoc morbo infestetur, quia caput debile recipit ad se transmissos humores. Cœpit uerò dolere caput iam inde à decem mensibus. Causæ extrinsecæ

carnositas sola, caliditati argit pinguedo humiditatem.

sunt mala diæta. Neque uerò satis habuit misera, ut sese oneraret nimio cibo, quem sine discrimine ingerere est solita, quin etiam uermes illos qui sericum nent, aleret, unde & ex folijs putridis, et male caput petentes uapores exhalant: quia etiam ex odore plus satis mali id generis hominibus accidere poßit. Hũc acceßit menstruorum retentio, et aliud malum altero non leuius, diſpoſitio scilicet aëris. Locus enim expositus Austro, qui hodie etiam spirat per mare, et lacus frigidum inspirat, ac ædes in quibus ipsa puella habitat, penetrat: ab Occidente itidem habitatio, scilicet mare, à Septentrione uerò Boream insenſißimè frigidũ habet: nam is quò angustiore loco concluditur, hoc est multò frigidior: unita nanque fortiora semper dissolutis. Itaque Auster replendo, Boreas uerò refrigerando, constringendo & exprimendo, malum puellæ augent. Quod reliquum est, hæc signa me omnia eò deducunt, ut credam efficientes causas omnes cõcurrere. De causis materialibus etiam dicam breuiter. Causa uerò naturalis est humor frigidus & pituitosus in cerebro, atque hoc probat frigiditas quam percipit circa nucham: & grauitatem capitis sentit hoc tempore. Quod uerò ad consensum attinet, is sanè magnus est à uentriculo, matrice & hepate, deniq; ab ambitu totius. de reliquo materiam mixtam esse, signa satis docent: inundationes spirituum & calidorum uaporum in parte anteriore, signum habent flammã ante oculos: frigiditatis uerò in posteriori parte, est ipsa quæ percipitur frigiditas. Atq; hæc de causis efficientibus tàm extrinsecis quàm intrinsecis & naturalibus, sit satis. PROGNOSTICON. Puella nata est

ta est annos XXII. ætas obseruanda est, quòd ea uel sola doceat, an hoc morbo poßit liberari. Hæc ætas in fœmina æquipollet propemodum XL. annis uiri. Quia uerò in XII. ætatis anno per menstruum fluxum à doloribus capitis non potuit liberari, quomodo sanari poßit, nõ uideo. Nam hic morbus si uirum à XXV. ætatis anno inuaserit, illi commoritur, quare puellæ multò magis grandiusculæ. Hæc mala et iam iuuat intemperatura mala, item alia quæ dixi. Cura nõ est impoßibilis, et si tolli non potest, poterit saltem leuari, atque hoc conandum erit. Sed quoniam plures sunt causæ huius morbi, ab efficientibus præseruationis indicationes, à materialibus uerò curatorias mutuabimur. Et ut ordiamur ab efficientibus extrinsecis, in quibus nõ postrema est aër: hunc igitur si potest, aut mutabit, aut si omninò non poterit, saltem omnem in aëre excessum fugiet. Et si hoc naturaliter non potest, arte efficiat: ut si suffitus fiat aromatum, quæ caput non petant, quod genus illud est, quo multum utor, aqua rosacea & acetum & Caryophylla miscentur, ac fit suffumigiũ leniter calefaciens. Cibis etiam attenuantibus, quia uentriculus & cerebrũ pituita abundant, atque totum corpus malis humoribus refertũ est, utatur, et diæta maximè attenuãte, ob humores: unde etiam illud foret cõmodi, quòd menstrua meliùs fluent. Panis sit bene fermentatus, et sale aspersus. Malim in eo esse Nigellam: quia uerò hæc amarior est, misceat Anisum & Cinnamomum, quo in hoc casu non est aroma melius, etiam de sententia Galeni. Quid quòd Galenus in consilio pueri epileptici, Apium probet & laudet, contrà Auicenna tanquam uenenum fugiendum

asserat? Hæ sententiæ in specie cōtrariæ facile possunt componi. Equidem credo Apium Galeni nostrũ esse Petroselinum uaporosum, incidendi ui præditum, quod in epilepsia tutò dari potest. Apium uerò Auicennæ, id est quod & hodie sic dicitur, et eius in morbo hoc prorsus nullus est usus. Quare Auic. non minùs ac Gal. rectè censuit: atque sic sententiæ absq; auctorũ contumelia componi possunt rectißimè. Vino in principio morbi interdicimus, idq; tribus de causis, auctore Gal. 3. de rat. uict. in morb. acut. cap. de uino: primò propter cruditates, secundò in phrenitide, tertiò in inflammationibus uiscerum. Credo igitur adhuc morbo existente uinũ interdicendum esse epilepticis: sed quia uinum (quod bene dixit Auicenna) dilatat, animum exhilarat & concoquit, igitur non est penitus prohibendum. Exhibeatur dilutum ac pauciserum, fugiat contrà quod caput petit. Posteà quia causæ materiales sunt duplices pro inferiorum partium materia uelim diuersionem & euacuationem: nam humores & uapores qui in uentriculo gignuntur, rapiat Medicus ad inferiora, ac sæpiùs aluum subducat, ad quam rem utiles erunt hæ pillulæ, quibus non parum uti soleo, ex Myrrha, Aloë, Rha barbaro, & Aristolochia rotunda: nam hæ & uentriculum & hepar euacuant, ac roborant, prouocant demum etiam menstrua. Diuersio etiam fiat prouocatione ipsorũ menstruorum: prouocabuntur autem supponendo res calidiores & aperientes, ut sunt Pulegium, Calamenthum, baccæ et folia Lauri decoquat in aqua, ac ieiuna inde pedes lauet. Idem & ante cœnam facere poterit. Ventosæ etiam circa poplites ponantur, nam & maxime men-

strua

strua prouocant, & conferunt pro diuersione. Quòd si autem prouocari hæc non poterunt, laudarem ego hæmorrhoidum scarificationẽ, propter locum propinquũ: propinquum autem locum multùm sæpe conferre, Hippocratem et Galenũ auctores habemus. At hæmorrhoides directè à capite euacuare possunt, quod omninò faciendum est in uere. Cæterũ bis in mense aut semel assumeret de Hiera Rufi, aut de Logodij, de confectione Hamech: eadem enim est harum prope compositio. Neque his frequenter uterer fortioribus, quia debilitant uirtutem. Meminerit uerò Medicus se esse naturæ ministrũ. In uere exiccantib. & localib. uterer, ut cauterijs, sinapismis & uesicatorijs & rubefactorijs. At de his non nisi in uere non cogitet Medicus. Quinetiam decocto ligni Indici utatur. Ad prouocanda menstrua uti poterit ter singulis mensibus ℥ i. Mythridati, cum aqua Pæoniæ, et in alijs ferculis utatur Pæonia. Quærebat Frizimelica, quid sentiret de incisione uenæ. Respondebat Montanus, satius esse, ut primò fiat scarificatio circa poplites.

Consult. LVIII. Cuidam nobili viro Polono propè annos LX. nato, spleneticam & hepaticam ægritudinem patienti: patiebatur autem hoc malum à XV. annis.

OPORTET *ut nobilis iste uir si curari debet à difficili & longa ægritudine, (quæ est præcipuè intemperies frigida splenis) et tumore satis insigni, ex qua posteà multifariæ dispositiones præter naturam consequuntur, ut cruditates uentriculi, & in iecore, & in*

ambitu

ambitu uenarum, atrophiæ, decolorationes, ex quibus non iniuria tandem timetur aqua inter cutem, oportet inquam si ab istis sæuis dispositionibus liberari cupit, ut præcipuè habeat exquisitißimam uictus rationem, quæ competat primario morbo, sine qua diutißimè & diligentißimè seruata, frustra implorabit Medicorum auxilium. In primis igitur eligat aërem in quo habitet, subtilem, minimè palustrem, minùs frigidum quàm fieri poßit, ubi sint aquæ salubres fontium uel fluuiorum: in quo aëre cauebit etiam ab omni excessu uentorum, pluuiarum, ne scilicet se illis exponat, uel nocte sub dio moretur, ubi posteà cœlo sereno & tranquillo, exercebit se uenationibus, & huiusmodi motibus nobilibus: laudo enim exercitium quàm maximè fieri potest, si modò suo tempore fiat, manè scilicet uel ante cœnam. Euitet omnes animi molestias, sed iram præsertim & mœstitiam. degat cum amicis iucundis. manè surgat diluculo: sex uel septem horas noctu dormiat: cauebit autem à meridiano somno, esset enim illi admodum lœthalis. deambulet, exercitetur in cubiculo proprio, mollibus frictionib. pectinationibus, cantu, lectione alta, excernendo excrementa per sputum & tußim, quæratq; reddere aluum & urinæ egestiones. Vbi uerò omnia diligenter peregerit, mundasq; & odoratas uestes induerit, tunc ad exercitium se conferat extra domum, si cœli serenitas apparuerit: sin minus, intra domum sese contineat, ludendo pila, uel gladijs, uel aliquo tali exercitio. Bis in die non ampliùs comedat, atque id satis parcè, unicoq; cibarij genere contentus sit, & sine aromatibus, sed cum modico Croci & Cinnamomi tamen: debet enim

effugere

effugere consuetum morem patriæ in aromatibus admiscendis. Caueat etiam à uino crasso, dulci, nigro, potenti: sed eligat clarum, album, tenue, pauciferum, quod etiam parcè bibat: uel si assuetus fuerit ceruisiæ, illam eligat in potum, bene tamen confectam, quam etiam moderatè bibat: hic enim morbus maximè requirit temperantiam. Igitur cauebit à compotationibus, interq; prandium & cœnam non bibat, nec aliquid comedat. Cibaria sint carnes iuuenes pullorum, hœdorum, uitulorum, auium campestrium, sicut sunt perdices, phasiani, aues paruæ, oua sorbilia. Non uitupero è ferculis hordeum, Far, si optimè cocta fuerint, non enim ita nocebunt, licet in hoc casu non sint prorsus nocumenti expertia, præcipuè far: poterit tamen ex ijs parcè uti, præcipuè addito Croco: à reliquis ferculis abstineat. Pane utetur madefacto in iure carnium cum Petroselino, et modico Cinnamomi. A piscibus omninò abstineat, & à cibarijs arte confectis coquorum, sicut à tortis, pastillis, ab omnibus lacticinijs, leguminibus, oleribus, & carnibus antiquis, & omnibus cibis craßis & seruilibus abstineat. Panem azymum uel male coctum non comedat, neque aliquod placentarum genus. Et hæc quantum ad uictus rationem. Quantum uerò ad medicinas, hoc primùm obseruet, ut & uere & autumno, quousq; perseueret hæc mala dispositio, euacuetur modo infrascripto. Primò.

R. Florum Caßiæ pond. ʒ i. s. hora ante prandium: deinde

R. Oxymellis Scyllitici
Syrupi de Absinthio ana ℥ i.

Decoc-

Decocti Polypodij
Ceterach
Endiuiæ ana ℥ iiij.

Misce pro uno syrupo, & sic per dies septem. Deinde

℞. Confectionis Hamech ʒ iiij.
Trochiscorum Alabandal gr. ix.

Cum saccharo fiat bolus. Sumat in aurora cum custodia die proximè sequenti ultimum syrupũ, posteà interquiescat per duos dies, & interim accipiat sacchari rosati ℥ s. semper ante prandium & cœnam per duas horas. Deinde sumat istos syrupos:

℞. Myrobalan. Citrinorum
Indorum
Chebulorum
Belliricorum
Emblicorum ana ʒ iiij.

Contundantur grosso modo, & fricentur manibus cum oleo Amygdalarum dulcium, posteà infundantur per diem & noctem in lib. x. aquæ Fumiterræ, posteà decoquantur ad consumptionem tertiæ partis: deinde adde

℞. Ellebori nigri ʒ iiij.
Liquiritiæ
Polypodij ana ℥ ij.
Sem. Citri ℥ i. s.

Et bulliant, donec remaneant lib. v. posteà adde

Foll. Senæ
Epithymi Cretensis ana ℥ i. s.

Bulliant, donec remaneant lib. iij. Vltimo colentur et exprimantur, & seruetur decoctum.

℞. Eiusdem decocti ℥ vi.

Syr.

Syr. de infusione rosarum ℥ i. s.

Detur manè. Sumat autem per dies sex continuos hos syrupos numero sex: sed si nimium euacuaretur, sumat alternis diebus, dein quiescat, utens uictus ratione præscripta. Erit autem tempus ueris medium, & autumni quoque, in quo euacuabitur. Inter hæc tempora placet, ut familiares habeat pillulas infrascriptas, quibus utetur ter in mense, hora ante cœnam.

℞. Succi Ceterach
Chamædryos
Polypodij recentis ana ℥ i.

Exiccentur in umbra secundum artem. Deinde

R. Agarici electi
Rha barbari electi
Aloës hepaticæ ana ʒ iij.
Gingiberis
Cinnamomi
Caryophyllorum ana ℈ i.
Salis gemmæ ʒ i.

Misce, & cum melle rosato fiat Magdaleon, de quo fiãt pillulæ quauis uice tres, pondere ʒ i. sumendæ ut suprà.

Consult. LIX. Pro Melancholia.

CVRANDA erit hæc Nobilissima mulier ab affectibus, quos melancholicos arbitror, habita ratione ætatis, quia est XXXV. annorum, primò recta uictus ratione, secundò missione sanguinis, tertiò alteratione et purgatione humorum, quartò confortatione. Custodiatur ab omnibus animi molestijs, degatq; cum amicis in omni hilari=

hilaritate, quæ quantum fieri potest arte & studio est comparanda. Vtatur uino albo, tenui & subdulci, carnibus iuuenum animalium, hœdorum, uitulorum, pullorum &c. Manè sumat singulis diebus oua sorbilia, neque utatur multitudine ciborum. Euitet crapulas, cruditates, & potationes cuiuscunque generis. Aluum mollem conseruet, pro qua utatur, si natura defecerit, florib. Caßiæ, uel decocto prunorum dulcium cum saccharo, uel decocto Maluæ ex iure pulli: nihil enim perniciosius in his affectibus, quàm aluum habere astrictam. procuret coctiones, neque cum cruditate accedat ad cibum: cruditas enim melancholicis omninò uitãda. Circa Martij mensis medietatem, lenita priùs aluo, uel cum clystere, uel ℥ x. Caßiæ in bolum cum saccharo confectæ, sequenti die sanguinem mittet ex basilica dextri lateris pondere ℥ x. Ac postero die idem sanguinis pondus repetatur, sed à sinistro latere, deinde utatur diebus septem hoc iure, quod sumat manè.

R. Fol. Boraginis
Betonicæ
Buglossæ ana ℥ ij.
Radicum Polypodij
Liquiritiæ rasæ
Radicum Altheæ ana ℥ i. s.

Decoquantur omnia in lib. duabus iuris pullacei ad medium usq;, deinde facta expreßione & colatura, bibat totum residuum una uice, & sic repetatur per dies septẽ. Octauo die sumat bolum infrascriptum:

R. Confectionis Hamech ʒ iiij.
Rad. Ellebori nigri ʒ s.

Mi-

Misceantur cum modico Iulep uiolati, fiat bolus cum saccharo, detur mane cum custodia. Item

R. *Conseruæ florum Boraginis*	℥ *vi.*
Sacchari rosati	℥ *ij.*
Zedoariæ	℥ *i.*

Misce, fiat electuarium, de quo sumat singulis diebus cochlear unum tribus horis ante prandium. Deinde illinatur totus uenter infrascripto linimento:

R. *Olei de Absinthio*	℥ *iiij.*
Mastychini	℥ *iiij.*
Ceræ parum.	

Misce, fiat linimentum. Item *abluat caput singulis septimanis bis, cum infrascripto decocto:*

R. *Furfuris tritici*	*lib. iiij.*
Liquiritiæ	℥ *iiij.*
Polypodij	℥ *ij.*
Rad. Ellebori nigri	℥ *ij.*
Agarici electi	℥ *i.*
Florum Chamæmillæ	℥ *ij.*

Bulliant omnia simul in sufficienti quantitate aquæ ad mediũ usq;, factaq; expreßione utatur hoc decocto pro lixiuio, & tergat caput sapone odorato muscato, et hæc omnia explebunt ea quæ præmißimus. Quòd si optimum Mythridatum in mense sumat ad quantitatem ʒ i. cũ modico uini aromatici albi, quinque horis ante prandium, eò meliùs confortabitur.

Consult. LX. Pro patiente diminutionem in motu quarundam partium corporis.

SYMPTOMATA. *Patitur diminutionem circa a-*

ctionẽ

ctionem motus in brachio & crure, præsertim in sinistro: non tamen est omninò motus priuatio. Crus sinistrum rubet, feruet. Cerebrum integrum odorat, uidet, discurrit, optimè memorat, imò quæ à septem paribus neruorum ueniunt, optimè habent, licet à lingua parum sentiat mali. Est stupor potiùs cùm imbecillitate sensus quàm motus: nec est resolutio, quia mouetur, sed cum dolore & difficultate. Ergò si est resolutio, est debilis, quia quædam ualidissima tertio de locis affect. ubi uitium in sensu & motu paralysis dicitur. Omnis actio sentiendi & mouendi est à spiritibus: isti possunt impediri dupliciter, uel quia nõ possunt pertransire, sed intercipiuntur: uel quia non possunt operari, cùm membrum inueniunt non rectè dispositum. Est obstructio à natura, quæ replet principium. Membra frigidiora facta seipsis, quod nocet motui. Frigiditas facit, ut uirtus in membra non transfundatur. Aqua utatur cum Cinnamomo uel sacchаro, passulis itẽ: uictus sit tenuis, Agaricus, confectio Hamech, Rha barbarum, Scammonea, Pillulæ aggregatiuæ, Calamus aromaticus, Caryophylli, Acorum conditum illi conueniũt. Vtatur quotidie Myrobal. Chebulis conditis &c. In cordis palpitatione & syncope quaternis diebus exhaurienda potio

R. Liquiritiæ rasæ, & incisæ		℥ ij.
Rad. Dictamni		
Brusci		
Fœniculi	ana	℥ ij.
Cort. rad. Capparum		℥ iij.
Rad. Asari		

Ireos

Ireos ana ℥ i.
Polypodij quercini ℥ i.
Agarici trochiſcati ʒ ij.
Medullæ ſem. Cartami in petia ligati ℥ i.
Sem. Fœniculi ʒ i.
Aniſi ℈ i.
Carui præparati ℈ i.
Epithymi Cretenſis ʒ ij.
Hyſſopi
Centaurij minoris
Meliſſæ
Artemiſiæ ana pug. i.
Fol. Senæ Alex. ſine ſtipitibus ʒ iij.
Florum Sambuci pug. i. Coquantur in tribus lib. aquæ fontis ad caſum tertiæ partis. In colatura diſſoluatur.

Syrupi de Epithymo
Oxymellis ſimpl.
Syrupi de Hyſſopo ana ℥ i. Fiat hauſtus.

R. Sileris montani non obducti ℥ s. detur in pyxide ad maſticandum pro arbitrio.

Conſult. LXI. Vuolfgango de Vuerter, laboranti faſtidio & cruditate ventriculi, cum catarrho leui.

R. Piperis albi Nigri
Longi ana ʒ i.
Gingiberis
Thymi
Aniſi ana gra. vi. Cum ſaccharo albo fiat con-

fectio in rotulis, ſumat mediam tribus horis ante prandium. Bene ſe habuit ad ſeptimanas aliquot: tandem cùm decumberet, ſentiretq; dolorem capitis, cum quadam difficultate ſpirationis, quæ ille iudicauit eſſe propter catarrhum, & conſenſum diaphragmatis cum uentriculo, pro ijs tollendis dedit.

R. Mellis roſati ℥ ij.
Hieræ picræ ʒ iij.

Miſce pro clyſtere. Sed cùm renueret uſum clyſteris, ſcripſit pillulas iſtas.

R. Hieræ ſimpl. ℈ ij. Cum melle roſato fiant pillulæ. Loco uini, huiuſmodi iuſſit fieri potum.

R. Aquæ ciſternæ lib. iiij.
Cinnamomi fruſtulatim fracti ℥ s.
Paſſularum mundatarum ℥ i. s.
Sacchari albi ℥ i. Bulliant ad conſumptionem ſextæ partis, & refrigerentur pro potu.

Conſult. LXII. De Pleuritico.

LABORABAT pleuritide puer quinque plus minus annos natus, ad eum accerſebantur Montanus & Friſimelica, quem nos ſequebamur frequentes. Puerum offendimus lecto affixum. Pulſus eius erat magnus & interſectus: urina tincta ſatis & cruda. Morbus autem erat in latere dextro, & deſcendebat ad diaphragma. Cauſa morbi bilis, quod & color corporis, & alia accidentia arguebant. Suadebant igitur latus inungi oleo Amygdalarum dulcium, & ſi hoc deſit, recenti butyro. Præſcribebant uictum humidũ, & panẽ lotum ex aqua. Potui uerò dari uolebant aquam in qua Inula bulliiſſet.

Atq;

Atque ut aluus subduceretur, clystere subdendum contendebant, decoctum nimirum Apij, Fœniculi & Petroselini addito sale. Altero die cùm rediissemus, offendimus auctam febrim, & respirationem multò difficiliorem. Sputum adhuc crudum erat, crassum scilicet & albicans. Accusabant igitur matris indiligentiam, & ne moreretur, uerebantur.

Consult. LXIII. Pro nobili, cui ob hepar inflammatum, ventriculus debilitatus erat.

QVIA nobilis à quibusdam rei medicæ imperitis persuasus, Maluaticum nimium hausisset, ac in uindemia uini nigri, utpote fortioris, hoc consilio, ut imbecillitas uentriculi, quæ ex frigiditate ortum habebat, corrigeretur: cumq; ad potum uini fortioris ætas calidior accessisset, inflammatum est hepar, cuius demum intemperatura multò maiorem uentriculo imbecillitatem conciliauit. Nam cùm actiones hæ sint uentriculi, appetere cibum, ingestum retinere & concoquere, duæ eius partes sunt: superior, quæ nimirum appetit, siccior ac frigidior: inferior uerò calidior & humidior. At uerò caliditas nimia hepatis exiccat humidum, cum quo calor dissoluitur: nulla est concoctio, nec appetentia cibi ulla, ob uentriculum calefactum nimis. Quid ex his prognosticandum? Corporis imbecillitas, quia uentriculus non concoquit, sed corrumpuntur uerius omnia, quare uomitus frequens: & quia obstructum hepar, atque etiam supercalefactum, nulla est in corpore sanguificatio. Calefactio hepatis & obstructio tollenda esset mißione sanguinis, à qua abstinendum est propter uirium imbecillitatem,

Nota de uentriculo.

cillitatem, ne magis prosternantur. Quare diæta uentriculus corroborandus, & ministrandi cibi pauci, & facilis coctionis. Interdico illi uino omni, nisi austero. Decoctum Endiuiæ bibat, nam omnia Cichoriacea confortando uentriculo apprimè sunt utilia. Dico autem Cichoriacea, Endiuiam, Sonchon, & si quæ sunt alia id genus: nam quia amara, ideò sunt calida: calefaciunt igitur & confortant, & leniter etiam refrigerant. Quare syrupum de Cichorio cum rosato ordinaui. Confortato uentriculo, totoq; adeò corpore, accedam ad infrigidationem hepatis, quæ fiet per phlebotomiam basilicæ dextri lateris.

Consult. LXIIII. Contra dentium dolorem.

R. Resinæ Cedri, qua Dioscorides utitur ℥ s. Auicenna habet gummi Iuniperinum, quo Italia caret. Aceti quantum sufficit, & abluantur dentes. Si dolor ad aures pertingit.

R. Olei rosati ℥ s.
Cæparum incisarum m. i.
Vini dulcis quantum sufficit. Decoquantur instar pultis. Quòd si uehementior fuerit dolor, addatur semen lini, & fiat emplastrum: auri imponatur. Præter diætam matutinã, & pillulis quoq; duabus Coccijs ℈ i. dimidia hora ante cœnam utatur. Quia uerò dolor intensior erat, nec mitigari poterat uel repercußiuis, uel laxantibus et extrahentibus, nedum tolli, applicari iußit illi duo cauteria, alterum in loco dolente secundum aurem sinistram, alterum è regione. Primùm uerò chirurgus locũ ab inunctionibus mundabat et tondebat, deniq; nouacula

nouacula fricabat. Cauterium hoc erat: nam cauteria sunt duplicia: aut enim est actuale, aut potentiale & quemadmodum illud fit ferro ignito et incisione, ita hoc rebus terrestribus multùm, ne uis citò exhalet, & multum exiccantibus. Potentialia autem iterum bipartitò diuiduntur in ἐσχαρωτικὰ & uesicantia: horum usus maximus in diuertendis fluxibus illorum qui in sicctoribus locis, unde materia dolorifica euacuari debet. Quia uerò caput habet siccißimam cutem, nec carnis multum adest, applicari fecit potentiale cauterium ἐσχαρωτικὸν, ob materiam doloris exiccandam. Fit autem hoc ex cinere aut ficuum, aut quercuum, aut sarmentorum fabarum, aut ex cinere Alkali, id est, herbæ, quæ Empetron est Dioscoridi, unde sapones quoque & uitra fiunt: inde fit lixiuium, quod ad spißitudinem decoquitur, & exiccatur: additur deinde calx uiua. Multi decoquunt etiã lunarum pulueres, addito sale, quibus loco cauteriorum sæpe utuntur.

cauteri-zandi modus duplex

Consult. LXV. De catarrho, dolore capitis, pleuritide, & febri.

FRIZIMELICA. *Cùm primùm uenissem (agitur iam quintus dies) ad Magnificam hanc dominam, dolebat ex capite, inueniebam eam febrire: tußiebat, & nihil expuebat. Suspicabar illicò de pleuritide: sed quia conquerebatur se toto triduo beneficium uentris non habuisse, Caßiam nouiter extractam ob lenitionẽ alui exhibui, & ut biberet aquam hordei cum saccharo decoctã, uescereturq; loto pane & Ptisana, iußi. Locus doloris meo iussu cũ oleo Amygdalino & Liliaceo inunctus est.*

Caßia bene operata est, & altero die multum egeßit materiæ. Tertio die minui sanguinem ex basilica dextri lateris ad ℥ x. & locus interim inunctus est, neq; in diæta quidquam mutatum. Quarto die, ut dolori capitis, qui quodammodo familiæ toti hæreditarius est, quóue annis retroactis sæpe laborauit, facerem medicinam, & lenirem quadamtenus pectus ipsum, dedi electuarium de Penidijs, cum syrupis de Glycyrrhiza, et de Farfara. Ipsa etiam bibit syrupum acetosum simp. cum Farfaræ decocto. Heri ueni & egeßit ipsa copiosè, & cùm ita egerebat, iterum rigor eam inuasit, qui seruat tertianæ febris periodum: superioribus diebus claræ urinæ erãt, iam uerò crudißimæ, et prorsus iumentitiæ, ut inquit Hipp. Acceßit ad alia mala tinnitus aurium, quem ante biduum senserat: peßimè dormiuit: lingua erat aspera & sicca: non delirauerat: sed an essent uspiam maculæ in posterioribus corporis partibus, iußi inquirere alias Dominas: nam febrem pestilentem indicabant. Primitiuæ causæ fuêrunt, cùm longius iter fecisset & incaluisset, domum reuersa uestes exuit, ut totũ corpus obrigeret: unde obstructio secuta, quæ putredinis causa. Et quia catarrho frequenter laborat, descendit in pectus: unde inflammatio pleuretica. Hodie mane eclegma ordinaui, quod usurparet.

R. Oxymellis simp.
Succi Liquiritiæ ana ℥ ij. Misce.

Et emplastrum, quo etiamnum utitur.

R. Maluarum
Florum Chamæmillæ ana m. ij.
Meliloti

Anethi

Anethi
Violarum ana m. i.
Sem. Lini
Fœnugræci ana ℥ ij. Decoquantur in aqua, & contundantur.
R. Olei Amygdalarum dulcium
Liliorum alborum
Sesamini ana ℥ ij.
Pinguedinis gallinæ ℥ i.
Farinæ hordei
Fabarum q.s. Fiat emplastrum. Cibus panis lotus fuit, & quia aliæ petebant pomum coctum cum sacchаro, concessi, ut pectus leniretur, et confortaretur cor. Neq; enim ueritus sum ut in bilem conuerteretur, quod fieri assolet, quia admixtum erat saccharum, ut maior eius esset utilitas. His prædictis, ad alia examinanda, quæ quidem cognitu uidentur necessaria, accedamus. Temperatura eius est calida & sicca, atque ita semper iudicaui: noui enim eam iam inde à pueris. Frequentißimè caput dolet, quòd hoc familiare est familiæ: pariter etiam ex uentriculo est ægra. Agere nunc eam credo annum XL. Patitur inflammationem pleureticam, & quæ ad eam sequitur febrim. Materia mixta est prædominio choleræ & pituitæ, quod cognoui ex emisso sanguine: ostendit etiam exacta uiuendi ratio. Cùm enim pro arbitratu suo uiueret, multùm congeßit cruditatum, cùm ob alias causas, tum quòd obitum mariti sui Clariss. Doctoris impatientißimè ferret. Laborauit ob easdem cruditates catarrho ferè perpetuo, et qui hoc laborant, facile in pleuritidem incurrunt, et ita nõ tan-

tùm febris putrida subsecuta est, sed etiam pestilens ob materiam putridam nimis. Pessimi humores collecti fuêrunt anteà, et ex ratione uictus non bona, et naturali quadam dispositione. Accessêrunt causæ primitiuæ: corpus enim alioquin uarijs affectionib. obnoxium, motu uehementiore calefactum, et post aëri frigidiori expositum, obriguit, ac cutis omnis transpiratio prohibita, ad obstructionem uapores plurimi cumulati, qui quia exhalare non potuêrunt, et calor extraneus accesserat, computruêrunt, atque sic facta est putredo, totiusq; adeò massæ sanguineæ ebullitio. Indicio sunt urinæ perturbatæ, quæ mihi ostendũt perturbationẽ sanguinis maximã: item tinnitus aurium significat ebullitionẽ humorum. Et etsi adesse pestilentẽ febrem satis constet, tamen maculæ nullæ apparent, eò ꝙ materia ad cutim nõ est trãsmissa. PROGNOSTICON. Vereor ne decedat, propter pestilentem dispositionem. Nam cùm alia symptomata sint uehementia, naturam etiam pestilentem esse magis & magis curam auget: inflammatio enim est ingens, & materia plurima. Sed nondum est desperandnm: nostræ operæ ne parcamus. CVRA. Febris & inflammatio pleuretica simul erunt curanda: sed quomodo? causam utriusq; tollendo. Qua ratione? phlebotomia. Quocirca leniui etiam priùs uentrem Cassia, totum nanq; corpus fuit repletum: deinde secui uenam. Quid? conuenit'ne phlebotomia in pestilentia? Ego autem non uidi: sed enim quamuis uidissem, tamen ut materia euacuaretur, stante præsertim uirtute, & natura posset dominari, secui uenam. Materiam concoxi cum syrupo Farfaræ & acetoso, qui in hoc casu plurimum ualet: dein ut

expueret

expueret facilius, pectus inunxi. Sed quæstio hic esse posset, an Bolus Armenus eclegmati immisceri poterit, qui mea sententia multum iuuaret. Et si quis negat, propterea quòd astringat, respondeo cum Gale. fac esse ut astringat, tamen pectus dilatat: & ego hic putredinem ualde timeo. Cibus neque adhuc panis lotus fuit: hodie parum pulli dedi. Quòd si quid mutandum fuerit, mea uoluntate etiam poterit mutari: quanquam malim nos stare cum omnibus istis usque ad septimum. Postremò contra pestilentiam Scordij puluerem & decoctum laudarem maximè. Syrupum etiam de Liquiritia, & de Farfara: uel cum saccharo uiol. permiscebimus bolum Armenum. atque hæc mihi facienda uidentur.

MONTANVS. Tendimus ad eundem scopum, Clariss. Domine Doctor, nam utriq; cura ea incumbit, ut mulier hæc magnifica sanetur. Considerabo igitur naturā morbi paulò diligentiùs, ut de instituenda curatione faciliùs concludi poßit. Natura autem morbi ex symptomatis cognoscitur, quæ in hoc casu sunt, difficultas respirationis, tußis, febris, dolor pungitiuus, quorum συνδρομὴ constituunt nobis pleuritidem. Deinde catarrho laborare eandem Dominam, non est cur alijs rationibus inquiramus: sensu enim percipitur quòd etiamnū defluat: audimus enim in faucibus & aspera arteria sonitum. Nobiscum faciunt etiam alia signa, ut grauitas capitis, de qua conqueritur, & aurium tinnitus. Laborauit insuper etiam catarrho, antequā in febrem incideret. Sunt igitur morbi huius Dominæ, pleuresis & catarrhus. At multum mecum dubitaui, febris'ne inflāmationis pleureticæ sit symptoma, uel morbus per se, atque ab illa seiunctus:

na morbi quomodo cognoscatur.

pleuritide utrum febris sit symptoma an morbus.

seiunctus: atque certis quibusdam rationibus adducor, ut statuam febrem esse morbum, et non symptoma, quia humores putrescunt in uenis. Ergò pleuritidem habet, & febrem, et catarrhum, morbos distunctos: cum his morbis urina subiugalis ebullitionem humorum in uenis indicat, quia magna putredo. Ergò hæc domina sic se habet nunc. Quod ad habitudinem corporis, est siccum & gracile corpus. Siccitas manifestè apparet cum caliditate, sed ille calor est debilitatus. Etiam habet stomachum imbecillem, & caput debilitatum à natiuitate. Est corpus inæquale, & illa in primo senio: & in australi & Boreali tempore sumus, quæ conferunt catarrho, auctore Hipp. Vnum notandum, diligenterq; exquirendum, qualis nam sit pleuritis, uerá ne & syncera, ut quæ in pleura fit, an non syncera & notha. Vna coniectura hæc est, quæ arguit non ueram esse, nec à subtili humore, quia nec dolor pungitiuus est, neq; tanta difficultas anhelitus: ipsa nanque dicit sparsum esse dolorem (lege Gal. 2. de locis affect.) Est igitur potiùs in locis sparsis, quàm in membranis, nempe musculis in pectore, quia membranæ non ita facile recipiunt. Sputum prætereà semper pituitosæ substantiæ, quia musculi pectoris inflammantur potiùs intrinseci, quàm extrinseci. Pulsus durus est quando membrana inflãmatur: uerum hic neque pulsus ita durus est, ergò pleuritis hæc à materia craßiore est. Adest catarrhus perpetuus, fouens morbum perpetuum: tußis quoque. Satis de catarrho & causis, quia uentriculus semper laborat post caput, ita causa materialis, et efficiens catarrhi. Verùm febris accidens inflammationis & catarrhi, an ueram causam

habeat

urina subiugalis qd indicet.

habeat separatam? dico quòd urina talis sequitur magnam in uenis ebullitionem & putredinem. Hîc putredo & ebullitio, febris pestilens, quoad causam proximam magna putredo, ut non tantum uapores putridi ascendant, sed massa etiam sanguinis putrescat, sed nondum in corde, quia ubi cor corripuerit putredo, omnia destruuntur: sed dum in humoribus est putredo, potest curari, sed raró, & à peritis Medicis. De natura febris, catarrhi & pestis, satis sit dictum. Nota de pestilenti febre.

PROGNOSTICON. Iam primò omnium, quod ad catarrhū attinet, uenit in mentē mihi Aphor. 11. Hipp. 11. sectionis: Branchi & catarrhi in ualde senibus difficulter curantur. Et uidetur in hanc regulam cadere Domina, ut ratione ætatis morbum difficilis curationis fore satis appareat. Quoad pleuritidem, rarò inflāmationes in senibus cōtingunt: sin aūt cōtingunt, ægrè curantur, & præsertim in hyeme. Pulsus tamen etiam est gracilis & tenuis, quod significat multos spiritus nō adesse: quare non facile curabitur. Coctionis signa nondum apparent: etiam febris molesta & periculosa: & ista complicatio est pessima, & habet contrarias indicationes. Ista relaxantib. lenientibusq; eget, febris pestilens exiccantibus: quin cura eius III. Epid. exiccatio, quare cura difficilis. Catarrhus etiam utriq; dispositioni nocet, & auget difficultatem spirandi, & febrem: augentur obstructiones in uasis, & ubiq;: ideò ex istis rationibus morbus difficilis. febris pestilens qd exiccat.

CVRA. Hîc est catarrhus, pleuritis, & febris, quæ sunt separata secundum materiam: dico nullum esse istorum contemnendum, quia omnia habent rationem causæ. Ergò catarrhus principiò diuer-

diuertendus, et dolor leniendus. Quidnam agendũ? Respondeo ad id quod dubitabatur de phlebotomia in febre pestilentiali. An sit secanda uena? Et assero nõ secandã uenam, idq; auctore Gal. I I I. Meth. Non enim curamus putredinem nisi sanguinẽ seruemus, sed in peste maxima est putredo. Vnde dicemus, in principio febris pestilentis phlebotomare optimũ, quia refrigeratur corpus: et phlebotomare dico optimũ suo tẽpore. deinde de uictu dicã. Sumus in quinta die, & indicatur uirtus, quæ uincet super materiam, quia copiosè egerit, & faciliter. Verùm enimuerò Hipp. de ratione uict. ij. inquit: Vbi incipit coctio apparere, primis diebus debemus augere cibum, ut uirtus possit augeri, & maior lenitio fiat sputi, & corroboretur sputum, quod uictus commodus facit: sed ubi nõ signa coctionis adsint, uictus tenuis datur. Pulli ius primùm darem: si tolerabit, & uirtus fortior sit, darem contusum, ut uirtus sustineatnr, cui uel soli debemus attendere, sine qua nihil facimus. Pro concoctione, ut adiuuetur catarrhus, & materia inflammationis, ut conferrem cordi, ne putredo augeatur, nihil scio melius ad incisionem humorum scilicet, quàm syrupum de succo Acetosæ simp. in oxalide enim uirtus incidendi, refrigerandi & corroborandi inest. Et licet Hippoc. I. de ratione uictus ab astringentibus, & acidis cauendum putat, præterquàm oxymelle: sed ibi est aciditas sine astrictione, quod & Gal. docuit, idq; multò magis si saccharum admisceatur. Post aqua Farfaræ, id est, Tussilaginis cõfert ad tussim. Atque his pro digestiuis uterer. Pro peste, an bolus Armenus conueniat, quæritur. Si haberemus Gal. bolum, quem tantopere prædicat ob exiccationem

nem

nem sine astrictione, nihil haberem prius, præsertim cùm ille fœliciter dederit eundē asthmaticis. Sed noster ille (quem rubricam Synopicam esse inter doctos iam cō uenit) exiccat cum astrictione: quare ne periculosus error committatur, abstinendum censeo. Ego dicam unū obseruatu dignum in hoc casu. Quia exiccare uolumus pestem & catarrhum, & præparare, utemur cornu cer ui usto, loco boli Armeni, idq; exhibebimus cū saccharo, uel in iure pulli: nam corroborat cor, et catarrhū exiccat, ut si quid aliud. Malim uti unicorni, si eēt eius nobis copia: nō.n. inueniri nego, sed in minori copia, & maiori precio, pro quo interea cornu cerui utemur, quod istius æquiualēs est. Non obfuerit ēt subinde uti seminib. acetosis, auctore Galeno, (quæ astringere aiebat Frizimelica, sed negabat Montanus.) Proderit et scordium refractū, cum saccharo rosato. Placet & cornu cerui, uel in Iulep, uel in succo acetoso: fiat eclegma, & teneat sub lingua saccharum Candi quoque. Quod attinet ad potum, à uino abstineat, bibat aquam hordei cum saccharo, sed prorsus non frigidā. Emplastro porrò utatur, eius enim fœlix est usus, quia facile tolerat. reliqua etiam omnia à Clariß. D. Doctore ordinata, seruetis. In acutis morbis est occasio præceps, quare oportet Medicum prudētem esse, quia in horas quæ non sperabantur, contingere solent, quæ uarietatem postulant, & quotidie leniatur uēter. Domina in sexto die est mortua.

cornu cerui

Consult. LXVI. Cuidam suffusione laboranti.

℞. Saponis Damasceni lib. i.

Cd=

Caryophyllorum
Macis
Cinnamomi ana ℥ i. s.
Iridis ℥ ij.
Storacis Calamitæ ℥ i.
Ambræ
Musci ana gr. iij.
Agarici electi ℥ ij.

Pulucrizanda puluerizentur, & reformentur sæpe in forma pillularum secundum artem. Vtatur in lotione capitis.

R. Florum Caßiæ ℥ xij.

Cum saccharo fiat bolus. Item

R. Euphragiæ
Betonicæ
Saluiæ
Maioranæ
Endiuiæ
Rosarum rubearum ana M. ij.

Bulliant in lib. IX. aquæ ad consumptionem tertiæ partis, deinde facta expreßione & colatura, syrupizentur cum saccharo albo, & aromatizentur cum ij. gr. Musci & totidem gr. Ambræ. Posteà

R. Huius syrupi ℥ ij.
Aquæ Betonicæ ℥ iiij

Misce pro uno, & sic pro alijs septem uel nouem. Syrupis finitis, sumat sequens medicamentum:

R. Confectionis Hamech ℥ iiij.
Syrupi rosati solutiui ℥ iij.

Cum aqua Betonicæ fiat potio. Sumat prætereà inter-

terdùm de hoc electuario:

R. Nucis muſcatæ
Macis
Cinnamomi ana ʒ i.
Caryophyllorum ℈ ij.
Sem. Aniſi ʒ iiij.
Thymi ʒ i.
Sacchari roſ. Omphac. ex roſis rubris ℥ vi.
Muſci
Ambræ ana gr. ij.

Cum modico Iulep, fiat mixtura. Poſtremò utatur maximè collyrio priùs deſcripto. Vel

R. Fœnugræci ℥ ij.
Rad. Altheæ minutim inciſarum nu. vi.

Mundentur optimè ab omni ſorde, deinde coquantur ſimul in ſufficienti quantitate aquæ puriſsimæ ad cõſumptionem ſecundarum partium, poſteà colentur & exprimantur. Deinde

R. Aloës opt. pulverizatæ ℥ i.

Bulliant ſimul ſine fumo, ad ſpiſsitudinem mellis, & ſeruetur in uaſe uitreo bene obturato.

Conſult. LXVII. De melancholico Iudæo.

P. NAVARRA. Et ſi ueſtra præſentia, Clariſsimi Doctores, & caſus qui offertur, difficillimus, multa requirere uidentur, tamen ne tempore abuti uidear, ſeriem rerum ordine & breuiter recitabo, ut faciliùs iudicare poſsitis, quæ medicamina in poſterum applicanda: neque diſsimulabo quid uſque adhuc egerim. Sextus agitur dies, cùm uenerit extra rationem: loquitur nihil,

bil, & toruè omnes intuetur. Ante hoc tempus, quòd sciam, uirum illum non noui, nihilominus tamen breui hac consuetudine & astantium relatu, primo loco quæ mea sit de complexione hominis sententia, expediam. Sentio eum calidum esse & siccum à prædominio bilis, & sub dominio sanguinis: status etiam corporis indicat, est .n. gracilis, color niger, & uigiliæ, & promptitudo ad omnes actiones, pronus fertur ad iram, optimi ingenij uir & discursus. Aestimatur ad hæc complexio totius ex principalibus, cerebro nimirum, hepate & corde. Præsuppono ista omnia, ne si omnia persequar, tædio uos afficiam, & accedo ad dispositiones non naturales, & accidentia, quæ magis curam medici ad se trahunt. Dixêrunt astantes, quòd semper fuerit extra rationem. Ante hunc diem occupatus fuit maximis occupationibus, timebat multùm, & irascebatur leuibus de causis, exercuit maxima negotia, longa confecit itinera, sub dio multùm fuit, exposuit se calori & frigori. Cùm redijt in Italiam, in hæc mala incidit: aderant hæc accidentia, uidi stupidum, oculi impotentis motus erant, irato uultu iracundus, uerberare uoluit astantes, seipsum ex lecto uolutauit: loqui uoluit, ut ego credo quadam imaginatione. Tangebamus brachium contractum, quippe nolebat se exponere tangenti: pòst dimittebat se tangi, & membrum offendimus flexibile satis. In hoc autem obseruandum uenit, uariari symptomata pro diuersitate horarũ. manè loqui uoluit, circa uesperas loquebatur incompositè, posteà in prima hora noctis deteriùs se habebat: similiter cùm erat in tali dispositione, comedere nolebat: succedente deinde tempore diuersa & alia inuadebant sym-

ſymptomata, ut in media die compos erat, mentis poſt impos. Heri pulſus adhuc fuit cum bona menſura, tardior quàm frequentior: uidimus talem mutationem, ut uix tangeremus pulſum cum ſubtractione. Beneficium uentris aliquot diebus habere non potuit, nec ui enæmatis. In principio, ut referunt illi qui adfuerant, in quodā oppidulo miſſus eſt ſanguis, notabili (ut audio) quantitate. Alij referunt miſſum ad uncias ſex. Quid præterea egerit ille, referre non poſſum: quæ mea fuerit ſententia exponam. Senſi autem auctoribus Hipp. & Gal. III. de locis affectis, eſſe melancholicum, quia timebat, aderat perturbatio mentis, leui de cauſa iraſcebatur. Febri autem liberatum mirabar, & Doctores ſine hac eſſe nolunt, ſæpe tamen ſequitur. Melancholiæ plures eſſe poſſunt cauſæ, quæ quidem omnes in hoc uiro ualde ſunt potentes. Primò extrinſecæ: quia ſolicitus, timidus, & habuit ſæua animi accidentia. Hæc uerò quomodo cauſant melancholiam, clarum, quia impediūt concoctionem, & membra principalia debilitant. Hùc acceßit etiam uictus ratio, quia melancholia multiplicatur, ut ſi quis ueſcatur paſtilijs, carnibus ſalitis, auibus auctore Gal. III de interiorib. Similiter & alia cauſa mali, quia notabiles oppilationes deprehenduntur, & nunc magis quàm ante, quia urinæ minus tinctæ, fæces cholericæ etiam ſine tinctura, & in ſplene maximè, quæ obſtructio potens eſt cauſa ad generationem melancholiæ, & quando fit retentio humoris, ſeu euacuationis debitæ. Splen enim affectus, melancholiam nō euacuat. Hepar igitur inimicum ſibi ſuccum retinet, qui unà cū ſanguine ſurſum ac deorſum fertur, ac uitiat ſimul to-

tum corpus. Vnde habemus in hoc omnes causas generationis melancholiæ. Stantib. autē his causis, sæua sunt symptomata secuta. Sed uidendum priùs, an humor melancholicus in capite per essentiam sit, an per consensum ex toto. Mea quidem sententia est, illam multiplicationem esse principaliter in cerebro, atque insuper eò ex alijs per consensum deriuari. Nam cùm obstructus sit lien, & afficiatur hepar, mittuntur inde humores in caput. Quomodo causentur cōsimilia symptomata docet Gal. in 3. de locis affect. exemplo suffusionis, quæ est ex crasso humore obstruente opticos neruos: sic melancholia crassa terrestris cùm ad cerebrum perfertur, infert rationis perturbationem, idq; per consensum, & per essentiam: ea enim membrorum omnium est colligantia. De causis & qualitate accidentium nolo plura adijcere. Ex materia, unde multiplicata melancholia symptomata proueniunt, et diuersa qualitate humorū, in præsens est febris, à qua in biduo non est liberatus: & febris continua propter materiæ terrestreitatem, & quia intra uenas: & urinæ magis tinctæ & rubeæ. Ad tactū modò sentitur non tàm caliditas quàm frigiditas. PROGNOSTICON. Humor iste qui morbum facit, difficilis est solutionis, & curæ longioris. An salubris? Meo quidem iudicio timendum est: uidemus enim materiam motam, adesse sæua symptomata, & naturam prostratam. Heri sine pulsu erat, frigida externa. Huc usq; quid factum sit narrabo, ut facilius sit iudicium. Cùm uiderem instantiam uigiliarum, quæ potui feci omnia. Euacuare non potui, quia impos mentis, ut æger etiam cibum assumeret, usus sum alterantibus usq;, cum cor-

dialibus

dialibus & ſubſtantificè humectantibus. Nam neſcius non ſum, auctore Galeno, in talibus diſpoſitionibus principalem curam eſſe in humectantibus. Dedi digeſtiuum ſyrupum de pomis, de Bugloſſa, de ſaccharo roſato. Curam habui cordis, quare electuarium cum ſyrupo dedi, & pillulis cordialib. Impoſui quoq; epithemata & ſaculos cordiales. Neceſſe enim eſt in huiuſmodi ægritudinibus permutare. Ad inducendum ſomnum iuſsi ut Pauere in omnibus cibis uteretur: inunctiones circa tempora factæ, & oxyrhodinum adminiſtratum. Et quia propinare nihil potui, tentaui ratione diuerſionis & euacuationis, ut hæmorrhoides fluerẽt per ſanguiſugas, quæ copioſè non eduxêrunt, ſurgere enim non potuit. Quomodo porrò faciendum, ambigo: quia uirtute deficiente non ualet curatio. In ſex rebus non naturalibus ante peccatum eſt, nõ ſolùm in quali, ſed in quanto etiã. Nunc uerò quia mentis compos, uentrem ſubducerem unà cum euacuatione melancholiæ. Etſi autẽ multa ſunt huic intentioni appropriata, non tamen inter cætera prætermitterem decoctionem cum Epithymo, ſero, & cordialibus, & adderẽ cordialia, ut eſt parum Hamech ſine Diagridio, quemadmodum hîc præparare cõſueuêrunt (ualde conueniens eſt) aut Diacatholicon in pauca quantitate, & imponerem aut de manna aliquid, aut de Rha barbaro, propter obſtructiones. A principio morbi in hunc uſque diem non habuit euacuationem per medicinam. Poſteà probarem continuam adminiſtrationẽ alterantium. Iulep longum facerem, & electuarium. Quid ſentiam de balneis, roget quis. Credo humectatiuum conuenire, auctore Gale. quia humectat, diuer-

tit, & inducit somnum.

FRIZIMELICA. Casus adeò difficilis nobis proponitur, ut parum spei sit reliquum: & quia expositus est ab excellenti Doctore, non necesse habeo pluribus eum retexere. Iste uir rediјt superioribus diebus ex Polonia, defunctus uarijs laboribus: affectus est animi perturbationibus, tandem in Italia insaniuit Citadellæ: id enim oppido est nomen. Missus illi est sanguis, post quē magis insaniuit. Deinde ut hûc uenit cōmissus est excellenti Doctori, cuius cura sanguis per hæmorrhoidas est euacuatus. Accersitus & ego proximo sabbato, quasi contractum uidi: pulsus nullus erat: uigilauerat duos dies, ut dormiret iußi, quare ex Populeone fieret inunctio, atque pro uirtute cibaria ordinaui. heri pulsus bonus & magnus: clystere iniectum, nam uentris beneficia nulla. Cholericæ fæces erant. Superioribus diebus urinam nullam emisit: pulsus paruus & contractus iterum. Vt autem urinam prouocaremus, inunximus locum oleo Amygdalino, & Chamæmelino, & emisit urinam quæ rubicunda erat, ostendens icteritiam. Deinde fomenta ex Althæa alijsq; facta, ut deijceret: & ut intestina confortarentur, rosæ siccæ impositæ. hac nocte male dormiuit. Quid igitur? Complexio calida & sicca. Supposita hac, credo melancholiam cum mania. Præter hæc uidetis, quòd patiatur dissolutionem uirtutis ac caloris. Factum est ex dissolutione caloris, & ipsis humoribus adustis, ut sit complexio calida & sicca: confecit enim longum iter, quod calefacit, præter incommoda hospitiorum. Calor dissoluit, & frigora exiccant. Corpus itaq; exiccatum, et humores sunt adusti. Hûc acce-

dunt

dunt & paßiones animi, quæ præter cætera exiccant corpus, unde illud: Tristis spiritus exiccat ossa. In Italia peruenit ad melancholiam cum mania, & per essentiam & per consensum caput exiccatum est, et cerebrum patitur principaliter: spiritus syluestres sunt & mali, unde in hoc rixandi studium. Humores nanq; adusti si sunt cum sanguine, rident melancholici: si uerò cum cholera, rixantur. Adeò ingens est in hoc adustio & exiccatio, ut morbo habuerit usq; adhuc taciturnitatem coniunctam. Probatur id alijs quoque signis: oculi concaui, excarnatißima facies, adsunt uigiliæ, quæ siccitatem cerebri arguunt: pulsus ipse frequentißimus & durus: unde liquidò constat, exiccatum adeò ipsum corpus. Heri pulsus bonus, propter naturæ pugnam uehementem. Credo autem propter mißionem sanguinis, corpus magis exiccatum, unde propter resolutionem uirtutis, humores ipsi mali, ita ut nec uirtus nec spiritus restitui poßint. Hinc sequuntur inconcoctiones. Vrina talis ex obstructione aut multitudine choleræ, atque hoc ex fæcibus superiorum dierum.

PROGNOSTICON. Male spero: moriturum credo, quia tanta exiccatio, et corporis est attenuatio, ut restaurari nequeat. Accedunt hûc ingentes obstructiones, quæ nisi abstergentibus curari nequeunt. Illa uerò omnia calida & sicca: & si hæc curabimus, malum augebimus. Quid igitur agendum? an exiccationi & obstructioni attendendum? Exiccationi certè magis, idq; humectantibus. Humectant autem auctore Gal. somnus, cibus, & balneum. Balneum in præsentia non auderem suadere, ne uirtus ampliùs dissoluatur, quod fit in balneo

aquæ tepidæ, in qua ipse expiraret: quare somno & cibo insisterem. Cibus esto ouum sorbile. Vinum exiccat: darem quidem, sed parum. Conciliatur somnus Populeone, oleo Violaceo, et fouerem caput infrigidantibus. Victus, aqua carnis cum ouo. Vinum cum aqua dilutum, potens, non aquosum. Virtute recuperata curabimus melancholiam: ante non auderem euacuationem moliri.

MONTANVS. Quoniã conuenimus hûc curaturi immorigerum uirum, morbi sunt cognoscendi, antequàm curationem instituamus. Obseruamus autem plures operationes læsas, à quibus ad morbos transimus, quas primo loco considerabimus, & symptomata. Operationes autem læsæ & symptomata quæ? Primum, si rectè considero, nullum reperio genus operationum, quod nõ intensißimè lædatur. Animalis actio est læsa, passus est enim melancholiam, et corruptionem discursus: & non solùm læsa, sed uariè diminuta, corrupta & ablata. Deinde uitalis ita læsa est, ut uix percipi poßit. Pulsus uerò nullus, qui motus est actio uitalis caloris. Virtutes naturales omnes affectæ. Primò appetitiua non appetit: concoctrix ita læsa, ut corruptè agat: adest multitudo fæcum, & D. Frisimelica corruptas uidit. Virtus igitur nihil secundũ naturã aigt. Vrinæ neq; substantiã, neque colorem, neq; hypostasin laudabilem habent: color enim rufus ad nigredinem tendit, et inficit pannum. Hoc tempore neq; per secessum, neq; per urinam egerit quidquam. Quod si ita est, nihil dubij relinquitur, uirtutem naturalem esse ualde læsam. Ita uirtutes tàm multipliciter læsæ, uaria symptomata efficiunt, propter quæ sumus uocati. Sed quoniam à symptomate nulla sumitur indicatio,

indicatio, nisi causæ rationem habeat, causæ læsarum operationum inquirendæ. Si considero operationes quæ possunt inducere læsionem operationum, externæ conuenirent, & internæ item, quæ concurrerent ad symptomata generanda. Externæ quidem, ut longum iter, calor in capite & frigus, quæ in itinere pertulit: labores præter rationem sumpti: usus deinde est cibarijs & aromatibus multis, ut mos fert Poloniæ, ubi uno die plus aromatum insumitur, quàm hîc anno integro. Bibit uina potentia, & alijs rebus usus est siccantibus & calefacientibus. Quantum uerò ad causas exteriores, exiccatum est corpus & cerebrum, unde deinde secuta est generatio uaporum, qui in caput efferuntur: unde alteratio mentis, et materiæ quæ suffocant calorem, & minuunt uirtutem. Intrinsecæ concurrunt, ut corpus facilius recipiat alterationes. Corpus enim siccum est, idq; constat ex toto habitu, colore & accidentibus animi. calidum etiam credo, quia multarum operationum. Stantibus his, causæ exteriores fuêrunt potentiores: ubi calor in capite adauctus, attractæ sunt materiæ: quare frigidum & siccum caput, quod quidem fieri potest. Quantum ad alienationem, crediderim concurrisse omnes causas exteriores, ut solem ardentem, frigus, iter, & siccitatem cerebri. Accessêrunt symptomata in cerebro, impressa siccitas, remota calida intemperie, spiritus redditi tenebrosiores: unde essentialis læsio cerebri, & multiplicata materia ratione collectionis, & læsa ratio propter ascendentes uapores. In uentriculo materiæ corruptæ, propter multa incommoda in hospitijs, equitatione, et animi perturbationibus, & com-

plexione. Ex ignea caliditate hepatis generantur humores biliosi, ut uidere est apud Galenum, de hypochondriaca melancholia. Plurimi flatus generantur propter caliditatem hepatis, et cruditatem uentriculi, neque etiam contrarijs iuuari possunt. Propter temperaturam & causas exteriores materiæ corruptæ putrescunt, unde humores innominati. 3. de animal. facul. in fine. Eleuati humores biliosi subfrigidi, unde uariæ species melancholiæ. Ita habemus melancholiam nō solùm per essentiam, sed etiam per consensum, cuius signum urina subtilis, non permixta: & tunc insaniebat maximè cùm talis esset urina, quia ostendebat materiam ad caput esse eleuatam, iuxta Hipp. 4. Aphor. 72. *Quibus urinæ albæ & perspicuæ, malum, præsertim si in delirantibus* *appareant. Et subleuatus nunc est uapor, quia urinæ tinctæ sunt: dein etiam argumento sunt, plurimorum corruptorum exeuntia: neque ea tantùm, sed etiam tumor uentris, & utriusq; hypochondrij, ijsq; cum dolore.*

Consult. LXVIII. De varijs symptomatibus, destillatione, podagra, tremore splenis, alijsq́;.

POSTQVAM *clarißimus Doctor omnia ita exquisitè in hoc casu considerauit, et tàm diligenter curauit, ut uix mihi dicendū aliquid reliquerit, ego, ut loco meo satis faciam, dicam pauca quædam, si quidem & in morbi essentia, et in curatione conueniam cum Excellentia sua. Obseruaui igitur ex relatis, duodecim esse symptomata, quibus partim consueuit affici uir iste, partim nunc afficitur: & quatuor sunt ea, quæ consueuêrunt hunc*

hunc hominem molestare, quæ sunt causæ istorum symptomatum, quibus nunc molestatur. Nam in tempore pueritiæ passus est fluxum sanguinis narium copiosissimè quidem & frequentissimè. Post quem subsecutus est fluxus hæmorrhoidum, in quibus emanabat plurima sanguinis copia. Nunc autem easdem quoque patitur, sed non cum fluxu sanguinis, sed cum dolore tamen & tensione & grauitate. Tertiò passus est dolorem nephriticum maximum, cui Medici quamplurimis remedijs occurrêrunt. Quartò dolorem arthriticum, ita ut nullus articulorum sit, qui non infestetur dolore. Et ista sunt quæ consueuit pati, quæ etiam sunt causa eorum quæ nunc patitur, & sunt octo. Primò percipit dolorem quendam propter materiam à nucha per medullam spinalem ad inferiores partes descendentem, quæ quidem materia actu calida est, à loco unde incipit, usque ad locum quò pertingit, id est, à capite usque ad pedes, & alias partes ad quas defluit huiusmodi materia. Secundò ista materia deuenit etiam ad fauces, et gustu salsa est. Tertiò patitur inflammationem insignem in summitate narium cum rubedine, ex qua emanat materia quædam uirulenta, quæ uidetur esse pus quoddam: quæ materia calida admodum est & feruens. Post exitum uerò istius materiæ, exit sanguis, cuius exitu subleuatur ab ea. Quartò habet tumorem splenis satis apparentẽ tactui. Quintò ardorem urinæ, ut non poßit liberè exire, & tenuißimè exit, ita ut plurimum temporis absumat in mingendo, nec exitus urinæ satisfacit uirtuti expulsiuæ. Sextò, in urina sunt arenulæ rubeæ, quæ subsidunt in fundo. Septimò dolores patitur podagricos, & quandoq;

doq; etiam chiragricos, & quoddam stillicidium aquæ frigidißimæ. Octauo consueuit pati, maximè tempore æstatis, ingentem dolorem capitis. Vltimò imbecillitatem uentriculi maximã habet, addit se uix posse alimenta conficere. Scio Domini, uos admirari quomodo in isto corpore poßint tot esse præter naturam: siquidem uidetur nullum membrum principale illæsum habere, & unum ex illis symptomatis uidetur alteri aduersari. Sed si cognoueritis temperaturam istius, mores & exercitia, facile cognoscetis omnia ista tum ex temperatura ipsius naturali, tum ex uiuendi ratione orta fuisse. Incipiamus à temperatura membrorum principalium, & primò à temperatura naturali cerebri, quod quidem calidißimum est, ut licet uidere ex multitudine operationum, non dico ex optimo discursu, quia bonitas ingenij non à caliditate cerebri prouenit, sed potius à temperata frigiditate. Sed bene multitudo operationum cerebri à caliditate prouenit. Iste perpetuò cogitat & meditatur. Prætereà indicat nobis calidum cerebrũ aliud, scilicet quòd non potest in hyeme operimentum aliquod capitis ferre: & si apponatur aliquod, statim inflammatur, & sic semper à calido læditur, maximè in æstate. Color etiam faciei hoc indicat. Qui habent in facie rubedinem plurimam, et in oculis uenas apparentes, illi habent temperaturam cerebri calidam: ideò ex istis iudico cerebrum illius esse calidum & siccum. Quòd autem hepar & renes calidos habeat, patet ex colore faciei, ex uenarum amplitudine, & nihil calidi potest pati, nec hepar nec renes, sed maximè frigidis iuuantur. Quòd etiam cor habeat calidum, argumento est, quia

cerebri calidi signa.

hepatis & cordis calidi signa & renum.

est

est plurimorum negotiorum: fuit miles animosus & audax: isti mores sequuntur temperaturam cordis. Quòd renes sint calidi, iudicatur ex arenulis illis rubeis, & ardore urinæ, & sic habet cerebrum, hepar, cor, renes calidos. Aliud modò est symptoma illis oppositum, scilicet uentriculus frigidus, quod indicat, quia non bene concoquit cibos: minimum sitis: cùm habeat tot membra calida, et catarrhum maximè calidum, deberet multùm sitire: parum appetit, & est profundißimi somni: & hoc non nisi à frigiditate uentriculi prouenire potest, in quo generatur plurima pituita, à qua eleuantur uapores frigidi ad caput, & sic causant somnum, licet temperatura cerebri potiùs super uigilijs indicet, quàm ut somnum admittat, quia est calida. Cùm igitur habeat ista membra taliter præparata, & tales mores, & huiusmodi exercitium, in quo nihil facit secundum rationem, sed cùm sit mercator, exponit se aëri frigido, & patitur frigus pedum, & multa incommoda in itineribus cum terra, tum mari, & equitat cùm non debeat, & edit horis incongruis, et dormit quando potest. Ex hoc igitur uitæ genere non est mirandum, cùm talia membra principalia habuerit, si in tot symptomata inciderit: nam scitis quòd dixerit Gal. 11. de locis affect. cap. de dolore capitis, quòd ubi hepar & totus uenarum ambitus calida sunt, corpora illa repletioni parata esse: & ratio est, quia ubi hepar & uenæ sunt calida, habent sanguinem feruentem, ex quo eleuantur uapores: & sic cùm cor sit calidum, & arteriæ, in quibus spiritus est feruens, transmittuntur plurimi uapores ad caput, & faciunt ipsum redundare plurimis excrementis, & cùm

accesserit

uentriculi frigidi sig nia

accesserit ad hoc frigiditas uentriculi, eleuantur uapores pituitosi, & replent caput. accedit etiam mala uictus ratio. Et sic in hoc sunt omnes causæ, quæ repletionem capitis faciunt. His ita stantibus, dum adolescens fuit, subiectus erat illis fluxionibus, tum propter temperaturam, tum propter uictus rationē, quia expurgabant ipsum, et sic sanus degebat: sed non sunt uiginti anni, ex quo sanguis ille destitit, & tunc immutatio subsecuta, nephritis scilicet, id est, dolor renum: quo curato, in dolorem articulorum omnium incidit, & in podagram, & tunc habebat fluxum hæmorrhoidum, ille tamen nō sufficiebat, sed iam sunt quatuor anni ex quo suppressæ sunt hæmorrhoides. Nunc autem tantam grauitatē, dolorem & inflammationem sentit: & ita à duabus consuetis euacuationibus destitutus fuit, scilicet à fluore sanguinis narium & hæmorrhoidū, & perseuerant eædem causæ aggregantes superfluitates, et inde sunt hæc omnia symptomata, quia annū iam agit XLV. & est in principio senectutis, & iam calor naturalis incipit diminui, cùm sit destitutus à proprijs euacuationibus. Videndum est an sit una causa omnium istorum symptomatum. Et dico quòd primum est caput, quod primogeniò est affectum. Et notate, quòd differt dicere aliquod membrum esse primogeniò affectum, & esse affectum per essentiā. Nam membrum dicitur primogeniò affectum, cùm læsio primò apparet in eo, & priùs ægrotat ipsum, quàm alia. Per essentiam uerò dicimus membrum esse affectū, propter uapores ascendentes ad ipsum, quia in ipso læsio primò uidetur, posteà uerò læsum per essentiam. Gal. III. Aphor. XII. Destillatio capitur dupliciter,

proprie,

proprie, & improprie. Proprie destillatio quæ ad fauces uel pectus descendit, dicitur catarrhus, & sic ille nullum catarrhum patitur, quia nullam læsionem habet in pectore, nec tussim, nec anhelitus difficultatem, de quo etiam mirandum est. Intelligo autem catarrhum improprie, pro fluxione à superioribus partibus ad inferiora: & ab isto proueniunt omnia symptomata: & ista à capite per uarias uias descẽdit, quia est maxima copia materiæ: primò per uiam communem ad fauces & uentriculum peruenit. Non autem descendit per asperam arteriam (quod cur fiat, aliàs dicam) sed per uenas, arterias, neruos, & sic per omnia uasa, & per spondylos: & refert quòd percipit humorem calidum à nucha per spondylos usque ad pedes peruenire, & per uiam communem ad fauces, & sentit salsedinem. Et quotidie bis excernit, & hoc est ratione catarrhi, quia alioqui deberet huic esse aluus strictissima: sed catarrhus descendens lubricat & debilitat contentiuam, & ad uentriculum etiam deuenit, cuius signum est, quòd leui screatu expuit. Quòd etiam eadem materia per uenas & neruos descendit, apparet ex tumore illo podagrico, & ex tumore splenis. Et non sufficiunt istæ etiam uiæ, ex quibus nunc à capite ad alias partes solet defluere, quia materia est multa, ideò sentit repletionem capitis. Hæc cùm ita se habeant, primò uidendum quæ sit materia defluens, quia scimus istam defluere. Ista est calida & subtilis. Quòd sit calida patet, quia ex gustu salsedinẽ percipit, & caliditatem etiam in defluxu, & inflammationem in naribus: & quod exit, est calidum, tum etiã propter materiam descendentem ad renes, quia in urina ap
pa-

destillatio dupliciter capitur.

parent arenulæ rubeæ, ut Epidem. part. III. comm. V. & VI. ubi docet ex colore arenularum cognoscere, quæ sit materia peccans. Sunt autem arenulæ rubeæ in isto, ergò materia calida. Sed cur est quòd materia ista descendat per neruos, & non faciat contractionẽ, spasmum & conuulsionem? Dico quòd hoc non fit, quia nõ firmatur in neruis, sed quia expulsiua uirtus fortis est, ideò expellit ad iuncturas, & capita musculorum, ubi prouocat dolorem mordicando, propter qualitatem suã malam, & propter intemperiem quam causat, & facto dolore, attrahitur noua materia, quia, ut bene dicebat Galenus II. de differentijs febrium, & in tumoribus præter naturam, membrum potest dupliciter debilitari, uel quia priuatur proprio & innato calore, uel quia habet caliditatem præter naturam. Sed in iuncturis est utrumque: primò sunt debiles ob priuationem proprij caloris: hoc autem contingit propter materiam quæ ad eas partes præcipitata fuit, quæ multis de causis ad illas partes magis quàm ad alias confluxit: tum etiam quia adest dolor: & ubi dolent, incipiunt tumescere, & tunc sequitur inflammatio, & apparet tumor quidam nitens, & color eius est ruber tendens ad purpureum, quod indicat multum sanguinis craßioris ad illas partes per uenas descendere, & facere inflammationem, & sic talis podagra est calida, quæ est semper cum inflammatione. Quantum ad alui exitum, ad fauces, et ad uentriculum, quod percipit tum ex gustu, quia apparet salsedo, tum quia peßimè cõcoquit, & percipit materiam ad uentriculum præcipitari, & per uenas capitis parum materiæ ad nares tendit, & facit inflammationem: quæ

quia

membrũ dupliciter pot debilitari.

quia tumet & rubet, ideò, est materia sanguinea: & cùm materia sit feruens, ideò facit uesicas in naribus, post quas exit aqua purulenta, & ultimò sanguis ater. A quo modo causatur tumor splenis? Dico quòd iste habet hepar calidißimum, ideò redundat plurimo sanguine fæculento & crasso: & qui tales sunt, dicit Aristoteles, in paracmastica ætate, melancholici fiunt, & humoribus melancholicis redundant. Cùm igitur iste sic habeat hepar calidum & siccum, ideò redundat plurimo sanguine crasso & melancholico. Quòd ita sit, patet ex fluxu hæmorrhoidum, quæ etiam nunc intumescunt, licet natura propter imbecillitatem expulsiuæ non possit sese exonerare, & propter materiæ craßitiem: ideò ille sanguis ad splenem defluit, & cùm plurimus sit & fæculentus, non potest confici ab ipso, & ideò super fluitatibus plenus redditur, & intumescit, ut dicit Gale. Quòd ubi intumescit splen, corpus marcescit, quia tunc redundat humores craßi maliq;. Et sic dico, quòd splē intumescit magis propter multitudinem alimenti mali & craßi, quàm ex catarrho à capite defluente. Et dicit Hippoc. VI. Epid. cō. II. Aph. IIII. qui subiecti sunt catarrho, non incidunt in tumorem splenis. Et Auicenna cap. de catarrho, idem dicit de splene, qui uidetur contrariari Galeno, quia Galenus affert tres causas, & primam refutat Auicenna: primam accipit tanquā Galeni, & ipsum impugnat, sed ipse Galenus eam refutat, & adfert alias Auicenna, quas etiam habet Gal. & dicit, quòd causa, cur catarrhosi non fiant splenetici, est, quia patientes catarrhum sunt frigidi, & plurimis cruditatibus abundant, et non fæce sanguinis: & cùm non abundent

cur catarrhosi nō fiant splenetici

dent fæce sanguinis propter frigiditatem, ideò splen ipsorum non potest intumescere. Sed Galenus recitat tres causas, & primam, quæ Sabini fuit, refutat, quòd qui patiuntur in uno membro, nõ possunt in alio affici. Hoc non est bonum. Secunda ratio, quæ mihi uidetur cum priori eadem esse, quòd natura scilicet non poßit excrementa sua transmittere ad tot diuersa loca: sed cùm fuerit aliquod membrum debile, ad illud omne superfluum depellit. Tertia, quam approbat Galenus, & Auic. etiam accipit, est cùm dicebat, quòd qui catarrhosi sunt, frigidi essent, & tales non abundarent fæce sanguinis. Sed cur est quòd ille simul destillationem & tumorem splenis patitur? Dico id fieri propter caliditatem membrorum inferiorum: & eadem causa quæ facit destillationem pro parte, facit tumorem splenis, quia generat plurimum sanguinem crassum & fæculentum, ex quo repletur splen. Primò igitur est catarrhus salsus, qui fit propter uapores biliosos, ab hepate & ambitu totius eleuatos ad caput, & cùm ipsum calidum reperiant, magis ibi excoquuntur. Vrina acrior, in qua arenulæ rubeæ: hoc fit cum propter materiam descendentem ad illas partes, tum propter aciditatem & acrimoniam. Vrinæ impedimentum & suppreßio fit, quia materiæ catarrhales collum uesicæ & meatus obstruunt, & ita stricta subtilis exit urina. Et hæ sunt causæ multiplicantes symptomata. Sed quodnam iudicium facis de hoc homine? quia uideo, quòd si ista fluxio non fieret, caderet uel in apoplexiam, uel in peßimos morbos. Dico, quòd stante uentriculi frigiditate, quæ est cum propter catarrhum descendentem, tum propter caliditatem hepatis,

catarrhus salsus.

patis, absumentem pinguedinem omenti, tum denique propter peßimam uictus rationem: stante etiam caliditate hepatis & cerebri, concedo quòd casus sit difficillimus, tamen minoranda est materia medicamentis, & recta uictus ratio præscribenda: credo quòd si non sanabitur ex toto, in meliorem tamen statum redigetur. Ideò si possemus refrigerare mandantia membra, ne tàm calida essent, illi multum prodesset, & maximè continuis alimentis, quibus remoueremus causas, ne materiæ de nouo generarentur. Cura igitur ad hoc redigatur, ut causæ harum fluxionum corrigantur. Et licet cerebrum mandet, tamen inferiora etiam ad ipsum mandant, scilicet, hepar, uentriculus, & ambitus totus uenarum. Ideò debemus incipere à causis proximis, quod fiet prohibendo, ne materia noua generetur: quia si remoueatur materia non generata, & prohibeatur ne noua ampliùs generetur, remouebitur etiam fluxio. Cùm igitur plurima adsit materia generata in hoc corpore, & cacochymia, ideò euacuanda materia. Et notate, quòd exquisitè antequàm è domo proficisceretur, euacuatus est, & posteà propter agitationem maris plurimum euomuit: nihilominus aliqualiter euacuarem, & præpararem materias, et rursus euacuarem uel ter uel quater, ut ita exquisitißimè corpore euacuato, alterarē membra, & sic prohiberem ne noua materia ampliùs generaretur. At cùm tria genera euacuationis ab Excellentia uestra sint proposita, uidelicet mißio sanguinis, cauteria, & euacuantia pharmaca, ego laudarem mißionem sanguinis, quia caliditas membrorum inferiorum, est causa omnium istorum symptomatum: & sic

euacua-

euacuaremus simul, & refrigeraremus hepar, facta prius lenitione alui cum floribus Caßiæ, quia semper omnem lenitionem alui uolo ut præcedat aliqua lenitio per clysterem cõmunem, qui est ex flore Caßiæ &c. qui euacuat à uentriculo crassos humores, feruidos & adustos, sine aliqua attractione. quin etiam do minoratiua cum scammoneatis aliquanto fortioribus. Quidquid dicant alij, nunquam ad digestiua descendam: quia si prius digestiua exhibemus ante aliquam minorationem materiæ, humores crudi per uenas transeunt, atque eas obstruunt, & sic augent putredinem, uel eam, si non adsit, efficiunt. Ideò à basilica dextri lateris mitterem sanguinem. Syrupi essent de Endiuia, de rosis. Intermitterem syrupum de Papauere simpl. quia uolumus præparare materias, non sistere. Præterea adderem oxymel (quod licet in ægritudinibus uituperetur, tamen uideo Hippocratem exhibere in pleuritide: & tertio κατὰ γένη, ubi neruus in profundo est uulneratus, iubet cum medicamentis misceri acetum, ut uirtus medicamenti ui ipsius aceti perducatur ad locum, & in transitu annihiletur uirtus aceti, maximè quando permixtum est cum melle. Et licet in isto abundent humores biliosi, illi tamen sunt permixti cum pituita: cuius signum præbet salsus humor, qui uel propter adustionẽ pituitæ, uel ut Auicenna uoluit, ob permixtionem bilis cum pituita prouenit) cum aqua Endiuiæ, Buglossæ, uel decocto eorum, aut alijs huiusmodi. Quo ad euacuationem, euacuarem etiã cum Coccijs in principio, ut Galenus 5. Methodi etiam euacuat cum istis, et Rhazes ab eo accepit, & Coccias appellauit. Ibi nanq; curat Galenus catarrhum cum istis in

principio:

principio: & sunt optimæ in euacuanda materia crassa, pituitosa, existente in iuncturis, quia à longinquo trahunt: & cum pillulis de Hermodactylis, & alijs in quibus Agaricũ et Colocynthis ingrediuntur, quia in Hermodactylis est uis trahendi à iuncturis, unde inflant uenas: ideò primæ, scilicet Cocciæ, magis placerent. Euacuato corpore deuenirem ad corroborationem membrorum, & ratione podagræ diuersionem facerem. Credo quòd si posset à uino abstinere, cùm tanta caliditas sit in inferioribus membris, quòd præstantißimum hoc esset remedium, licet habeat uentriculum imbecilliorem: fortasse si remouebitur catarrhus, et contemperabitur hepar, meliùs concoquet: & sic pro potu darem aquam correctã cum saccharo, uel cum modico Cinnamomi & Anisorum: & quia etiam Galenus dicit, quòd uinum potens noceat neruis: sed patientibus podagram, uinum probibetur, non quòd forte tantùm à potentia noceat, sed etiã alia de causa. Galenus tertio de ratione uictus, loquens de uino, ne trahat, inquit, materias fluxioni paratas per uasa: & ideò aquosum & subtile nocet, quia aperit & præparat humorẽ ut fluat ad iuncturas. Ideò uetamus uinum podagricis, quia timemus nimiam apertionem, & humorum subtiliationem. Sed aqua magis refrigeraret quàm uinum, & non ita attenuaret. Et Auicenna proponit aquam mulsam, abstergit enim, & per uias urinæ purgat: sed aqua cum saccharo & modico Piperis, noceret spleni: dico, quòd quãdo splen esset tumefactus ex uentositate uel frigiditate, quòd noceret: sed intumuit propter caliditatem, ideò proderit potus. Sed cur est quòd aqua chalybeata exhibetur sple-

netico indurato propter feruorem ſanguinis? hoc fit, quia refrigerat hepar, quod ubi eſt refrigeratum, minus generat de fæce ſanguinis. Hinc falſo exiſtimant qui putant ex inflammatione hypochondriorum intumeſcere ſplenem. Quòd ſi uinum uoluerit, illud ſit delicatiſsimum, quantùm poſsibile eſt. Quod ad cauteria, in capite neque actualia, neq; potentialia facerem, quia uitium non eſt cerebri, ſed membrorum inferiorum, quæ mandant ad ipſum. Si eſſet catarrhus ex imbecillitate tantū cerebri, quòd non poſſet concoquere proprium alimentum, forte conuenirent: ſed quia tota materia ab inferioribus membris ad ipſum eleuatur, ut non poſsit concoquere, nec difflare, nec reprimere tot uapores, & quia calidum eſt cerebrum, non exhiberem cauteria, ſed cum pulueribus frigidis & humidis, quales eſſent ex flore Nenupharis, Violarum, Roſarum: quia Roſæ propter tenuitatem ſuæ ſubſtantiæ, faciunt ut talia penetrent, & ſunt frigidæ etiam, & ſic uapores reprimerentur, & contemperarent temperaturam cerebri. Quòd autem cauteria non facerem ad talos, in cauſa eſt multitudo ibi neruorum, chordarum ac ligamentorum, ſed potiùs intra genu: & plurimos noui taliter curatos, exhibitis priùs opportunis remedijs. Nec mihi diſplicet, ut aſſumeret aquas Thermarum Veronenſium, quas Calderianas uocant, quia conferrent ſpleni, & refrigerarent membra inferiora, hepar, renes, & uentriculum corroborarent ſua aſtrictione. Ideò ſi aliquæ aquæ cõferunt, credo quòd iſtæ conferrent. Deinde in conſeruatione uellem ut denuò iſto remedio uteretur, acciperet maximam aquæ quantitatem, & in ipſa Myrobalanos, flores

Senæ, Epithymū decoqueret, in quo decocto infunderentur rosæ multoties, & in hac infusione pro una lib.iiij. uel v.ʒ. Rha barbari apponeret, & facta infusione exprimeret, & faceret syrupum, qui optimè euacuaret materias crassas, et calidas omnes, & refrigeraret hepar, et acciperet uel semel qualibet septimana uel ter in mense ʒ iiij. pro uice. Nam ex Myrobalanis habemus confortationem iuncturarum, et ex Rha barbaro confortationem hepatis.

Consult. LXIX. De scabie, tinnitu aurium, hæmorrhoidibus.

ACCIDENTIA sunt consideranda. Primò scabies, quæ habet pustulas magnas, sæpe aquositatem cum dolore, et mordacitatem emanantem: habet & maculas nigras circa pectus, quæ depilant & persistunt semper: habet etiam tinnitum aurium, qui perseuerat, noctu præcipuè, et dolores maxillarum, sunt hæmorrhoides copiosæ: sanguis est copiosus, et post sanguinem aqua exit, quæ mordicat & calida est, causat eundem dolorē in crure: febrem quoque, ut nunc, habet. Materiæ & causæ symptomatum inueniendæ, ut curemus. Sed oportet priùs scire temperaturam naturalē, ut sciamus qualitatem lapsus & medicamenta. Procedam per conclusiones. Temperatura calida, et hepar calidum. Color magnum argumentum temperaturæ, nisi sit aliquod accidens, ut in sole uersatus. Sed uera temperatura colligi debet ex actionibus & excrementis. Cætera accidentia posteà testimonium & fidem perhibent illis, sed non sunt tàm certa. Actiones secundū naturam quales erant

neſcio: nam æger ad nos uenit, uenæ tamen amplæ. Pili & muſculi calidam temperaturam ab initio fuiſſe ſignificant. Nec curo aliorum temperaturam, ut cerebri, quia nec illud, nec alia membra curabo, non enim ibi eſt affectus: ex cacochymia omnia dependent, quæ quidem eſt ab humoribus in uentriculo & iecore genitis. Hepar eſt calidum & ſiccum intenſè redditum ex operationibus: eos enim qui hepar calidum & ſiccum habent perpetuò, deſtitui bonis actionibus in uentriculo neceſſe eſt, quia caliditas adurit, et hepar amplectitur uentriculum, & cùm calidum eſt, conſumit ſua caliditate omenti pinguedinem, quæ adhæret membris à frigiditate, nec permittit generare adipem omenti, cuius uſus eſt, ut calorem in uentre conſeruet: ideò ibi uulnerati male concoquunt. Etiam uoracitas facit ut hepar ante tempus cibum attrahat. Inde fiunt circa uenas Meſaraicas craſſorum humorum obſtructiones, deinde in uentriculo generatur pituita, & ita una cauſa alterā iuuat. His ſtantibus, cognita hepatis & uentriculi temperatura, ratione hepatis calidi multum bilis & fæcis ſanguinis generatur, quod eſt naturale. Ad hæc acceßerũt exercitia importuna, & labores: eſt uenator, pedes ambulat, nunquam quieuit, ſemper magnis laborib. deditus, coiuit, ingeßit cibos quoſcunq;, & uina potentia bibit. Incidit in aliam calamitatem. Sunt XII. anni cùm coiret cum ſcorto, incidit in puſtulas, dixit Medicus: paſſum eſſe morbum Gallicum, dedit linimentum ex argento uiuo: per os ſpuit, et membra neruoſa parata ad fluxiones reddidit. quæ inde incommoda ſequuntur? Auic. dicit argentum uiuum inducere ſtuporē, paralyſin &c. & tota

ſua

quare qui hepar callidum habet bonis actionibus uentriculo destituatur.

Nota de argento uiuo.

ſua forma naturæ humanæ contrariari. Hæc igitur omnia acceßêrunt: primò temperatura hepatis à natura fuit calida: ſecundò uictus, exercitatio & conſuetudo anxia: tertiò, argentum uiuum omnia membra debilitauit. Scabies eſt ex fluxione, non ex contagio, in illo uiro, omniaq; accidentia præter febrem, tinnitus, grauitas capitis, hæmorrhois &c. ſecundo de diff. febrium. Cùm eſt fluxio, uidendum quod ſit membrum mandans, quod recipiens, uiæ per quas, & quæ materia fluens. Hæc eſt regula. Cutis igitur membrum recipiens eſt & occaſio, quia debilis, et accidens ei aduenit nouum ratione cutis, trahit &c. Contagiũ quod cuti intemperiem & putredinem affert, cuius ratione trahit ad ſe humores, qui parant fluxionem. Vbi igitur abſtergitur putredo illa, non fit attractio ulterius 2. de differ. feb. In hoc uiro nõ eſt cauſa membrũ recipiens, ſed interior cauſa eſt membrum mandans, quod ipſum recipit aliunde. Ideò & hæmorrhoides habet, quia uenæ illæ recipiunt humorem alium defluentem. Oportet igitur eſſe membrum mandans. Sic tinnitus aurium fluor eſt. Neceſſe igitur eſt aliquam eſſe materiam, cùm omnia ſymptomata ad fluxionem ſunt reducta. Scabies propria cutis, quæ recipit membrum mandans muſculi: & reliquæ partes interiores quæ debent nutriri, mittunt nutrimentum ſuum, quo nutriri debent, ad cutim, quia alimentum nõ eſt bonum, ideò quòd fundamenta, hepar & chylus non ſunt ſecundum naturam, unde malum generari ſanguinem neceſſe ſit. Muſculi igitur trahunt dulciorem partem, & quod reliquũ eſt mittunt ad cutim. Porrò is humor in ſubſtantia uel tenuis eſt, uel craſſus, uel ſalſus, uel acris, aut

mordax, & semper diuersa facit. Humor salsus diuersificat in substantia, facit scabiem cum pruritu. Si est pruritus tenuis, natura facile euaporat: si est materia crassa, ex scalptura non euaporat, sed facit pustulas, & ibi putrescit: hæc uera causa scabiei. Materia subtilior pruritum generat, crassa scabiem: hoc uoluit Auic. Materia igitur huius scabiei est humor salsus, qui transmittitur ad manus & crura, quia maior copia materiæ: & exit cum dolore aqua, quia humor calidus soluit continuum & alterat. Concurrunt igitur duæ causæ, quæ sunt causa doloris secundum Gal. licet alij male dicunt unam esse. Tinnitus in cerebro, et grauitas capitis, ex materia fluenti nascitur 3. de locis affect. cap. de dolore capitis. Qui habent calidum hepar, & totum ambitum uenarum calidum, subiecti sunt repletioni capitis: & si accesit cruditas per uiam communem, repletur caput, & ita fit non tantum ob hepar, sed etiam ob uentriculum, sicut hic concurrunt hæc duo, non tamen ob naturam hepatis, sed ob uictum etiam malum facientem crudum uentriculum. An caput calidum sit, non habet instructionem: potest tamen esse calidum, & causam habere, quòd facile ascendant uapores, qui posteà mouentur in aure, & faciunt tinnitum.

Consult. LXX. Ad Melancholiam hypochondriacam.

OBSERVATA uictus ratione, uellem quòd in anno bis, uere scilicet & autumno, se purgaret. Vere mitteret sanguinem à uena basilica cubiti sinistri. In intermedijs uerò temporibus acciperet ter aut quater in mense infrascriptas pillulas.

Recipe

℞. Epithymi Cretensis ʒ vi.
Agarici electi ʒ iiij.
Cort. Ellebori nigri ℥ iiij.
Specierum Hieræ simp. ʒ iiij. Cum melle rosato fiat Magdaleon, de quo singulis uicibus ʒ i. accipiat, & formentur pillulæ tres cum melle rosato, & eo uespere quo assumet pillulas has, accipiet scutellam unam panis loti, seu panatellæ, & aut nihil, aut parum admodum bibat, accipiatq; sæpißime per horam ante prandium Conseruæ florum Borag. atque Buglossæ parum. Ante syrupum sumere poterit elect. lenitiui ʒ x. cum saccharo, fiat bolus. Pro syrupis.

℞. Syrupi de Fumoterræ ℥ i.
De Buglossa
De pomis ana ℥ s.
Aquæ Boraginis ℥ iiij. Misce.

Pro purgatione.

℞. Confect. Hamech ʒ iiij.
Syrupi rosati solut. ℥ iiij.
Cum aqua Betonicæ fiat potus.

Post medicinam.

℞. Sacchari rosati ℥ ij.
Conseruæ florum Boraginis ℥ ij.
Buglossæ ℥ ij. Misce, fiat electuarium.

Pillulæ pro melancholico.

℞. Epithymi Cretensis ℥ i.
Aloës optimæ ℥ s.
Caryophyllorum
Nucis muscatæ ana ʒ ij.
Cort. Ellebori nigri ʒ vi. Cum syrupo de

corticibus

corticibus Citri fiat Magdaleon, de quo fiant pillulæ, pro ſingula drachma tres: ſumantur ante cœnam per horam, bis in ſeptimana.

Pro quartanario purgatio.

℞. Florum Boraginis, Bugloſſæ ana ʒ iij.
Rad. Ellebori nigri ʒ v.
Polypodij ℥ ſ.
Fol. Senæ
Epithymi ana ℥ ſ.
Rad. Boraginis
Bugloſſæ
Capillorum Veneris ana ʒ iiij. Bulliant in ſufficienti quantitate aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, colentur & exprimantur, colaturæ poſteà addantur.

℞. Succi Fumi terræ
Boraginis
Bugloſſæ ana ℥ i. ſ.
Succi pomorum ℥ iiij.
Sacchari albi ℥ xv. Fiat ſyrupus, ſumat per quinque dies.

Conſult. LXXI. De ſcabie.

ERAT puer laborans febre putrida & hydrope, cuius cutis aſpera erat, qui habebat diſpoſitionem ad ſcabiem, de qua Montanus hoc dedit conſilium. Scabies eſt de genere fluxionum, & ſemper deducenda eſt ad fluxiones: ſed in qualibet fluxione quatuor ſunt conſideranda, ſcilicet membrum mandans, membrũ recipiens, materia quæ tranſmittitur, & uiæ per quas. Ad quam partem hic tranſmittitur? ad totam cutim, quæ recipit,

propterea quia imbecillior est à propria natura. Semper enim uidebis ad cutim fieri crisin in fine ægritudinis cum scabie, pustulis, sudore, in adolescentibus, & non raró etiã in alijs. Est præter hæc debilitatus admodum, quia perpessus magnum frigus, & aquas, ut penè exhaustus sit calor, nec poßit concoquere alimentum propemodum, nec expellere excrementa. Propter paupertatem & ingluuiem cibos multos ingeßit & uarios, nec boni succi, nec nutrimenti cõmodi: unde in uenis & hepate materia multa. Viæ quoque latæ sunt, quia cholericus: habet latas uenas, & poros amplos. Scabies, rigor, sudor, lepra, pruritus simplex, siccus, sub cute ab eadem materia nascuntur. Ita omnes fluxiones sunt, sed tantùm secundũ diuersum modum substantiæ & uirtutis expellentis uariant. Si materia tenuis, et pori aperti, nullum fit symptoma, quia materia exhalat: si uerò materia craßior, uirtus non fortis, & cutis resistit, fit rigor. Est etiam rigor sine febre interdum, ut Gal. lib. 2. de diff. febrium, & lib. de rigore, ostendit. Si materia craßior, uirtus fortis, & uiæ latiores, peruenit ad cutim, ac ibi cõtrahitur, & pustulas generat: estq́; materia pituitosa, aliquãdo salsa. Est ægritudo in compositione, quia cutis asperior est quàm esse deberet. Gal. 2. de causis mor. Morbus est quando impedit operationes: quãdo uerò nõ impedit, est symptoma. In hoc puero sunt pustulæ, nec est simplex pruritus, sicut ubi materia tenuis est. Extinctione cessat pruritus, quia dilatatis poris euaporat: hinc cutis aspera est, & facit desquamationes, quia materia multa quidem, sed tenuis est, & apud antiquos propriè lepra dicitur. Nam apud Medicos hodie lepra

longè

longè alia est, quàm quæ apud antiquos elephantiasis dicitur, & desquamat ferè usq; ad ossa. In hoc puero est ex humore salso, pituitoso, adusto. Si ex melancholia, faceret elephantiasin, et uerã lepram. Auicenna dicit salsedinem ex duabus causis prouenire, uel cùm bilis cum pituita miscetur, uel quando aduritur materia pituitosa. Prima causa habet difficultatem, quia nunquam ex tali mixtione facietis salsedinem, rem scilicet amaram cum insipida miscendo. Nam salsedo etiam differt ab amaritudine, unde non scio qua experientia ductus hoc dixerit. In secunda causa uerum dixit: quia ubi calor adurens occupat materiam terrestrem & crassam, & eam exurit, salsam facit. Sic etiam salsedo maris, ob adustas partes terreas, mistas cum humore aqueo, ut Theophilus ait de saporibus. Salsedo in terrestri substantia fundatur, sicut & amaritudo: habent enim eandem causam materialem, materiam scilicet crassam & adustam, & efficientem, utranque à calore adurente, nisi quia amara sunt magis adusta, ita etiam, ut si quæ salsa ulteriùs aduruntur, fiunt amara, sicut nitrum est salis genus excoctũ. Cura ẽ à materia rei. Primò ponamus corpus esse purgatum. est salsedo, & est fluxio, quæ quandoque sola euacuatione curabitur, ut materia cùm non sit iam ampliùs, mundetur: unde etiam dicit Galenus, sæpiùs se fluxiones sola euacuatione curasse. Abstineat à rebus salsis, acetosis, carne bouina, uino crasso, potenti, & omni re calida & adurente: utatur uino subtili & tenui. Si adhuc medicamentis indigeat, utendum abstergentibus, exiccantibus: quia si illa quæ adhærent, abstergantur, corpus reddetur æquale. Aspera cum abstergentibus

gentibus curantur : ſic conueniunt omnia acida ut ſuccus Limonum, Acetoſa, *oxylapathum, &c.*

Conſult. LXXII. De ſcabie humida cum pruritu.

R. Flor. *Caßiæ* ℨ x.
Cum ſaccharo fiat bolus, ſumat hora ante prandium.
Item
R. *Succi* Boraginis
Fumiterræ
Cichorij *ana* ℥ iij.
Purificentur & ſeruentur pro tribus uicibus. Sumatur ergò tertia pars huius ſyrupi, & ſeri caprini ℨ vij.
Miſce, & ſumatur in aurora loco ſyrupi per 14. *aut* 15. *dies, prout magis conferet.* Item
R. *Rhabarbari electi* ℨ ij.
Macis ℈ i.
Incidantur *& aſpergantur uino aromatico, poſteà infundantur in aqua lactis caprini per horas* 24. *Facta diligenti expreßione & colatura,*
R. *Confect.* Hamech ℨ iij.
Syrupi roſ. ſolut. ℥ ij.
Miſce, fiat potio danda *in aurora, cum cuſtodia.*
Item,
R. *Sacchari roſati* ℥ vi.
V*tatur ante cibum mane & ſerò, & ſumat* ℥ s. *ſingulis uicibus.* Poſt *aſſumptionem medicamenti, poſt duos præcedentes ſyrupos, mittatur ſanguis à uena hepatis* dextri *lateris, & extrahantur circa* ℥ viij. *Item peractis his omnibus ingrediatur balneum aquæ dulcis, &*
primò

primò sudet, & fricetur, deinde lauetur: postea in secundo loco balnei mittatur sanguis per cucurbitulas, applicando eas tibijs, brachijs, spatulis & natibus, postea illinantur manus & totum corpus linimento sequenti.

R. *Terebinthinæ lotæ*		℥ iij.
Olei rosati		
Butyri recentis	*ana*	℥ ij.
Storacis Calamitæ		ʒ i.
Succi Limonum, quantum pondus est omnium.		
Salis nitri		℥ s.
Salis communis		℥ ij.

Misce omnia simul, & bulliant in olla noua ebullitione una, deinde remoueantur ab igne, & ubi tepuerit, adde uitellos ouorum recentium numero iiij. commisce omnia simul ad formam emplastri, & utere. Ante purgationem nullas lotiones aut unctiones faciet: si tamen omninò lauare uellet, faceret id cum decocto Altheæ, Maluæ &c. & inungeret manus cum succo Aurantiorum medij saporis. Pedes tumescebant, lauit ex rosis, Althea, Chamæmilla, Saluia, Maiorana, Pulegio, in uino & aqua coctis.

Pro scabie post purgationem:

R. *Rad. Ellebori nigri*	℥ vi.
Lapatij acuti	*man.* x
Rad. Ellebori albi	℥ ij.
Limonum cum radicibus suis in frusta incisorum numero xv	
Terebinthinæ	℥ iiij.

Salis

Salis Nitri ℥ ij.

Contundantur omnia simul, & fermententur per dies quatuor in uase mundo & bene cooperto, ne transpiret, sepelianturque in fimo equino: post fermentationem quatuor dierum extrahatur primo aqua, deinde oleum: utrunque optimè scabiem remouet, & cutem ab omni labe mundabit.

Consult. LXXIII. Vnguentum ad lepram datum, seu scabiem ortam ex uitio uirtutis assimilatiuæ, purgato anteà toto corpore.

℞. Rad. Lapatij ℥ iij.
Rad. Ellebori nigri & albi *ana* ℥ ij.
Hordei fracti pug. iij.

Bulliant omnia in suff. quant. aquæ ros. ad consumptionem duarum partium, deinde facta diligenti expreßione & colatura,

℞. *Salis Nitri* ℥ iiij.
Olei rosati
Butyri recentis ana ℥ ij.

Bulliant omnia simul ad consumptionem aquæ, deinde

℞. *Succi Limonum* ℥ iij.
Terebinthinæ ℥ ij.

Misce omnia simul, & cùm refrigerari incipit, addito uitellos ouorum recentium nume. iij. & serua: inungatur scabies, scalpta priùs.

Consult. LXXIIII. Pro tremore manus.

PROBABILE *est hominem ab ineunte ætate cudendis nummis occupatũ, uehementißimo motu, & magno*

gno malleorum pondere, brachia ita exercuisse & calefecisse, ut plurimo alimento indigerent, quod etiam commodißimè attraherent per uasa abūdanti calore dilatata, tum optimè conficeret, ob bonum habitum, & caloris redundantiam: sed ubi posteà à consuetis laboribus desijt, consuetum quidem alimentum ad brachia deriuasse, sed otio ac desidia effectum, ut sublata pristina difflatione & excrementorum expulsione, calor naturalis paulatim suffocaretur, temperatura brachiorum frigidior redderetur, excrementa colligerentur, meatus constiparentur: unde imbecillitate in ijsdem brachijs parata, præter quàm quòd proprium alimentum non rectè conficeretur, etiam aliunde defluuium pateretur, sicut perpetuò comparatum est, à fortioribus ad imbecilliora defluuium fieri. Ergò & totum corpus languidius, segnius, obæsius effectum, & brachia præ frigiditate acquisita, & humorum cruditate, in tremorem insignē incidisse cōstat. Curatio esset, ut q̄maximè corpus exerceret in aëre temperato, frictionibus longis & assiduis, & balneis uteretur, parcißimè uiueret, à uino quàm maximè posset, abstineret, sed decoctum Saluiæ, Cinnamomi, & Caryophyllorum, addito sacchare, potaret. A cibis craßis, frigidis, humidis, glutinosis prorsus abstineret, comessationes potationesq; tanquam pestem euitaret. Singulis septimanis pillulis uteretur in hunc modum confectis.

R. Agarici electi	ʒ vi.
Colocynthidis	ʒ ij.
Aloës hepaticæ	℥ i.
Caryophyllorum	

Nucis

Nucis muſcatæ ana ℥ i.
Salis gemmæ ℥ iij.

Cum oxymelle ſimpl. fiat Magdaleon, ex quo fiant pillulæ iij. ſingulis uicibus pondere ʒ i. ſumendæ in aurora. Poſt aliquot purgationes, brachia aßiduè lauĕtur oleo, quod ex Benzoino ab unguentarijs conficitur. Cinnamomo optimè condito cum ſaccharo, ante & poſt cibum aßiduè ueſcatur.

Conſult. LXXV. Pro quodã iuuene, qui poſt longam quartanam patiebatur magnam ſplenis duritiem.

R. Fol. Senæ, Epithymi,
Polypodij ana ℥ ij.
Myrobalanorum Chebulorum ʒ i.
Aloës optimæ ℥ iij.
Corticis rad. Capparum ℥ i. s.
Myrrhæ ℥ ij.
Croci ʒ i.

Pulverizentur omnia per ſe, deinde miſceantur, ac cum ſyrupo de Epithymo fiat Magdaleon, de quo fiant pillulæ: pro ſingula uice tres ſumat ʒ i. hoc ante cœnam ſemel in ſeptimana. Ordinata uictus ratione utatur, & ſi uult, poteſt inungere locum lienis oleo de Capparibus: ſunt enim obſtructiones, ut ex totius corporis colore apparet. Hic adueniente uere, quia his uſus non erat, & inordinatè uixerat, in febrem incidit. Montanus Caßiæ ʒ x. cum ʒ ij. ſpecierum Hieræ exhibuit: pro ſyrupis poſteà ſerum lactis caprinæ, cum ſuccis Fumiterræ, Boraginis, Cichorij ana ℥ i. Poſt ſecundum ſyrupũ ſan-

uinem misit: ultimò medicinam dedit ex confectione Hamech, & syrupo rosato solutiuo. Pro aperiendis dein de obstructionibus syrupum ex succo Chamædryos & Agrimoniæ, cum infusione corticis mediani Fraxini ℥ s. Ceterach ʒ vi. Infundantur in sero lactis, & modico aceti, bibat mane, ex sero lactis caprini ad cyathū unū. Chamædryn & Agrimoniam addidit, quia ex malo regimine in obstructionem alterius lateris inciderat.

Pro splene ordinauit hoc vnguentum.

R. Bdellij
Ammoniaci ana ʒ iiij.
Dissolue in aceto Scyllitico: deinde adde
Oleum Amygdalarum amararum
Axungiæ porcinæ ana ℥ i. s.
Agarici opt. pulverizati ʒ vi.
Corticum rad. Capparum ʒ v.
Corticum Ellebori nigri ʒ ij.
Cum modico ceræ fiat linimentum, pro splene. Si pinguia pauca sunt, duplicentur.

Consult. LXXVI. De Gallo quodam laborante quartana triplici.

NESCIO *adhuc quomodo laboret, quare faciam, ut docet Auicenna, subtiliabo regimen, donec morbus appareat. Primò rationem uictus præscribam. Sumpsit heri electuarij lenitiui ʒ xij. cum sacchoro in boli forma. In fine accessionum habuit magnam sitim: quare laudo talem potionem.*

R. Syrupi Acetosi multæ acetositatis ℥ iij.
Vini Granatorum ℥ i.

Aquæ

Aquæ Boraginis lib. i. Misce, & utatur pro siti, & bibat cyathum unum in fine paroxysmi, dum sitit. Pro syrupo, quia obstructiones habet, ut ferè semper uidebitis in febricitantibus, cùm occurretis post uigesimum diem ægritudinis, hypochondria tangentes, percipietis tensionẽ semper habere obstructiones, quæ aperiendæ sunt, aliàs nunquã curabitis febrem. Sed noluit in principio progredi cũ amaris, et per se aperientibus.

R. Oxymellis simp. ℥ i.
Mellis rosati ℥ s.

Aquæ Cichorij ℥ iij. Misce, & detur mane pro syrupo. Iste Gallus habet quartanam quotidianam, quod sæpe contingit. Exemplum habetis apud Galenum de Eudemo, primo Prognost. etiam de differ. feb. Sed circa febres putridas multa essent dicenda, quæ oportet supponere: nihil enim dicam ex obseruationibus, sed principijs, sicut fieri debet: quod cùm hìc non possumus, ubi supponendo sine arte loquimur, in solis fundamentis docendum. Quatuor sunt humores qui putrescunt: bilis putrefacta tertianas facit, pituita amphimerina. Sed an sanguis putrescat, et quomodo ex eo fiat febris, dicamus in scholis. Nunc tres humores sumamus. Melancholicus humor putrefactus, facit quartanam. Cùm talibus occurritis, quomodo debetis agnoscere? Non sunt expectandi dies paroxysmorum: hoc ridet Galenus 2. de Crisibus: possunt enim decipi, cùm uariant pro ratione adustionis humorum. Si ex paroxysmis hanc uultis iudicare, erit quotidiana. Optimum igitur erit febres cognoscere à proprijs signis, differentijs, & accidentibus: quorum signa trademus. Humor melancholicus est

crassus, fæculentus, frigidus, mordax sua aciditate, & potiùs astringens, exasperat ac si mespilum comedere= tis, sicut acida, austera, acerba, quæ Arabes pontica di= cunt: ergo à natura rei, cùm humor ille ab interioribus ad exteriora mouetur, facit frigus magnum, quia hu= mor in se frigidus tangit musculos: & est humor naturæ inimicus, calori oppositus, ideò natura prosternitur, & fit maxima contractio caloris, etiam frigus magnũ, quod est signum quartanæ. Differt enim à frigore bilis: nam ipsa quoq; frigus facit, & motum concußionis: sed quar tanæ frigus maius est, ac si quis aëri ualde frigido occur rat: dicunt se tantùm frigus sentire, ac si quis nudus uer setur in niue: frigus uerò à bile est ac si acu mordicare= tur. Quotidianæ etiam frigus ab alijs facile distingui= tur: est enim rigor eius tanquam cum sono, & hoc est primum signum pathognomonicum, cum quibus discer= nuntur febrium pulsus. Deinde ob humorem frigidum non ita inæqualis est sicut quotidiana, magis tamẽ quàm tertiana: & ratio est, quandoquidem qui quotidianam patitur, habet singulis diebus paroxysmum: & quia pi= tuita multa est, quæ multitudine sua extinguit calorem, supra modum aggrauat naturam, & fit pulsus inæqua= lis, sicut de baculo exemplum dat Galenus. In quarta= na licet melancholia sit pauca quantitate, nec tàm abun= det in corpore, quàm pituita in quotidiana, parum ag= grauatur grauitate propria, & ita ratione ponderis fit pulsus inæqualis. In tertiana magis augetur neceßitas euentandi, id est, maior est pulsus, & uelocior quàm in quartana aut quotidiana: & quia humor leuis est ual= de, non ita aggrauatur natura, & ideò pulsus non est ita inæqualis.

inæqualis. Habet igitur pulſus in quartana ſe medio-criter inter tertianam & quotidianam, inæqualitate & uelocitate, & magnitudine. Eſt prætereà rarior, ob materiam ſcilicet humoris terreſtris, & propter duritiem ſeu ſiccitatem inſtrumenti, quæ etiam ad paruitatẽ facit. Eſt & aliud ſignum decernendi, ipſa quinta acceſsio febris, principium paroxyſmi & augmentum longiora quàm in reliquis, quia eſt tardæ putrefactionis, nec habet ſtatum nec declinationem, ut quotidiana. Patitur igitur quartanam, ergò ex humore melancholico putreſcente. Sed hic noſter ægrotus quotidie patitur, quia natura aggrauatur multa materia, rarò ſiquidem ſola & ſimplex contingit. Sæpe uidebitis quotidianam uel quartanam puram, quia ſemper aliquid pituitoſæ admiſcetur melancholiæ. Frequentiùs uerò exquiſitas tertianas uidere contingit: hæc aliquando minorem frigiditatem, & propter pituitam admixtã quandoq; maiorem habet: & uidetur unus dies quaſi quartanæ deditus eſſe, reliquis duabus mouentur alij dies. Habet autem febrem propter obſtructionem uiſcerum: non habet quidem duritiem tympaniticam, ſed tenſionem, quia febrem habet, quæ calorem naturalem mutauit in igneum, ideò facit coctiones deteriores. Sunt ergò alendi cum uictu tenui, quia dum manet febris, manent cruditates, & ſic fiunt tenſiones. Oportet autem has obſtructiones etiam curare, quia habent cauſam ſine qua non poteſt curari febris. Item dedi Syrupos aperientes, & iam apparet coctio aliqua ex parte, quæ quamuis ſit laudabilis, nondum tamen eſt ſtatus, donec exactiſsimè ſigna appareant. Cura eſt materialis: ergo ſtante actione,

urina euacuare oportet, cùm appareant ibi signa coctionis. Humor melancholicus est: quod erit igitur instrumentum? Mihi semper familiare, quo utor, est confectio Hamech aurea, quam conficit Mesue magna arte: ideò extollo Arabes, quia habebant methodum de compositione medicamentorũ. Sed nescio quî fit, alij à Græcis ad Arabes, alij ab Arabibus ad Græcos confugiunt, qui hûc atque illûc uagantur, quod fit, quia feruntur sine ratione. Qui ratione procedunt, hæc non faciunt, quia utriq; errare potuêrunt, & Arabes & Græci: aliquando boni sunt, aliquando mali: id quia non discernimus, & nos erramus, & alios errare facimus: ita oportet unum onera portare alterius. Sed ad ægrum nostrum. Constant uires in hoc, & est iuuenis, & locus temperatus, ideò totam dosim dabimus. Integra autem dosis pro uiribus est ʒ iiij. Et hic habet obstructiones, in quibus difficiliùs educuntur humores, & tensa hypochondria: sed non nimium obstructi sunt meatus, ita ut materia educi non poßit, alioqui non darem.

℞. Confectionis Hamech ʒ iiij.
Trochiscorum Alahandal gra. v.

Misce, fiat bolus cum saccharo. Habet quartanam principaliter, quia habet acceßiones de quarto in quartum uehementes, posteà alios quatuor dies mitiores. Hodie magnum habuit paroxysmum, sudauit & est refrigeratus, & sudor etiam linteamina fecit frigida, unde augetur putredo. Oportet ergò adhuc aperire obstructiones, & concoquere materiam. Quomodo concoquenda materia melancholica? an cum incidentibus? Auicenna acetum proponit, sed non soluit: at humor melancholicus

licus maiori indiget præparatione. Quomodo concoquuntur humores? Humores ſemper concoquuntur calore moderato. Reducendus ergò calor ad temperaturam: ſi acutus eſt, faciatis benigniorem: ſi acris, retundetis eum cum frigidis: ſi obtuſus, et minorem habet calorem, reducatis eum ad temperiem: nam omnis coctio fit à calore temperato. Finis coctionis eſt ſeparare bonum à malo, utile apponere membris, inutile excernere: ea ſunt propria opera naturæ, quæ per calorem temperatũ ſemper tentat coctiones in humoribus: quia omnes humores habent aliquid boni, quod ſeparat, ingratum uerò expellit. Quomodo præparantur humores? Hîc alijs inſtrumentis opus eſt: non enim hîc eſt coctio, ſed quædam ad coctionem præparatio. Cùm craſſus eſt humor, incidimus: ſi uiſcoſus, abſtergimus: cùm qualitas aliqua peccat, præparamus cum contrarijs. Nos ergò materiam imitabimur. Volumus præparare humores, & concoquere? duo ergò facienda, quæ iubet fieri ubi peccant humores, Galenus lib.4. de tuenda ſanit. & primo Therapeut. Primò admouet quæ iuuant coctionem fouet uentriculum & hypochondria, dat diatrionpipereon, poſteà præparat humores, & uias aperit. Ita hîc quoq; humor melancholicus peccans, frigidus eſt, craſſusq;. Primò ergò cum linimentis uentriculus & hypochondria fouenda, ubi fiunt principales coctiones: & præcipuè lateris ſiniſtri rationem habeatis, ubi ſplen concoquit: ex hoc habebitis coctionem humorum. Ego in febribus putridis poſt purgationẽ utor oleo Chamæmelino uel Anethino, cum uino aromatico, qua unctione pori aperiuntur, & adiuuantur coctiones. In principio

uerò quietos humores relinquo, donec euacuentur, postèà phlebotomiam facio. Si non bonum eſt fouere uentriculum uel hypochondria, ut circa partes principales bonæ fiant coctiones, euacuamus humores: fiant ergò frictiones, cum ligamento, ut pori aperiantur (eſt enim conſtipatio hîc) & ut crudi humores cõcoquantur. Poſt coctionem curemus præparationem. Quia ſunt craßi, debent ergò fundi. Si eſſet pituita, facilis ratio foret, quia humida eſt: humor melancholicus craſſus eſt & ſiccus, & ea quæ incidunt, exiccant etiam: oportet ergò quærere madens, quod unà humectet. Quare nunquam præparabitis humorem melancholicum cum ſimpliciter incidentibus, niſi alternatim exhibeatis, ut per tres dies humectetis, per duos exiccetis. Poteſtis igitur uti ſequenti. ℞. Liquiritiam, Paſſulas, ſem. Altheæ & Chamæmillæ, poma dulcia: decoquantur in brodio pulli, eſt delectabile, & humectat. Vel Rapas dulces decoquo ad ultimum, poſteà decolari facio, & ſubſtantia Raparum abiecta, in prandio & cœna exhibeo loco ferculi. Sic poteſt humectari humor melancholicus. Quinto die poſtquam ita humectaſtis, poteſtis exhibere, uel miſcere etiam humectantibus.

℞. *Syrupi de pomis*	℥	*i.*
Oxymellis ſimp.		
Mellis roſati ana	℥	*s.*
Decoctionis infraſcriptæ	℥	*iiij.*
Liquiritiæ raſæ	℥	*i.*
Polypodij	℥	*s.*
Paſſularum	℥	*ij.*
Boraginis	*m.*	*i.*

Deco=

Decoquantur in lib. iij. aquæ cisternæ ad consumptionem tertiæ partis, & diuidatur ipsa decoctio pro 6. syrupis. Pro linimentis.

℞. Olei Anethini
Chamæmelini ana ℥ ij.

Misce, & fricetur leniter totum corpus, & illinatur mane & sero per horam ante cibum.

℞. Olei de Absinthio ℥ ij.
Chamæmelini ℥ i.
Ceræ ℥ i.

Misce, fiat linimentum pro toto stomacho, uentre & hypochondrijs, applicandum in fine paroxysmi.

Consult. LXXVII. De febri continua, cum catarrho, & leui quodam sputo sanguinis, ac suspicione hecticæ.

HABEMVS *hic nobilißimam matronam, quæ uexatur plurimis dispositionibus præter naturam, quæ omnes quidem uerendæ sunt. Repetam breuiter causas, & ex earum dispositione curam inueniemus. Vexatur primùm febri, quæ uidetur continua: præterea descendit catarrhus ad pectus, & ad quædam membra alia, ad scapulas, ad oculos, in quibus dolorem sentit, præcipue tamen ad pectus fluit. Hic catarrhus præterquàm quòd habet guttulas sanguinis interdum, apparet etiam cum putredine non uulgari, quod est notandum: præterea habet obstructionem in membris naturalibus, præsertim in lienis regione, ut & tactu percipiatur, sicut ipsa dicit, nos autem eam nondum attigimus. Habet & obstructiones circa cotylidonas & uenas uteri, & menstruorum*

rum non quidem omnimodam suppreßionem, aliquam tamen diminutionem patitur. Hæ dispositiones omnes magnæ sunt, ergò & causas habent magnas: non enim sunt affectus magni, nisi à causis magnis: & quia causæ deducunt nos ad rationem curandi, illæ primùm sunt inquirendæ: & quia causæ partim sunt extrinsecæ, partim intrinsecæ, utræq; quærendæ: omnes enim concurrunt in hac nobilißima matrona. Intrinsecæ causæ dispositiuæ sunt, quæ corpus ad tales ægritudines aptum & dispositum faciunt. Neq; enim quodlibet patitur à quolibet, ut in 1. & 2. dicit de generat. Aristot. sed in habentibus symbolum facilis fit transitus. Videndum igitur an corpus præparatum sit ad has dispositiones, an uerò non: hoc autem sciemus ex temperatura naturali, & constructione totius corporis. Totum igitur corpus primò raræ texturæ, & rari habitus est, caro mollis, & quæ facile cedit tactui, & semper macilenta fuit & gracilis: fuit ergò corpus maioris habitus. Præterea audio fuisse summi ingenij, quod arguit subtilitatem sanguinis & spirituum, ut Galenus in lib. Quòd animi mores &c. ex Arist. cõfirmat. Ideò & Aristoteles, molles carne, aptos mente dixit. Quia igitur est talis habitus qui facile resoluitur, & patitur à quibuscunq; causis extrinsecis, habuit causas extrinsecas dispositiuas ad hoc, ut facile incideret in uarias dispositiones præter naturam. Præterea temperatura, licet reuera eam non poßumus dicere talem uel talem, propter diuersitatem membrorum, quæ facit, ut totum corpus non poßit dici simpliciter calidũ & siccum, hepar tamen calidum & siccum habet, sed ea cruditas non ita insignis est, ut sanguinem gigneret.

crassiorẽ,

craßiorem, constante præsertim sanitate: quia promptitudo ingenij & morum, non patitur illam craßitudinem sanguinis, quæ fit à caliditate ignea, ut fit in leonibus & canibus (reperiuntur enim omnia genera animalium etiam inter homines) non conuenit istis moribus mitioribus, qui sequuntur temperaturam, ut Physicus & Medicus probat. Credo igitur esse quidem calidum & siccum cor: calidum, sed non uehementer, unde generat sanguinem calidiorem quidem, sed subtilem, non crassum: ideò facile alteratur, sicut omnes substantiæ tenuiores paratæ sunt ad mutationes. Audio enim magnanimam & constantem, sed eadem ratione ut in hepate diximus: non excedit ualde, quia facile placatur. Hæc duo membra totum quidẽ corpus calidius reddunt, sed propterea non potest dici calidæ & siccæ temperaturæ, quia membra hæc inæqualia. Cerebrum semper paratum fuit ad defluxiones: semper solita est pati defluxum ad partes intrinsecas. An modò id sit ratione frigiditatis in capite non concoquentis alimentum proprium, an uerò ratione caliditatis attrahentis plurimam materiam, ignoro: non enim noui eam hactenus, sed nunc primum uidi: sed quæcunq; causa sit, certum est eam abundasse excrementis in capite, & laborasse catarrho. Ventriculus naturaliter frigidus, multiplicat humores crudos, quia ferè omnes qui sunt calidioris naturæ, qui raræ texturæ, habent uentriculum frigidum: sunt enim graciles, & non habent omentum infarctum pinguedine solita, quæ secundum Aristotelem facit caliditatem positiuè, secundum uerò Medicos primitiuè, quia non permittit difflari caliditatem

tem

tem innatam uentriculi, & tutatur eam à frigore, & reliquis nocumentis extrinsecis. Hæc nobilißima Domina priuata est utraque utilitate, imò habet uentriculum imbecilliorem, unde plurima pituita & cruditates generantur. & excrementa in mulieribus ad uterum deueniunt, qui receptaculum est omnium excrementorum: qui cùm sit membranosus, & per se frigidus, sanguis tenuior non potuit eum calefacere, ut concoqueret ea, sed aucta frigiditas ab excrementis extinguentibus calorem naturalem. Habetis modò causas extrinsecas dispositiuas, totum uerò corpus facile alterabile ab extrinsecis, quia rarus habitus, & sanguis subtilis & inæqualis membrorum, hepatis, uentriculi, & caput perpetuò depilans. Si modò uult, addam etiam ex parentibus, qui laborarunt catarrho, & phthisici mortui sunt. Videbitis hos morbos ortos esse à semine, & hæreditarios à natiuitate. Corpus igitur tale ita præparatum, incidit in causas extrinsecas sex, qui alterant corpus, ut aër, cibus, potus, & reliquæ: omnes enim exceßêrunt. Aër diuersus & peßimus nunc: fuit in festis Clodianis in aëre craßißimo & peßimo, ubi etiam circa cibum & potum commisit errores. Vescebatur piscibus palustribus, qui peßimi in quocunque, præcipuè tamen in tali corpore, quod facile alteratur. Vsa est pastilibus & leguminibus, & cibo sine electione, crasso, qui his corporibus maximè nocet, imò facile incidit in sæuas dispositiones. Ac cùm ita peccasset in cibo, potu & aëre, acceßêrunt etiam accidentia sæua, dolores scilicet, quos habuit ex morbo filiæ.

filiæ. Hæc omnia maximè prosternunt hominem, & exterminant ab ea essentia, in qua est maximè. Si quando spiritus etiam sunt tenuiores, qui facile resoluuntur, hæc accidentia faciliùs & plus lædunt, & quò plus ea dißimulauit, & exterius dolorem monstrare noluit, eò magis interiùs afflicta est. Hinc sunt deterrimæ dispositiones, cumq; tot morbis conflictata fuit, quibus forte corpus etiam non ita debile superari poterat. Item multiplicati humores in corpore, ex mala ratione uictus, aëre craßiore, impediente difflationem corporis, & corpus refertum est humoribus ob causas intrinsecas & extrinsecas. Crudi sunt, ob uentriculum malè concoquentem cibos crassos. Adusti uerò sunt ob accidentia animi, quia cibaria, quæ generant humorem melancholicum, corrumpunt: & retentio menstruorum non omnimoda suppressa, sed diminuta excretio, facit multiplicari humores diuersorũ generum in corpore. Ex his igitur habemus causas intrinsecas efficientes, & dispositiuas etiam, unà cum extrinsecis occurrentibus. His præsuppositis, contingit primùm catarrhus molestißimus: neque id mirum: quia generatæ sunt multæ superfluitates, pituitosæ primò, deinde biliosæ, hepar calidum, sanguis subtilis, corpus uaporabile. Galenus libro tertio de locis affectis: Qui sanguinem subtilem & hepar calidum habent, repletionibus capitis subiecti sunt. Et hîc ex uentriculo quoque uapores crudi ascendunt: hinc catarrhus, qui non simplex est, sed fit ex materia plurimorum humorum, qui nec frigidi absolutè sunt, nec calidi, quia mixti ex cruda biliosa & etiam adusta materia: & descendit à capite,

quod

quod etiam ex se subiectum est destillationi: & quia propter multitudinem descendit ad uarias partes, uarios etiam affectus mouet: sed maxima pars ad pectus & pulmones descendit, quæ excernitur per tußim. Est autem materia quæ eijcitur, quoad substantiam crassa & uiscosa, partim non putrefacta & alba, partim uerò flaua, non qualis esse solet ex admixtionibus, sed qualis est cùm materia existit putrida. Non autem habet saporem aliquẽ, quia pituita superat. Si uel biliosa superaret, uel æqualiter mixta esset, appareret amaritudo, uel salsedo (si credimus Auicennæ, qui ex mixtione bilis cum pituita, salsedinem oriri dicit, quod nunc non determino.) Superat igitur pituita, quia nullus sapor: sed quia talis catarrhus putrescit in pulmonibus, & interdum admixtum habet aliquid sanguinis, dubitatur, & meritò quidem, excernatúrne ille sanguis ex uena rupta uel erosa, an resudet per pannniculos, uel ex capite defluat per nares, uel quoquo modo. Solet & aliud contingere: quia cùm per tußim continuò uiolenter erumpat & reijciatur materia, & orificia uenarum illarum capillarium facile aperiuntur, ex quibus prodeat sanguis, non cum magno periculo, quia tenues sunt uenæ, facile aperiuntur & clauduntur, imò cessat statim post paucas guttulas. Ego hic crediderim non ex capite: quia sanguis niger est & crassus, non admixtus sputo, sed separatus. Vt sit suspicio quòd ueniat à capite, heri tamen ramulos paruos & uiuacioris coloris sputo permixtos uidimus, & posset uenire ex illis uenis capillaribus abrasis ex uiolentia motus. Vel hoc erit uel illud, in alterum incidit suspicio. Venam ruptam, uel factam corrosionem non credo, nec re-

resudari (quanquam hoc facilius fieri poßit, propter pā niculorum raritatem) nam illa fieri solent in maiori quā titate: non tamen contendo, cùm nihil habeamus nisi cō= iecturas: potest esse ex tribus his: unum quodq; iam nō determino, & hactenus nihil refero, sed in futuro refer ri potest, quia sanguis per os reiectus est malus, unde= cunque ueniat. Hæc de catarrho, unde generetur, & u= bi, & per essentiam modò in capite facile intelligitur, quia semper fuit subiectum destillationibus, sed fouetur etiam ab alijs membris inferioribus. Nunc ad obstructio nes quæ sunt in liene & matrice, & ut ego credo, in he pate. Hæ fiunt immediatè ab humoribus multiplicatis in corpore, propter rationem uictus, craßis & biliosis, & ita miscella est: prædominante tamen pituita, quæ ue nas obstruit, sed magis circa lienem, quia attrahit cras= siores humores, & non est tàm nobilis, ut sic poßit resi= stere sua caliditate obstructionibus, sicut hepar. Sunt & obstructiones circa uterum & cotylidones: sanguis e= nim menstruus excernitur quidem, sed in parua quanti= tate: non est perfecta obstructio, sed ex insigni parte ef= fluunt menstrua, sed non ut solebant. Credo igitur obstru ctiones etiam circa uterum, & in Mesaraicis ad iecur, sed maiores circa lienē, & per uenas in toto corpore, hu mores craßos & mixtos sanguini, ut non poßit euenta= ri calor, quia urinæ sunt craßiores, quæ sunt colamen= tum sanguinis, & attestantur super dispositionibus quæ sunt in uenis: urinæ crassescunt, rubræ, plenæ omni ge= nere humorum: ergò & uenæ repletæ, & excrementa eodem modò repleta uarijs humoribus sunt: citrina er= gò bile redundat: & craßißima sunt, ergò pituita: &

ita

ìta totum corpus repletum est materia diuersa. Non igitur mirum est adesse febrem illam uniuersalem, cùm tot sint causæ, quarum singulæ solæ possent facere febrem: & est principio febris putrida, propter prohibitã euentationem: & cùm sint in corpore iuuene, natura fortis expulit materiam ad exteriora. adeò frigus insigne sentit cum intensione, ut indigeat plurimis operimentis: & heri præcipuè sensit. Quæ eius rei causa sit, petetis ex Galeno de rigore, & 3. de causis symptomatum: nunc non est tempus illa dicere. Incipit igitur à frigore, & quidem extensiuo, quia mittitur foras à uirtute. Materia enim crassa est, non facile putrescens, & ideò calor non statim sequitur. Quòd autem perdurat, ita ut unus paroxysmus inueniat alium, fit quia materia multa non potest ita resolui statim. Nec propterea continua est, quia cum rigore: quia proprium continuæ? Mitterem igitur sanguinem, sed non à saphæna, quia cum rigore fit. Et putrescit extra uenas, quod ex eodem patet, quia incipit cum rigore. Habetis naturam & locum febris huius putridæ, an modò cum hac putrida sit etiam alia occulta in membris solidis fixa, ut hectica? Vt ingenuè fatear, non possum certum aliquid asserere: bis enim uidi eam, inueni pulsum inæqualem, qualis est febris hectica. Sed si per coniecturas est agendum, corpus gracile est, & aptißimum ut inflammentur membra solida: habuit febres præcedentes putridas tàm longo tempore: deinde hic morbus hæreditarius ei uidetur à parentibus: calefit item magis post prandium, quod est signum quidem perpetuæ hecticæ: sed non sibi conuenit, alioqui concluderet necessariò. Nunc non possumus certificari,

sed

ſed ſuſpicionem facit, quia à cibo incaleſcit. Eſt & alia coniectura: non ſentit calorem, quod ſignum eſt febrem iam eſſe in habitu: ſed id etiam ſignum non eſt pathognomonicum ſolum, quia in alijs etiam morbis eſt cõmune, ut in febribus laticis, ut uocat Auic. Etiam non percipitur caliditas, & ideò hecticis maximè ſimiles ſunt, & laticæ uocantur: has ob cauſas non poſſum certò concludere, adeſſe hecticam, licet magna ſit coniectura. Sed quidquid ſit, agamus omnia ſic, ut non lædatur hectica: ſi quæ eſt ad reliquas diſpoſitiones, puto nullam præteritam. Diximus de omnibus, præter quam de uentriculo, qui imbecillis naturaliter; ſed ea imbecillitas aucta magis, quia in longis ægritudinibus ſemper redditur imbecillior, præſertim ubi pituita dominatur, ut Auerrois teſtatur. Nihil tàm efficax ad debilitandum uentriculum, quàm febres quæ à pituita pendent, & habet æquales paroxyſmos, non ſibi inuicem de tertio in tertium correſpondentes, ſed magis accedit ad quotidianas amphimerinas, quod ſignũ eſt magnã copiam pituitæ putreſcere, licet bilis etiã in maxima quantitate accedat.

De prognostico. Ex quo patitur has ægritudines propter diſpoſitiones in membris principalibus, non tantùm ob multitudinem materiæ, ſed etiam diſpoſitiones membrorum, difficilis erit curatio, maximè cùm tranſire uideatur ad id ad quod naturaliter eſt diſpoſita iure hæreditario: habet ſputa putrefacta, cum ſuſpicione hecticæ: & conſtitutio anni, quæ morbos indicat, ut ex Hippocrate iam audiuiſtis, indicat morbum longum. omnibus igitur modis ægritudo longa eſt futura.

Cvratio. Habemus membra naturalia affecta, quæ

Q fuerunt

fuērunt causæ dispositiuæ ægritudinis, sed in has non incidit nisi propter causas alterantes, igitur res tota redigitur eò, quòd humores in magna copia generati in corpore sint causæ dispositionum. Primùm igitur corpus mundandum ab omnibus excrementis, non enim potest aliter agi. Iam corpus redundat omni genere excrementorum, & à natura etiam euacuatur per omnes uias, quia undiq; multa euacuantur: sed quia omnes euacuationes particulares præcedere debet uniuersalis, ideò ab ea incipiendum erit nobis, quæ sit uel per pharmacum, uel per mißionem sanguinis. Mißione sanguinis si remoueantur impedimenta, nihil magis necessarium. Si urinæ crassæ, phlebotometur, dicit Auicenna. Hìc urinæ crassæ & rubræ, et humores plurimi permixti sunt, ideò credere oportet necessariam esse mißionem sanguinis. Et reuera, etsi habemus suspicionem hecticæ, tamen hæc ægritudo certa est, cuius euacuatio non dimitti debet propter dispositionẽ incertam. Et quid esset incõmodi, stante etiam hectica, si euacuaremus sanguinem malum, et refrænaremus calorem facientem hecticam, quia non credo quòd propterea fluant menses per uterum. Omnes uenæ obstructæ sunt, & repletæ, ideò non flueret, si aperiretur saphæna, hancq; ob causam abstinerem: oportet enim prius uias aperire, ante quàm fiat diuersio. Ego attenderem ad causam causarum, & mitterem à basilica, ut proximè ab hepate euacuarem, & si sanguis crassus, quòd multa euacuatione opus esse ostenderet, neq; una uice possem tantũ extrahere quantum uellem, & uirtutis ratione etiam liceret, iterarem uices, quia utilißimum est, et maximè laudatur à Galeno

& Auic.

& Auicenna: ideò repeterem eam, et credo quantò citiùs, tantò meliùs. Dicebat Fracanzianus, missam uenam ante duos menses, & obijciebat suspicionem hecticæ. Montanus uoluit replicari, quia etiam putrida habet rationem causæ, ea remouenda, & posteà faciliùs hectica iudicabitur, quia non est eo gradu, de quo sit curandum. Est in principio, nõ accesit adhuc ad ipsum gluten membrorum: lenirem igitur aluum, & mitterem sanguinem, posteà per medicamenta euacuarẽ, et procederem sicut solet procedi à morbis pendentibus à materia crassa, uiscosa & frigida: & quia curatur in hyeme, non possumus cum fortioribus, quia humor crassus est, & sumus in hyeme, ideò paulatim concoquerem, & euacuarem, & iterarem: darem syrupos, posteà florem Caßiæ, & euacuarem bilem. Ab usu horum nõ discederem, sed frequentißimè iterarem. Licet enim dicantur non transire uenas Mesaraicas, nisi dentur in magna quãtitate, id est, intensiuè & extensiuè, tamen per crebriorem iterationem etiam medicinæ benedictæ euacuant omnes humores contentos in toto corpore. His euacuationib. iteratis, euacuabimus materiam, roborabimus uentriculum, aperiemus obstructiones, & cousulemus uentriculo, cui confert usus Hieræ, teste Galeno: prouocabimus urinam etiam, quod euacuabit humores contentos in uenis. Ideò singulis septimanis exhiberem Hieram cum Caßia. Diebus intermedijs quibus non uteretur Caßia, sumeret syrupum ita confectum.

℞. Syrupi de Rhabarbaro
De Betonica ana ℥ i. s.
Decocti capillorum Veneris

Ceterach ana ℥ iiij.

Misce, confert ad obstructiones lienis, pectoris & hepatis: & ita hos syrupos haberem, quòd respicerent omnia membra affecta, & acciperem capill. Veneris & Ceterach in magna quãtitate ad decoctum. Circa caput proposita sunt electuaria, quæ laudantur à modernis: sed dicam id quod sentio. Ego maximè abhorreo ab eis, ubi imbecillitas uentriculi suspecta. Vidi homines sæpe, dum illis uolumus catarrhum curare, ex frequenti & nimio usu electuariorum incidere in hydropem: dum enim illa frequenter sumunt, die nocteq; impeditur coctio, ut nunquam rectè fiat: augetur catarrhus, quia propter inconcoctiones multiplicatur materia, nec ipsorum electuariorum uis ad pulmonem, sed ad stomachum peruenit. Vellem igitur horum loco semper teneat aliquid sub lingua in ore, cuius uis dum attrahitur aër, etiam paulatim attrahitur, & descendit sensim per asperam arteriam: & licet parum descendat una uice, tamen si fiat continuè per 24. horas facit magnum effectum. Ad hoc bonum esset saccharum rosatum, uiolaceum, & si quid hoc modo per œsophagum descenderet, quia licet tardiùs id fieret, per poros tamen aliqua eius portio transiret ad arteriam. Quod ad curas particulares attinet, quæ post uniuersalem euacuationem ad roborandum caput & uentriculum, itemq; ad leniendum pectus faciendæ sunt, si uellem propinare nunc, uideretur ineptum. Quæ sunt proposita circa pectus leniendum, laudo, quia fit maior præparatio musculorum, qui mouentur continuè. Ideò oleum Amygdalarum dulcium, Chamæmeli, Violarum laudo, sed ita componantur, ne superent frigida,

gida, sed sint moderata omnia. Inungatur uentriculus oleo Mastychino, item oleo de Capparibus, & similibus. De uino dicerem necessarium esse, ut demus in ægritudine longa, & uentriculo imbecillo: sit autem album, pauciferum, non flatuosum, etiam cum aqua factum. Montanum etiam laudo uinum cum aqua mistum: quia uina, quæ in planis crescunt, sunt crassa, flatuosa, & maligniora. Notandũ, oua in febribus continuis nunquã danda: imò in tertiana: ea tamen die exhibet Gal. qua sine paroxysmo est: ratio est, quia facile alterantur, & ideò facile putrescunt, adeò etiam, ut in sano corpore, si uentriculus sit paulò calidior, statim uertãtur in bilem.

Consult. LXXVIII. Pomum odoriferum, ordinatum Vuolfgango à Vuerter.

℞. Nucis muscatæ electæ	
Caryophyllorum ana	℈ ij.
Cinnamomi	℈ i.
Macis	ʒ s.
Ambræ	
Musci ana	℈ i.

Pulverizentur omnia per se, deinde misceantur cum aqua rosata, in qua dissolutum sit gummi Tragacanthi, & fiat pasta.

Consult. LXXIX. In morbo Gallico euacuatiuum.

℞. Aloës optimæ	ʒ vi.
Agarici electi	
Rhabarbari electi ana	ʒ i. s.

Cort. rad. Ellebori nigri ʒ i.
Trochiscorum Alabandal ℈ ij.
Myrobalanorum Indorum ʒ i. s.
Epithymi Cretensis ʒ vi.
Succi Glycyrrhizæ ʒ ij.
Sem. Citri ℈ ij.
Musci gr. iij.
Caryophyllorum ℈ ij.

Pulverizentur omnia per se, deinde misceantur cum syrupo de Corticibus Citri, fiat Magdaleon, de quo formentur drachmæ unius pillulæ iij.

Consult. LXXX. Pulueres pro catarrhosis à cœna, post quorum vsum non bibendum amplius.

℞. Cinnamomi electißimi ℥ s.
Fragmentorum lapid. pretiosorum ana ℈ s.
Oßis de corde cerui ℈ i.
Sem. Melissæ ʒ s.
Sacchari ʒ s. Fiat puluis. Vel.

℞. Cinnamomi electi ʒ s.
Coriandri præparati ʒ i. s.
Sem. Melissæ ʒ s.
Rasuræ cornu cerui usti
Corallorum rubeorum ana ℈ i.
Sacchari ʒ vi. Fiat puluis. Vel.

℞. Cinnamomi electißimi ℥ s.
Sem. Melissæ ʒ i.
Coriandri præparati ʒ i. s.
Pellicularum uentriculorum galli ʒ i.
Sacchari ℥ i. Fiat puluis.

Consult. LXXXI. Pro dysenterico.

GALENVS auctor est nono Meth. cap. 14. medicatorias indicationes peti à morbo, à corporis temperamento, & aëre ambiente. Hæc itaq; in medicatione instituenda, primùm diligenter consideranda & perpendenda sunt. Nos à temperatura initium sumemus. Eam uerò calidam esse, & ea quæ essentiam consequuntur probant, & symptomata. Color citrinus, significat cholericam dispositionem: accedit iuuentus, quæ est sicca: consuetudo uerò repugnat, nam pro arbitratu suo uixit, & obuia quæq; ingeßit. Aër ambiens & hyemalis, frigidus & siccus. Ab horum consideratione, quæ partim naturalia sunt, partim non naturalia, ad ea accedimus quæ sunt præter naturam. A symptomatis uerò incipiendum est, quia hæc notiora sunt nobis, ut effectus morborum, qui nos in morbi cognitionem deducunt: cognoscitur enim ab exeunte mutato, ut hìc sunt egestiones inconsuetæ ipsius sanguinis, cui bilis est admixta: & operatio est læsa, quia in hoc est læsio sensitiuæ, id est dolor, auctor Gal. lib. 1. de sympt. cap. 6. Locus doloris est uenter ipse: species doloris est pungitiua, quæ humorem peccantem arguit, & inde est quòd tenasmus accedit. adsunt & uigiliæ, & sitis, quorum causa est febris. Pendet autem à morbo læsa sensitiua, id est, dolores, per unitatis solutionem, per humores ab hepate, ab intestinis, quæ soluuntur & abraduntur. Causa bilis supercalefactio hepatis, & diæta non bona.

Consult. LXXXII. Pro monacho cholico.

INCIDERAT *monachus in febrem: Medicus qui tum accersitus erat, ante coctionem mouerat materiã, & hæc, quia nõ erat satis euacuata, in intestinis coaceruata, dolores cholicos excitauit. ante uerò quàm quidquam fieret, censuit Frizimelica clysterib. subducendã aluum, & cõmunib. ad eam rem utebatur, cupiens post euacuationem incidere uenam, ut hoc pacto febri quoq; mederetur faciliùs. Pulsus erat magnus & tardus, ob uirtutem oppressam à multitudine materiæ: quare illi hoc iubebat parari clystere.*

R. Olei Chamæmelini
Amygdalarum dulcium ana ℥ ij. s.
Caßiæ nouiter extractæ ℥ i. s.
Hieræ picræ ʒ iij.
Mellis rosati ℥ ij. Misce, fiat clyster.

Clystere supra modum duras squibalas eduxerat, & copiosè: sed quoniam pulsus ualde inordinatus erat, & rubra urina & crassa, ut quæ materiæ multitudinem in uenis quoq; contineri significaret, iußit denuò idem clystere administrari, in cibis seu iusculis decoqui radicem Cichorij, propter attenuationem & incisionẽ materiæ grossæ. Eademq́; intentione exhibendum censuit syrupum Cichorij & Betonicæ ana ℥ i. unà cum decocto.

Consult. LXXXIII. Erisypelas phlegmonodes.

ANCILLAE *cuidam crus circa genu ultro citroq́; intumescebat, cum dolore intensißimo, & non tàm rubore*

bore perſpicuo, quàm flauitie conſpiciebatur: tactui renitebat. Quia uerò eriſypelas ex bile eſt, principio non uenæ ſectionem, ſed purgationem admittit, ut auctor eſt Galenus 13. Meth. Potuiſſet tamen & ſanguis detrahi, quia phlegmone huic adiuncta eſt: tamen in hoc uti maluit purgatione Montanus, & ordinauit.

R. Diacatholiconis ʒ vi.
Electuarij de ſucco roſ. ʒ ij.

Cum ſaccharo fiat bolus. His copioſè admodũ purgarat totum corpus, poſt præcepit inflãmationi ſuccum Semperuiui apponi, cuius propriũ eſt repellere et digerere.

Conſult. LXXXIIII. Cœliaca anus.

HANC anum non lienteria, ſed cœliaca laborare, uel illud erat argumento, quòd inſtar pultis excerneret: & quia utriuſq; eadem eſt cura, primò Montanus ordinabat fomentum, quo abdomen foueret ſpongia illo imbuta.

R. Cort. Granatorum
Balauſtiarum
Gallarum ana m. i.
Roſarum
Abſinthij
Foliorum Myrti ana m. s.

Miſce, decoquantur in uino auſtero. Deinde pro confortatione uentriculi & inteſtinorum utatur hoc puluere in panno muricibus primùm tincto, deinde maluatico conſperſo, poſtremò inſpergatur puluis, & abdomini calidus imponatur.

R. Pulueris Maſtyches

Caryophyllorum
Rosarum
Foliorum Labruscæ, id est, Oenanthis ana ℈ i.

Puluerizentur & commisceantur. In cibo uerò decoquatur sem. Sumach, Fœniculi ana ʒ i. Contundatur grosso modo. Misce. His ita ordinatis, altero die magis concocta excernebat, et pauca. Pulsus itidem tranquillior erat, quanquàm urina liuiditatem eandem præ se ferret, quam Doctor in Gonorrhœam, qua anus anteà laborarat, referebat. Cæterùm in lienteria ex ulcere nihil præsentius medicamento sequenti.

R. Succi Granatorum, uel Diacydonitis ʒ iij.
Boli Armeni ʒ ij.

Misce, ac interiùs sumatur, exiccat enim ulcus. Et si succus non sit, agresta uti possumus & succo, quanquã gustui grata non sit. Victus erit siccarum carnium, sed non difficilioris coctionis, ut sunt perdices, phasiani, aues montanæ, & non aquaticæ, neq; proximæ partui. Vinum non acetosum. In cibis decoquantur genera Sumach, & Cinnamomi, quòd illud corroborat & astringit, hoc maximè confortat totum corpus, auctore Galeno lib. viij. κατὰ τόπυς.

Consult. LXXXV. Pro puerpera, tussiente admodum.

In puerpera admodum tussiente, ita ut suffocari uideretur ob catarrhum descendentem ad spiritualia, Montanus nulla purgatione utebatur: purgata enim erat fluxu menstruo, sed corroborantib. caput & pectus, & quæ ingrossarent fluxum, ut Tragacanthi, rad.

Liquiritiæ & Mastyches partibus subactis, quæ in orē tenebat. Die xxij. cum scholaribus apud eandem fuit, & quia materia craßior erat, atque inæqualior, ut spuitio citaretur, ordinauit, & quo intra uteretur, & quo pectus ungeret.

R. Loch de pino ℥ i.
Sani & experti ℥ s.
Syrupi de Hyssopo
Myrthini ana ʒ vi.
R. Olei Sesamini
Amygdalarum dulcium
Mastyches ana ℥ s.
Pulu. Anisorum
Cimini
Mastyches ana ʒ s.

Ceræ parum, fiat linimentum molle, quo pectus inungatur. Oleum Mastyches additur, ut corroboret pectus.

Consult. LXXXVI. De surditate & tinnitu aurium.

MAGNIFICVS *quidam surditate & tinnitu aurium laborabat, quare præmissa totius euacuatione, caput deinde purgabat per nares. Nam attrahere cogebatur in caput brodium pulli indito Calamo in nares, cui admixta erant:*

R. Succi Bliti ℥ iij.
Aquæ Maioranæ ℥ ij.
Olei Amygdalarum dulcium ℥ i.

Nam cùm succus Bliti sit calidus, resoluit & attrahit: & ne uis restinguatur, addita est aqua Maioranæ: denique

que ad erosionem prohibendam, adiectum oleum. Purgauerat plus phlegmatis, quàm quisquam facile credat, et surditate atque tinnitu liberabatur. postremò caput calidis & exiccantibus lauari uolebat triduo post.

Consult. LXXXVII. De febre, cum præfocatione matricis.

IVDAEI cuiusdam uxor laborabat dolore uentriculi, cum præfocatione matricis & febre: superioribus diebus laborabat febri: quare Medicus, qui tunc fuerat uocatus, primum leniuit uentrem, deinde basilicam incidit: & quia non attenderat ad principalem causam febris in hac muliere, quæ pendebat ex matrice, interim illa in febrem incidit, & malum est auctũ: sed quomodo, post dicetur. Febris inuasit cum sæuis symptomatibus, nam in syncopen incidit, & dormire nequiuit, propè delirauit melancholia. Vocatus ad eã, corporis dispositionem primò consideraui, & cæteras deinde causas ægritudinis diligenter inquisiui. Ipsa autem quia admodum formosa, calidæ & humidæ est temperaturæ, totius naturam sequitur pars: quare & matrix calida & humida, quæ propterea etiam libentiùs uapores generat, qui deinde euaporant, & sursum feruntur, & uentriculum perturbant, caput replent, unde insomnia, & melancholica deliramenta: ad hæc cùm accederet mala diæta, illa aucta sunt, corpusq; debilitatum est magis: neque menstrua, uti par erat, purgata, unde & febris hæc causata est. Lex prohibet, ne à purgationibus menstruorum ante cum uiro coëant, quàm sese frigida abluerint. Nec dum purgata satis, in frigidam insilierat,

rat, quam lotionem obstructio est sequuta, atque hanc febris, qua nunc laborat. Accessit etiam strangulatio matricis: nam lotionem sequuta est etiam intemperatura matricis: generati in ea propter intemperaturam uapores: denique fortiter clausa est matrix, ut etiam purgationes sisterentur, quæ deinde doloris uentriculi causæ: & ipsa febris inde facta est auctior. Sed quoniam necesse erat hanc suppreßionem menstruorum, & matricis præfocationem solui, propter maiora pericula, quæ timeo, & præsertim syncopen, dedi illi Mythridati ℈ ij. cum rosato, ut Mythridatum calefaceret matricem, & materiam uaporum exiccaret, denique uias aperiret, atque ut rosatum confortaret uentriculum. Sed dicat aliquis, augetur febris: concedo, sed maius ex matricis præfocatione periculum impendet: necesse est igitur hanc primùm omnium curari: febrem curabo paulò post faciliùs syrupo rosato, & de Cichorio, causis etiam sublatis, sed solutis obstructionibus, & reducta caliditate ad temperaturam. Ad hanc prætereà dosin Mythridati cum rosato, adhibuit etiam frictiones pedum, ut prouocarentur iterum menstrua, & res pulchrè successit. Ne uerò spe nostra frustraremur, iußi lauari pedes in decocto Betonicæ, Saluiæ &c. item ut ex herbis illis fumum acciperet: præterea dedi decoctum radicũ Fœniculi, Petroselini, & Anisi, & cœperunt iterum fluere menstrua. Nam nisi rediissent menstrua his medijs, Cucurbitulam etiam saphænæ applicassem, ut ad inferiora sanguinem menstruum propter communicantiam uenæ ad matricem retraxissem, quanquam frictio ipsa ad hæc prouocanda satis sit efficax. Atque inde facile est

æsti-

æſtimare, quantum nocuerat prior Medicus, qui baſilicam incidi curauerat. Inciſio enim baſilicæ menſtrua ſurſum attraxit, unde omnis mali labes. Nunc autē cùm fluant, ne quid accidat quod ſiſtat menſtrua, diligenter cauebimus, imò quoad poterimus naturam eius adiuuabimus expulſione. Hac autem nocte nihil dormiuiſſe ſe conqueritur: neque mirum, frictio nanque, quia corpus calefecit, febrem adauxit, & fluentibus menſtruis omnia mouentur in corpore, unde inquietudo: poſtremò uapores caput calefecêrunt. Quare ad conciliandum ſomnum, iuſsi ut nares oleo uiolaceo inungerentur, & tempora: hoc ſi nihil profecerimus, perueniam ad unguentum Populeonis. Sed roget quis, cur nihil exhibeam per os, quod ſomnum conciliet. Reſpondeo, quia omnia conciliantia ſomnum, frigida eſſe & humida neceſſe eſt, & frigida morbi materiam groſsiorem reddunt, & expulſioni ineptiorem: quare nihil exhibeo.

Conſult. LXXXVIII. De febre putrida in hecticam mutata.

PHARMACOPOLA putrida febri laborauerat prope menſes duos, poſteà ad hecticam uenit, putrida non rectè curata. Hæc quia requirit humectationem totius corporis, & caloris præternaturalis reſtrictionē, uoluit oleo Amygdalarum dulcium inungi corpus, quo nihil eſt præſentius, & anteà Montanus in D. Baſsiano fuerat expertus. Longo tempore cum eo non fuit Frizimelica: hodie ad eum uiſendum adijt. pulſus erat minutus, durus: in urina ſedimentum ex aduſtione nigricans. Minutus autem pulſus dicitur, non uehemens:

quod

quod euenit, aut propterea quòd uirtus est imbecilla, dissoluitur enim calor ob humidum nutrimentale exiccatum, quod calori naturali semper est adiunctum, haud secus ac siccitas semper comitatur præternaturalem: aut propter instrumentum, id est, arteriam, cuius tunicæ exaruêre nimio calore, ac propterea motui minus sunt idoneæ. Minutus itaque pulsus est, quia neque uehemens, neque frequens: & durior, propter siccitatem totius. Ita pulsus argumento est bonum uirum peruenisse ad febrem hecticam. Hûc accedit quoque consumptio totius corporis. Quid igitur amplius faciendum? Sedulò cauendum uenit, ne qua ratione febris augeatur, & denique in marasmum, seu tabidam hecticam (uersatur enim adhuc in prima specie hecticæ) incidat, pereatq;. Quibus autem medijs id fiet? Infrigidantibus ratione febris, & humectantibus, propter corporis siccitatem. Humectabimus autem substantiuè corpus dilapsum in tabem, cibo, & rebus alijs externis. Quia uerò Ptisana substantia sua multum humectat, non fuerit inutilis: sed quia parum aut nihil nutrit per se, operæprecium fuerit decoqui eam cum iure pulli, & carnium. Vtile quoq; foret auxilium syrupus uiolaceus. Contrà, Viola tantum qualitate infrigidat, ergò inutilis est. Respondeo, sola quidem Viola qualitate humectat, at syrupus propter saccharum & decoctionem humectat substantiuè. Cur non uteris decocto & carnibus testudinis, quod alij faciunt? Ab his in præsens abstinendum duco, propterea quòd uentriculus sit imbecillis, & corpus obstructionibus non uacet. Sed utatur decoctis Farfaræ, id est, capill. Veneris, Endiuiæ, & aliarum herbarum: postremò inun-

inungatur foris oleo Amygdalino dulci &c.

Consult. LXXXIX. De Aquis distillatis per Alembicum: etiam à calidis herbis esse frigidas demonstrationes: in speciem Discursus.

NON *est difficile monstrare, nec multi operis, si supponamus quæ Galenus docuit, & nos in methodo nostra simplicium prima diuisione ostendimus, quasdam medicinas à propria substantia, seu à forma specifica agere, quasdam uerò qualitatibus manifestis. Quæ à propria substantia agunt, non operantur quia calidæ uel frigidæ, sed quia tales propter formam suam, ut Mesue dicit & Gal. 3. de temper. Exemplum similitudinis: Quãdo per os accipitur Rhabarbarum uel Diagridium, euacuatur bilis, non à qualitate manifesta, sed quia talem habet formam, quæ conuenit cum bile. Quod uituperat Auerrois, lima Galeni, persimile à ferro, probans attractionem non fieri à simili: sed indignum Auerroë argumentum. Secundum mentem Galeni, forma Diagridij, quæ aßimilatur bili, attrahit per similitudinem formæ, aut per contrarietatem operatur. Exemplum: cùm quis Cicutam aut Hyoscyamum sumit, uel aliud uenenũ, ut Aconitum, uel Saliuam uiperæ, hominem forma sua specifica interimunt: at morsus scorpionis interficit hominem ob contrarietatem formæ. Sed quæ à proprietate & forma specifica operantur, hæc dimittamus, quia non faciunt ad propositum. Medicinæ agentes specifica forma, uel per contrarietatem, ut saliua hominis scorpionem necans, uel qualitatibus manifestis operantur. Hinc tota res pendet, & est manifestum, quòd non poßent*

possent operari, nisi præsente qualitate. Verbi gratia: sicut gubernatori remoto temone, etiam gubernatio remouetur & cessat, sic remota qualitate, remouetur etiã uis medicaminis. Demonstratio in secunda figura. Nulla aqua distillata, præter paucas, habet qualitates sui simplicis proprij, quibus operatur. Sed quod non habet qualitates quibus operatur, non potest operari: ergò &c. Maior probatur per inductionem. Si de eo quod magis inest, non est, ergò nec de eo quod minus. Sumantur potentißimæ herbæ in qualitate, ut Absinthium, Calamenthum, Fœniculum, Maiorana, flammula Iouis, quæ causticam uim habet: distillentur per Alembicum, uidebitis aquam non habere saporem, nec qualitatem simplicis, sed præ se ferre dulcedinem. Calamenthum incendit linguam: si aquam bibes, senties frigiditatem in uentriculo, id quod ego sum expertus in rusticis. Accepi frondem, seu ramum Calamenthi, dedi rustico, habuit calorem & æstum semper in uentriculo: posteà accepi phialam etiam huius aquæ Calamenthi, dedi eidem rustico, sentiebat magnam refrigerationem. Ergò ubi non qualitas, quæ operatur, tanquam medium adest, non fit actio. Sed aqua rosata nõ habet eandem rationem. Nam si alia simplicia talem aquam facerent, dicerem calidas aquas. Rosa enim recens, in qua dulcedo, amaritudo, astrictio percipitur, odorẽ habet, & uim corroborandi: sic in aqua rosata dulcedo, amaritudo, astrictio percipitur, odor suauißimus: si non æqualem habet superiori, tamen easdem habet qualitates: stantibus qualitatibus, stat etiam uirtus. Quòd autem Absinthium amaritudine corroboret, exiccet, uermes necet, Gal. cap. de Absin-

thio fecit fundamentum. Calamenthum quoque ſua caliditate erodit linguam, & acrimonia penetrat, incidit, reſoluit, diſcutit uentoſitatem per qualitatem: ſed remotis qualitatibus, remouetur & effectus eorum: ſed in illorum aquis nihil niſi inſipiditas. & ſic de alijs diſcurratis. Imò ſi accipiatis de herbis quas ſpeciarij appendunt, in quibus exoleſcit uis herbarum, nullam habebunt efficaciam, quia operantur à qualitatibus, non forma ſpecifica. Diceret aliquis: Inuenio apud Arabes, quos laudas, quòd illis utantur & laudant: certè non erant alij etiam decepti. Reſpondeo: habebant uirtutem magnam, & nõ ſunt decepti: ſed quæ ab Arabib. celebrantur, & uiris excellentibus, non ſunt aquæ, quas nos habemus. Sunt fortaſſe ducenti anni, in quibus doctrina inoleuit ſophiſtica, à fratrib. qui uerſabantur in ſophiſtica, non circa ſimplicia & compoſita. Ego recordor ſummos medicos nugas docuiſſe. Noui magnum uirum qui hîc publicè legebat de diſtillatione, uocabatur Chryſoſtomus Aretinus, & non magis cognouit fortaſſe Lactucam, quàm ego nunc ſcio, quid agatur in India: imò ferè omnes ſenes non miror, ſi aquas poſteà diſtillarint, & non intellexerint. Miſeri impoſtores aromatarij, ut lucrentur, extrahunt tantum aqueam ſubſtantiam, imò aliquas herbas irrorant aquis frigidis per aliquot dies, & poſteà diſtillant. Ante annum contigit meo patienti, dixi, ut parentur ei 100. lib. aquæ Endiuiæ, miſerat ad quandam mulierem, quæ accepit aquam putei ſine herbis & diſtillauit, et illa ſic miſit quoq; Venetias. Quare non eſt uitium in ſenibus, qui & ſophiſticam & medicinam ignorant. Patres noſtri ſophiſticã optimè ſciebant:

ſed moderni, non oportet, inquiunt, ut curemus ueram medicinam. Arnoldus de noua Villa, & Raymundus fuêrunt inſignes, illas aquas extollunt, & meritò. Ego expertus ſum cum diligentia, habent odorem & ſaporem. Volo diſtillare aquam; primò uires habebo amaritudinis, acredinis, id eſt, qualitates quibus operari debet: ſecundò tenuitatem ſubſtantiæ, quæ non habet ſimplex. Ego noui Epiſcopum Laudenſem, ex familia principum Mediolani, delectatum in diſtillationibus, non tamen uires extrahit. Etiam medicamenta diſtillat, electuaria, confectionem Hamech, ſuccum roſarum, qui purgat optimè. De hac re à me ſedecim ſcribuntur libri, octo de diſtillationibus naturalib. qui iam fere perfecti ſunt, & octo de artificialibus, ubi fortaſſe omnia iſta docebuntur: interim legite Raymundum, & Arnoldum de noua Villa, & Arabes. Ante duos dies quidam Germanus Ioannes Phriſius, doctißimus iuuenis, diſtillauit oua ſorbilia: delicatum erat, quod ego dedi ægro pro reſtauratione. Eſt res certè magna, & multi præmij, quæ nõ eſt uituperanda. Sed quia neſciunt præter aquã roſarum, non inuenietis forte aliam. Quare non debetis adeò aquis confidere. Dicet aliquis; Cur tu illis uteris? Reſpondeo, ego utor illis, quia uapor extrahitur, qui longè tenuior eſt quàm ſubiectum: & ut aqua ſit inſtrumentum per quod ſyrupi penetrent. Aquam calamenthi ideò do, non ut calefaciat, ſed ut penetret. ego rem utilem facio nunc ad penetrandum: ſi uolo calefacere, addo calida. Liber græcus antiquißimus habetur Venetijs magnæ altitudinis in S. Marci bibliotheca, de arte diſtillandi. Alter liber Democritus, non Democriti philoſophi

losophi, carmine heroico optimè scriptus. Hic ego corruptelas, non artem, seu distillationem uitupero.

Consult. XC. De laborante febri continua, ex bile & pituita crassa.

MILES quidam natus annos quadraginta, circa uesperum passus est maximum rigorem, ita ut uir robustus difficulter ob imbecillitatem domum redire posset. Durauit rigor 4. horis, & secutus maximus calor per totum corpus, qui continuò durauit, usque ad quartum diem. Vocatus est Montanus, qui reperta febri continua & feruentißima, pulsu magno & inæquali & pleno, urina rubicunda, & crassa, sedimento crasso, considerata summæ uirtutis constantia, & morbi quoque uehementia, aperuit basilicam dextri lateris, & eduxit ferè ℥ viij. sanguinis subnigri craßiq́; cum multo liquore cholerico: aderat ingens sitis, dolor capitis uehemens, defluxus à capite ad pectus & uentriculum. Quinto die ægritudinis iußit sumere Caßiæ recentis, & electuarij de Sebesten, ana ʒ vi. in bolo cum saccharo, quem ante exhibuisset, nisi audiuisset eum pridie beneficium uentris ter uel quater habuisse. At minoratiuo, multa cholerica, ac uitro similes humores crassos uiscidosq́; eduxit: & quia à prima statim febris inuasione, tamen ad dormiendum se componebat, & claudebat oculos: uidebatur alienatus, & secum murmurabat, putabat se plurimos uidere homines ambulantes in cubiculo: ideò eum statim uino abstinere iußit, & ei ordinauit potum ex aqua cum saccharo cocta, & pro cibo panatellam, & modicum ex carne uituli, quòd tempore sanitatis fuisset usus ampliori cibo.

ri cibo. Sexto & septimo ægritudinis die accidentia mitiora fuêre, præter sitim: hæc enim in dies magis ac magis eum premebat: dormiuit tamen mediocriter absq; alienatione: syrupos biberat, quos ipse ex decoctione hordei plurimùm in aqua purißima & sacchato confecerat, eius singulis diebus mane sumpsit magnam scutellam, quòd nollet confidere pharmacopolarum negligentiæ, præcipuè in cõpositione: sed quia siti plurimùm premebatur, clàm post discessum Doctoris sumpsit haustus plurimos aquæ frigidißimæ, & post euomuit cholerica & simul phlegmatica, uiscosa: post quem uomitũ cessauit sitis, & reliqua accidentia. Octauo die liberatus fuit à febre, uoluit tamen Montanus ut 12. die sumeret medicamentum.

℞. Confect. Hamech ʒ iiij.
Trochiscorum Alahandal gr. x.
Syrupi rosati ℥ ij.

Cum aqua Cichorij fiat potio, sumenda in aurora cum custodia. Et sic liber euasit. Potus aquæ rectè succeßit huic: quia corpus anteà euacuatum fuit & per secessum & mißionem sanguinis: tantùm hærebat in corpore præternaturalis illa caliditas, quæ opposito facilis erat curatu, cùm constaret uirtus, & corpus esset ualidißimum, in ipso ætatis uigore, quæ omnia potuêrunt aquæ resistere.

Consult. XCI. Febris quartanæ cura.

In febrem quartanam inciderat homo biliosus ex iracundia & exercitio in caloribus, maloq; regimine uictus. Acceperat Caßiam ante dies aliquot. Vtatur

igitur bonâ diæta: uesperi exhibeatur burseta, posteà manè secetur uena, bibat deinde syrupos.

℞. *Syrupi de Absinthio*
Oxymellis Scyllitici *ana* ℥ i.
Decocti capill. Veneris, & Ceterach in aqua Absinthij distillata ℥ iiij.

Misce pro uno, & sic pro alijs. Sequitur purgatio, quã tamen uesperi præcedat bursetà.

℞. *Syrupi solutiui* ℥ iiij.
Confectionis Hamech ʒ iiij.

Cum aqua Fumi terræ fiat potio, quæ detur in aurora cum custodia. Biduo sequenti semper bibat mane brodium pulli, in quo decoctum sit hordeum, & expressum, cui imponatur saccharum: posteà singulis diebus bibat brodium in quo decoctum sit Cotoneum, Borago, Petroselinum, Ceterach, m.i. & immediatè ante id sumat ex trochiscis sequentibus.

℞. *Polypodij recentis*
Liquiritiæ rasæ
Cort. rad. Capparum
Anisorum ana ʒ s.
Succi de Absinthio
Aloës optimæ
Rha barbari electi ana ʒ i.

Pulverizentur omnia per se, deinde misceantur, & cum melle rosaceo fiant pillulæ pondere ℈ *i. sumat unam singulis uicibus. His cùm diu usus esset, nec aliud proficeret, quàm quòd ex duplici quartana, quam regimine malo sub initio contraxerat, simplicem tamen sentiret, Montanus hoc ei ordinauit.*

Recipe

℞. Myrrhæ
Croci
Aloës electæ ana ʒ ij. Cum melle rosato fiant pillulæ.

℞. Syrupi pomorum dulcium ℥ iiij.
Aquæ rosatæ ℥ iij.
Musci
Ambræ ana gr. iiij.
Sacchari ℥ xiiij. Misce, fiat electuarium.

Item R. Diachilonis cum gummis ℥ iiij. extendatur supra corium pro emplastro splenis. Hæc cùm tertiò iterasset, sanatus est.

Consult. XCII. De febri interpolata.

CVM acceditis ad ægrum, quem nunquam uidistis, & uultis loqui cum eo, semper ita faciendum, ut ego soleo. Primò ab eis quæ manifestè apparent signa colligite, ex quibus posteà occulta, quæ interiùs sunt, et quis sit morbus, percipietis. Posteà cognito morbi subiecto, ad uirtutem accedendum, deniq; ad materiam. Primò igitur quæ exteriùs sensibus apparent, consideranda sunt, pulsus, urina, &c. Non faciendum, ut imperiti faciunt Medici, qui suspicantur tantùm talem febrem, in suo cerebro fingunt & applicant signa consona, cùm plerunq; non adsint. Caueatis à talibus, si uultis esse Medici digni Hippocrate. Nec recedimus ab ijs quæ apparent. Primò pulsus in hoc iuuene satis æqualis & magnus est: in frequentia non multùm excedit, imò potiùs ad raritatem tendit: non etiam uelox multùm, sed temperatus, fortis, ualidus, nullam habet inæqualitatem.

Hæ differentiæ ſunt in hoc pulſu, & ſenſui apparent. Vrina citrinæ ſubſtantiæ, craſſa, perturbatur facile: non multa, quantum ad quantitatem: quo ad liquorem, ſatis lucida: odorem non habet, nec fœtet. tetigi hypochondria, præcipuè ſiniſtrum, quod tenſius eſt quàm dextrum. habet ſcabiem craſſam & humidam, multùm uigilat, dolet caput, circa paroxyſmos quotidie affligitur, ſed alternis diebus plus ſitit. Omnia eiuſmodi debetis colligere & conſiderare, ut ex ijs quæ exterius apparent, ad ea quæ interius ſunt accedatis. Incipiamus igitur à primo ſigno à nobis collecto, nempe à pulſu. Pulſus magnus eſt, non uelox, nec frequens. Quando pulſus magnus, uelox, creber, tunc febrem indicat: & putridam, ſi inæqualis. In hoc iuuene pulſus magnus, quia eſt ſanguineus: quare ratione temperaturæ & ætatis etiã magnus eſt: & ea magnitudo ei eſt ſecundum naturam. Quòd ſi eſſet ex calore putredinali, eſſet auctus motus & uelocior: nec uirtus aggrauata eſt à materia, quod ſolet indicare inæqualitas pulſus. Exemplum dat Gal. de portatore, quod ſæpe retulimus. Et bene ſequitur, non habet inæqualitatem in pulſu, ergò natura non eſt grauata à materia, quod etiam pulſus atteſtatur, ſuper calorem naturalem auctus uel non auctus, mutatus uel non mutatus. Hæc de pulſu colligere debetis, nõ eſſe febrem continuam, ſed interpolatam, quia non habet differentiam atteſtantem ſuper continua. Vrinæ color hic non eſt naturalis: debebat eſſe palearis, id eſt, ſicut palea hordei, ſic eſſet naturalis: ſed hæc urina tranſcendit eum colorem. Nec eſt extrinſeca cauſa, nõ equitauit, nec ſe exercuit multum, ergò eſt à cauſa intrinſeca.

trinseca. & is color super humorem attestatur, quia aliqua bilis potius tenuem urinæ facit substantiam: pituita uerò crassam, uel sanguis etiam pituitosus: sed pituita proxima causa urinæ crassæ: ergò concluditur, quia humores crudi, crassi & pituitosi sint in illo corpore. Est ergò bilis & pituita, possunt enim simul dominari, propter diuersitatem membrorum, ut cùm uentriculus frigidus pituitam multiplicat, & hepar calidũ bilem, quod non rarò fit. Est & pauca urina, quia fit cùm quis uel parum bibit, uel ex obstructione in uasis urinarijs, uel ex siccitate & caliditate multa. Hîc credo (debemus enim cautè iudicare) potiùs est ex obstructionibus multis, quòd uenæ obstructæ ob crassos humores: non quòd caliditas exiccet, quia haberet febrem maiorem, sed ob obstructionem. Est sine hypostasi urina, quod significat sanguinem esse crudum, & nullam habere coctionem, unde tempus morbi significatur, quia uidelicet sit in principio. Sic igitur ex signis colligitis: ex pulsu, quòd febris interpolata: ex urina, causam materialem: ex bile & pituita, quòd tempus morbi sit in principio. Hypochondrium inflatum indicat materiam in eo latere collectam esse, uel in musculis exterioribus, longitudinalibus uel transuersis, &c. uel in uenis, quod magis hîc credo, & in corpore splenis, quòd humor in profundo percipitur. Habet porrò uigilias & sitim. quid inde iudicamus? Omnia concurrunt. Audiuistis hîc bilem esse, & paroxysmum qualibet nocte. Est autem causa uigiliæ primò siccitas, secundò caliditas: somnus enim præter naturam primò fit à frigiditate, posteà ab humido: sed somnus naturalis primò fit ab humido, postea à frigido.

Hic uigilat, quia uapores ſicciores & aduſti magis ex bile aſcendunt ad caput, quia tenuiores. Iam ex illis plus nocumenti habet quàm ex pituita, & cerebrum etiam incaleſcit, propter paroxyſmos quos habet noctu. ſitis etiam concurrit & atteſtatur: habet enim bilem & ſiccitatem cauſantem ſitim. Dolor etiam capitis conuenit, ſit enim is ex uaporibus calidis. Ex his igitur omnibus colligitis uera eſſe, quæ ex urina & pulſu anteà collegimus.

Conſult. XCIII. De febre continua.

CASVS *puellæ octodecim annorum, complexionis calidæ & ſiccæ, optimæ perpetuò ualetudinis, quæ ex curis & affectionibus animi, quas in fratris ſui aduerſa ualetudine habuit, in ægritudinem incidit. Menſtrua diminuta ſunt, & febris eam corripuit cum horrore, & alijs accidentibus: adeſt dolor capitis, & circa regionem uentriculi, nempe circa orificium, præcipuè uerſus hypochondrium, tenſiones percipiuntur: adſunt inſomnia ſeu uigiliæ, oris amaror, non tamen cum ſiccitate notabili: calor mordax percipitur, & uelox pulſus. Acceſsionum principia hactenus notari non potuêrunt, ideò continua putatur, quæ tamen de tertio in tertium magis exacerbatur. Adeſt laſsitudo uehemens, ita ut ſe uix tollere queat. Rugitus item in uentre ſuperiori & inferiori auditur.*

MONTANVS. *Oportet primùm uidere quæ natura ſit morbi quo affligitur: poſteà, quæ cauſæ: demum modus curandi inquirendus eſt. Primùm hanc laborare febri putrida, manifeſtum eſt ex ſignis: pulſus frequentior,*

tior, inæqualis magis, ac uelox, quod ad putredinem sequitur, inuentæ urinæ crassæ, cum hypostasi per totum corpus sparsa, calor mordax in superficie cutis. Hæc igitur febris est morbus in temperie. An uerò præter hanc alia sit ægritudo? Credo quòd sic: est alia in compositione. Circa orificium & regionem uentriculi tumor est cum dolore quando tangitur, neque dolor notabilis: & in anhelitu quandoq; percipitur, & à nobis tumor ipse tangitur. Ita duplex est ægritudo. Poßit aliquis dicere, adesse etiam tertium, obstructionem circa uterum, quia actiones eius læsæ in excernendis menstruis, ergò & membrum læsum. Sed quia menstruorum diminutio non ex obstructione tantùm, sed ex mala etiam temperie in ipso utero, uel ob sanguinē crassiorem cōtingere poßit, nō posuerim pro certo, id quod est in dubio. Iam morbi causæ inquirendæ: non enim scimus curam, quando scimus talem uel talem esse morbum, sed ex causis cura petenda est. Esse putridam, ex dictis signis constat, pulsu, urina, calore mordaci. Sed in quibus humoribus est ea putredo, & ubi? Hoc etiam ex signis est inueniendum. nō habet motum uelocißimū. Hæc febris fit quando putrescit humor calidus qui & subtilis, ut bilis, uel sanguis: qui quia uelocißimi motus sunt, terminātur septima, uel ad summum decima quarta die. Et habet sæuißima accidentia: nec tarditatem habet eam quæ fit cùm putrescunt humores frigidi, ut pituita, & humor melancholicus. Nec calor ita remissus est, & urinæ magis tinctæ, & dolor occipitis. Ergò humor qui putrescit, nec calidus est, nec frigidus simpliciter, sed mixtus: quia accidentia mixta sunt: mo-

tus

tus medius inter tardum & uelocem: & reliqua signa media. Sitis quidem, sed non maxima: nec dolor capitis nimium intensus: ideò humorem putrescentem etiam medium crediderim inter calidum & frigidum, & mixtum ex plurima pituita & bile. Sed ubi putrescit humor? Audio febrem continuam sine typo, & semper æqualem: ergò humor putrescit intra uenas. Est enim febrium continuarum proprium, non horrere. Sed si haberet aliquem typum, aliter dicendum esset. Quod ideò dico, quia in pulsu hoc uespere sensi aliquam contractionem: & ipsa etiam cooperiri uoluit: quæ duo cùm concurrant, maximè indicium faciunt esse aliquem typum. Et sæpe hoc contingit, ut in febribus continuis post aliquot dies incipiant apparere in pulsu, uel quia natura fortior in expellendis superfluitatibus facta est, uel quia coctio aliqua facta, & materia subtilior exhalat. Ideò enim continuæ febres periculosæ dicuntur ratione signi, & causæ. Ratione signi, quia indicant naturam debiliorem, quæ permittit inimicum putrescere in proprio domicilio, nec potest extra uenas expellere. Ratione causæ, quia ea materia putrescens facile inficit massam sanguinis, ad quod sequuntur febres pestiferæ & exitiales. Fieri igitur potest ut hactenus non habuerit, & nunc incipiat habere typum, idq; bonum esset per uiam signi, & per uiam causæ. An modò incipiat nunc materia putrescere extra uenas, uel sit adhuc intra uenas, facillimè uidebit Excell. V. per ea quæ succedent. Si nullus typus succedit, erit intra uenas: si erunt aliquæ periodi, erit extra uenas. Ideò nolo determinare in re ambigua: tempus ostendet. nec propterea tol-

letur

letur modus curandi, siue intra, siue extra uenas sit, cùm certißima sit inuenta ratio humoris peccantis. potest quidem augere difficultatem. His stantibus facile est nunc uidere causas symptomaticas. Vapores ascendunt in caput, & dolores excitant: quia admixti ex pituita & bile, excitatos quidem faciunt, non intensos tamen, propter pituitam obtundentem. Eadem causa est uigiliarum, quæ ipsæ propter pituitam admixtam nõ sunt continuæ: & quòd non multum sitiat. Licet hæc omnia eam quoque infestent propter humores permixtos contrarios, quorum alter excitat, alter restinguit hæc symptomata, & mitigat. Ita omnia sibi concurrunt, urinæ rubræ, & tamen crassæ, quia duo humores, pulsus inæqualis. Ergò non est biliosus humor, qui uelocem quidẽ facit, sed pituita magis inæqualem. Hæ sunt causæ omnium symptomatum, quæ consequuntur morbum. Id est, modò obstructio: quæ ubi fit, ex tumore & dolore apparet. Quare & Gal. & Auicenna testantur, quòd ubi dolor, ibi est ægritudo. Sed unde ea est tensio? Non est ex apostemate (alia enim sequerentur, & multò sæuiora symptomata) sed ex materia flatulenta, quæ facit tumorem, propterea quòd flatuatur: nam propter suã multitudinem comprimeret diaphragma & suffocaret: deinde pseueraret tẽsio, nec ita facile resolueretur, à quocũque extrinsecus applicato. Hic dolor facile remittit, ergò nõ est ex abũdãtia materiæ, sed propter uẽtositates, ob quas intumescit: hincq; est quod cõprimitur & impeditur in dilatatione, ideò adest difficultas anhelitus, sed non durat, quia flatus citò discutiuntur. Hic tumor est morbus in compositione, quia facit intumescere locum,

ut non faciat operationes debitas, & est ea tensio ex præsentia materiæ. Hæ igitur sunt duæ ægritudines, & puto utranque habere separatas causas, nec una remota alteram remoueri. Sed quia adest & retentio menstruorum, uidendum est an una etiam ea sit ex his causis. Cùm considero præcedentia, & temperaturam huius, puto hanc diminutionem menstruorum potiùs esse ex craßitudine menstruorum & sanguinis, quàm ex obstructionibus matricis. Etsi enim sanguinem habet humidiorem ratione ætatis & sexus, & quia in otio uixit & delicijs, & albi sit etiam coloris (sicut solent esse fœminæ quæ non exercentur, ut uiri) & ob has causas facile aliquem decipere poßit, ut uideatur frigidior quàm sit, habet tamen uenas magnas, & arteriarum motum fortem & magnum, et frater ipsius qui ex eodem semine est, est calidus & adustus, ideò credo eam generare multam bilem & sanguinem adustum. Deinde est in decimo octauo anno, qui in puella citiùs crescente & senescente est ipse flos ætatis, & eadem quæ uiris 28. annorum ætas, quia tunc maximè uiget sanguis. Acceßit ægritudo fratris, quem amabat plurimùm. Habuit uigilias, curas, & accidentia animi, quæ adurunt sanguinem, ita ut inde homines etiam melancholici fiant, quia sanguis aduritur. Est igitur sanguis craßior, & multiplicata excrementa pituitosa, quæ fuêrunt causa febris, quæ ipsa etiam sanguinem magis adurit: ideò rebellis eductioni, ut non poßit liberè exire per meatus angustiores. Exiuêrunt quidem menstrua, sed diminutè: ideò causa non in obstructione erat uteri, sed sanguinis potiùs craßitie. Et cùm sint tres causæ diminutionis menstruorum, debilitas uir

tutis

tutis excernentis, obstructiones uiarum, & sanguinis craßities, ego hîc tertiam esse credo. Hæc de essentia & causis horum morborum. Quod autem ad mores attinet, *febris nulla habet signa malignitatis, habet sua accidentia, quæ pendent à putredine, sine deliquijs & egestionibus putridis, & urinis mutatis seruantibus malignitatem: sed habet ordinarios affectus cognitos, ideò ordinariam crediderim, & non malorum morum.*

De tempore febris.

NON *quidem uideo signa coctionis, non tamen arbitror nos adhuc esse in principio morbi: non enim ita perfecta coctionis signa expectanda sunt in ægris sicut in sanis.* Non *igitur dicendum, adhuc esse in principio: fit enim aliqua coctio, non quidem qualis in sano, sed qualis in ægro: & hanc ob causam in augumento esse crediderim, non in statu tamen, ubi coctio fit perfectior.*

PROGNOSTICON. *Nisi aliud superueniat, quia in itinere multa poßunt contingere, ut dicit* Hippoc. *in febribus acutis non esse certa signa prognostica: & addit rationem* Galenus, *quia facile mutari poßunt, uel ad melius, uel ad peius: tamen prout talis est, non est lethalis.* Nam *quod dicit* Hippocrates, *febres non intermittẽtes, quæ tertia die exacerbantur, periculosæ: uerũ est, quia facile in deterius incidunt si negligantur: sed proptereà non sunt lethales per se, sed ad optimum finem deducunt, si* Medicus *non delinquat, & æger obediat: quæ cùm ambo hîc sint conuenientißima, facile sanabitur.* CVRA. *Videmus naturam morbi & principiũ affectuum pendére à materia putrescente: materia igitur*

tur euacuanda, & putredo remouenda. Materia crassa est, mixta ex pituita & bile, & maxima parte intra uenas, quia non sunt uisæ periodi: ea igitur remouenda. Sed Hippocrates non tantùm præcipit: si talia purgentur qualia oportet, confert, & leuiter ferunt, &c. sed alibi etiam: Quocunqúe natura uergit, eò maximè ducere oportet. Quærendum igitur, quomodo, & per quem locum: quia quid sit uacuandum, facile uidemus, pituita scilicet & bilis. sed ex quo loco? ubi putrescit, in uenis, propterea quòd trāspiratio prohibetur, & calor naturalis opprimitur à multitudine materiæ: ergò euacuanda. 4. sanit. tuendæ. Si putrescit materia intra uenas non aliena à sanguine, mitte sanguinem copiosissimum: si non multum aliena, mitte, sed parciùs: si omninò aliena, abstineas. hæc sunt uerba Gal. Hic humor non est admodum alienus, quia pituita mixta cum bile sapit caliditatem, & omninò tardi motus est: nec rebellis est calori, quia inflammatur. Est ergò permixta sanguini, et putrescit, quia prohibetur euentatio, & facit obstructiones. Venæ igitur sunt euacuandæ, & quærendum ut transpiret corpus: & uacuetur materia, quod neque meliùs, neque citiùs fieri potest quàm per mißionem sanguinis, ideò eam in febribus laudo semper, quia uel antecedentem, uel proximam causam tollit: siue humor sit extra, & tunc antecedentē tollit: siue intra uenas, & tunc proximam. Mittendus igitur est sanguis, idq; statim antequàm morbus ad statum perueniat: neque restitandū, quia periculum est, ne æger moriatur. Vidi omnes sic curatos, & credo nil præstantius, nisi ut mittatur sanguis. Nec à saphæna educerem: si enim sint obstructiones,

non

non exibit ſanguis, cùm præſertim materia ſit craßior. Ideò à baſilica mitterem, quæ ad educendum ſanguinem craßiorem eſt aptißima. Refrigerabit hepar, ut generet ſanguinem magis æqualem, non tàm craſſum, qui poſteà ſpontè euacuabitur materia inſurgente, ſublato hoc modico impedimento. Si igitur cras non erit ſummè debilis propter maximum paroxyſmum, aut uigilias huius noctis, ut magis indigeat alimento & reſtauratione quàm mißione ſanguinis, omninò fieri phlebotomiam à uena baſilicæ ſuadeo, quantum ſufficit, quam præſens Medicus iudicabit: ſi ſanguis niger & craßior, permittatur exire: ſi pulcher, clarus, lucidus, ſtatim obſtruatur: ideò enim laudat Galenus mißionem ſanguinis præ cæteris medicamentis per os exhibitis, quia ſemper reprimi poteſt, & uel parum uel multum educi, ſecundum aſtantis uoluntatem: quod non ita poteſt moderari in medicamentis per os exhibitis. Et uideo quotidiana experientia, quòd ubi prætermittitur ſanguinis mißio ubi fieri debebat, morbi fiunt lethales aut longi. Nec ideò timeat quòd ſit prima phlebotomia: habet ætatem conuenientem: aut quòd inde futura ſit ſterilis: iſtæ ſunt aniles fabulæ, & figmenta ſine fundamentis. Si tamen ſudet copioſè, aut per aluum egerat, uel per nares ſanguinem reddat, uel aliqua fiat uacuatio, uel plurimum laborarit, uel uirtus defeſſa ſit admodum, omitteretur. Si nihil horum contigerit, mane ſummo, clyſtere exhibito, ſub horam præterea xvij. aperirem uenam. Circa alterationem poſteà (quia in putridis non ſolum ſanguis mittendus, ſed etiam alia facienda, quæ Auicenna duob. uerbis diuinè docet, cùm inquit, lauare aluum, prouo-

care urinam: hæc qui facit, curat febres putridas) lauatur aluus clysterib. & est magis dilectus usus clysterũ, quia fit quotidie sine strepitu, quàm prouocare urinas. Syrupus ex capillis Veneris optimus est, aperit obstructiones. Syrupus de Cichorio & Ceterach Nicoli, omnes sunt optimi, eligatis quos uultis. Posteà si uellet tolerare decoctum in hyeme hac, melius esset: acciperem aquam Endiuiæ, capill. Veneris, quanquã in his nõ confido multum. Ideò si haberemus herbas bonas, Capill. Ven. Ceterach, eas decoquerẽ in aqua Endiuiæ et Boraginis, et esset eò maior subtilitas, et facilitas prouocãdi urinã.

Pro obstructione.

Si singulis diebus uel alternis acciperet unã pillulam Aloës, uel Hieræ s. ℈. i. Nec metuerem febrem, quia euacuat bilem, & restringuit sitim, refrigerat, & educit materiam facientem obstructiones, & calefacientem. & potest dari lota Aloë, ut minus calida sit: educit humores. Sed si essent imbibiti intra tunicas uentriculi, melior esset Hiera, ut inquit Galenus. Potest igitur exhiberi aliquot diebus, ut uideamus quomodo conferat: si enim non conducit, poterimus alia exhibere: sed credo quòd in his optimè habebit.

Ratio uictus.

Nescio an consueuerit uinum lymphatũ bibere: si poßit, credo utile fore, ut abstineat à uino. Galenus tres recenset causas in quibus sit abstinendum à uino, in epilepsia, in adustionibus, & humorib. crudis. Hîc sunt humores crudi, &c. Sed darem aquam coctam cum Cinnamomo uel Pipere, quam Gal. dabat, & forte melius esset: quia enim eius caliditas non transit ad hepar, potest poni uel

piper,

Piper, uel Cinnamomum, uel quatuor Caryophylla cum modico sacchari. Comedet iuscula, panatellam, & modicum carnis. Si habebit paroxysmos, mutabitur ratio uictus, & non ita cibabitur sub noctem, quòd eo tempore soleant magis exacerbari symptomata, ut iam etiam accessio manifestè se ostendit.

Consult. XCIIII. De melancholico.

ACCIDENTIA quibus affligitur hic nobilissimus uir, sunt manifesta sensui, de quibus non ambigere potestis. Primò percipit stuporem manifestum ferè in omnibus corporis partibus, præcipuè tamen circa tibias: & obtusionem ferè omniũ sensuum, tactus, gustus, &c. Dicit etiam aliquando ita sibi diffidere, ut non ausit egredi domum, metuens ne deficiat, & in cursu etiam detrimentum quandoq; percipit: non audet interdum loqui, ita defectus totius discursus referebatur ad diffidentiam. Est & aliud insigne, maculæ nigræ circa omnes partes corporis in ipsa cuticula, non profundæ, sed superficiales tantùm: & illæ sunt cum pruritu magno, ut conetur scalpere: estq; ipsum genus quod & Diosco. & Gal. ἐφελίδας uocant, quasi à sole contractas: sunt enim nigræ, quales sunt homines multum in sole ambulantes: hæc contingunt per interualla, & solebant redire singulis mensibus: sed postquã est curatus Venetijs ab excellentiss. Medico & fratre meo, non tàm sæpe redeunt interim illa, ut nunc post duos menses aut unum cum dimidio redeunt. Addit, quòd licet rariùs ueniant ea symptomata, tamen in interuallis non ita prorsus ab ijs liber sit ut ante: nũc quasi semper sentit aliquid quod

ante illam curationem non senserat. Hæc sunt acciden-
tia ab eo recitata, quæ omnia sunt facilia cognitu: sed in
causis indagandis est summa difficultas, nec possum mi-
hi satisfacere. Circa stuporem maxima difficultas est.
Stupor est actio diminuta: ergò à frigiditate 3. de causis
sympt. Actio corrupta à caliditate uenit, diminuta ab
intemperie frigida: hic actio diminuta, ergò à frigidi-
tate, idq; uel positiuè, uel priuatiuè. Diminuitur actio,
cùm fit frigiditas in membro, propterea quòd uirtus ani
malis seu calor ac spiritus ueniens ad membrum illud nõ
accedit: ita membrum priuatur calore debito, refrige-
ratur priuatiuè. Sic refrigerantur membra in timore,
quando spiritus & calor ad cor refugiunt, ac cessant
motus & sensus. frigiditas positiua est cùm refrigeratur
membrum, uel quia in propria essentia & in tempera-
tura læsum est ac refrigeratum, uel quia materia afflu-
xerit, atque ita in ipso membro sit quod lædit. Hæc ergò
est difficultas, quòd non scio unde posit esse stupor.
Si à causa priuatiua, ea est uel ob obstructionem, uel ob
paucitatem spirituum, seu ob aliud accidens subitum: in
his omnibus debebat ante lædi motus, ad quem longè
maiori & uehementiori calore & spiritu opus est: quia
motus est in actu, sensus autem in pati. Secundò, natura
magis solicita de necessarijs, semper reseruat id quod
magis est necessarium: igitur cùm alterum est amitten-
dum, potiùs motus quàm sensus aufertur, ut in paralysi.
Propter has duas causas nõ credo, neque ob paucitatem
spirituum, neque ob obstructionem, esse imbecillitatem in
sensu alicuius membri, et non in motu. Sed dicat aliquis,
diuersi nerui sunt, nam nerui sensus sunt humidiores, &
faciliùs

facilius lædi possunt quàm nerui motus. Responsio: nerui motus duriores quidem sunt, & propterea etiam non ita facilè implentur à spiritu pauciori, ut nerui sensus, qui humidiores sunt & parui. deinde nerui circa quos ipse sentit maximā imbecillitatem in sensu tactus prope tibiam, non sunt tàm humidi, quia non à cerebro, sed nucha & spondylis dorsi oriuntur. Nec ob frigiditatem positiuam hoc fieri posse uideo. Si enim dicas factam frigiditatem quia fluxerit materia ad neruos sensuum, & non ad neruos motus, quia diuersi sunt, & quidem sensus nerui imbecilliores non ita resistant læsionibus extrinsecis: responsio: uerum, facile posse pati eos neruos, ut Gal. 1. de sympt. cau. de his qui in sensu tactus impedimenta habent, & non in motu: sed id non uidetur esse in hoc uiro. Si enim intemperies esset in illis neruis, perpetuò esset, nec aliquando cessaret: hic uerò sentit quandoq;, quandoq; non: si esset ibi fixa materia perpetuò, non sentiret. Et ita restat difficultas apud me magna, quæ sit causa. Præterea si tantùm esset ibi humiditas obtundens calorem, & non frigiditas quædam, sed caliditas quæ obtunderetur quidē ab humiditate, non posset tamen extingui, non sequeretur diminutio actionum, sed corruptio. Gal. 2. p. art. Intemperies cerebri calida humidas corrumpit actiones: & si esset tanta humiditas cerebri quæ obtunderet calorem, non bene discurreret, nec memoraretur: hic optimi sensus & exactißimi, memoriter refert omnia quæ contigêrunt ei per totam uitam. Scitis autem dictum Heracliti: Spiritus siccus, anima prudentißima. Non igitur possum imaginari quomodo humiditas sit impediens & obtundens calorem in hoc

 uiro:

uiro: atq; ita plenus sum difficultatum. Audiatis processum, quo in rebus ignotis deducam uos per coniecturas. Suppono temperaturam: à natiuitate abundauit in hoc corpore caliditas cum humiditate: id conijcio ab habitu corporis in hac ætate: est enim uiginti annorum, obesus & crassus seu pinguis. & uideo signa manifesta: est subniger, & non habet pilos indicantes frigiditatem: deniq; abundat multo sanguine, ex quo hepar est calidum & humidum generans multum sanguinem. Habuit autem peßimam rationem uictus Venetijs primùm: præterea à xvi. natus annos iuit in Dalmatiam, ubi crassus & meridionalis aër: uescebatur carnibus & piscibus crassis. laborabat animo & corpore sub sole, & in negotijs, circa quæ non erat assuetus: inde cõtraxit cacochymiã ratione temperaturæ, & causarum extrinsecarum, & congregauit multam materiam melancholicam: quia qui calidi & humidi, generant multum sanguinem, & plurimum etiam fæcum: quia ubi multum est de sanguine, præsertim craßiore, ibi etiam multum est de fæce sanguinis: & tales fiunt facile melancholici cum accedit causa extrinseca, sicut hîc omnia conspirant: multos noui tales. Est etiam manifesta coniectura ex Gale. 4. de sanit. tuen. tale esse dominium humoris, qualis est color cutis: hîc sunt maculæ coloris admodum nigri, quæ cooperiunt ferè totam cutim, quæ significant dominium humorum eius. illæ maculæ pruriunt plurimum: excitatur autem ille pruritus à difflatione, quia difflatur humor melancholicus: deinde etiã, quia humor est acidus: semper enim aliquid pituitæ admixtum habet, quia melancholia frigida est, & extinguit calorem naturalem hepatis,

hepatis, & repletus est splen eo humorē, intumescit, & sua frigiditate minuit calorem hepatis, & impedit coctiones, ita fit ut generetur multa pituita. Ideò multi, qui abundant melancholico humore, sunt hydropici & splenetici, ob extinctionem caloris naturalis, & multitudinem phlegmatum. Hinc est quòd apud ueteres, omnes medicinæ euacuantes humorē melancholicum, semper habent admixtum aliquid euacuans pituitam, quia nunquam separantur: ut in confectione Hamech, elect. Indo, & alijs antiquis. Nec credo esse succum melancholicum adustum, quia faceret ulcera: sed credo naturalem esse, non enim est malignus. Pruritum autem facit propter adustam pituitā: abundat succus melancholicus naturalis, qui generatur iu hepate, & transit per omnes uenas: quod mihi manifestum est, quia maculæ sunt per uniuersum corpus: ex uenis autem succus ille transit in corpus, & ad cutim, & facit illas maculas. Quia igitur in toto ambitu uenarum est, ideò perpetuò euaporat ad caput, & suis certis periodis corrumpit actiones cerebri, prout magis uel minus augetur à mala ratione uictus. Sunt enim certæ periodi & uariæ, pro ratione humoris, ut apparet in quartanis: & actiones uariè diminuuntur, prout uapores ascendentes diuersas cerebri partes occupant, ut tertio de causis sympt. nunc discursum, nunc imaginationem, nunc memoriam. Et est uarietas magna in eo præcipuè humore, nam refert Galenus, quendam imaginatum se esse gallum, alium se habere caput ex olla fictili. Nec harum rerum causæ certæ referri possunt, cur uel hæc uel illa actio impediatur. Hic homo illud, aliud alius imaginatur. Vidi quendam

qui totam mundi superficiem imaginabatur esse ex subtilissimo uitro, & subtus esse serpentes, se in lecto tanquã in insula, unde si egrederetur, frangeret uitrum, & incideret in sepentes, ideò nolebat ex lecto egredi. Credo autem totum hoc imaginationem esse, et quòd omnia illa symptomata imaginetur, & quòd non sentit in tibijs: si pungeretur fortiter, fortasse sentiret. Ita imaginatur, ut non poßit discurrere: aliquando ita diffidit sibi, ut nõ poßit exire domum. Timet, quod est proprium melancholici. Vidi plures tales Venetos. In oculis bene credo defectum aliquem. uidetis quàm latam habet pupillam. Reliquum totum credo esse imaginationẽ. & fit interdũ reuera, ut homo non sentiat, cùm est intentus in aliud, ut ait Aristo. in proble. & 3. de anima, quæ alio occupata non percipit obiecta. Hipp. ait, Vbi aliquis dolorem non sentit, mens laborat: quod admodũ quadrat ad propositum nostrum. Iste dolores nõ sentit, ergò mens ægrotat. Nec (meo iudicio) possumus referre alias causas, sed credo totum affectum melancholicum, & ponerem illum in capitulo de melancholia, ut dicunt. Est autem humor melancholicus non per essentiam in capite, sed per consensum exhalat ex hepate, & ex ambitu uenarum. Est enim duplex humor melancholicus 3. de loc. affect. quandoq; in capite, quãdoq; in ambitu uenarum. Credo quòd sit hic per consensum in capite, per essentiam in uenis, idq; eò, quòd certas periodos habet. Si in capite, semper & perpetuò talis esset. His stantibus credo quòd difficulter curabitur, quia omnes affectus melancholici diu durant, ex Gal. sententia, qui ex Diocle refert de hypochondriorum dolore, qui per consensum tamen est: quantò

quantò hic cura difficilior? Nihilominus si quis toto studio quærat euacuationes, & curet ne generetur alius nouus morbus, melancholiam uel curabit, uel ad meliorem statum reducet: quia interim ex quo euacuari cœpit & curari, leuius nunc inuadit, & per longiores periodos, si præsertim talis euacuatio fiat cum Elleboro, qui uerè euacuat melancholiam: uidemus enim effluere cùm exhibetur, non aquea & humida, sicut fit cùm dantur folia Senæ & Epithymum: nam Elleborus uerè & sine difficultate melancholiam euacuat, si debito modo & iusta quantitate exhibeatur.

CVRA. Quia igitur in toto corpore & ambitu uenarũ est, primò minuerem sanguinem, præmissa leui purgatione materiæ cõmunis, quæ est in uentriculo & intestinis. Darem igitur Caßiam, uel Hieram: præterea euacuarem sanguinem copiosè ex basilica utriusq; lateris ad 16. uel 20. etiam ℥. duabus uel tribus uicibus, quia corpus est plenum sanguine. Post mißionem sanguinis darem præparantia, syrup. Borag. Buglossæ, Lupuli, & decoquerem in xv. uel xvi. ℥. aquæ casei cum modico oxymellis, ad purgandum, leniendum & coquendum succum melancholicum: tandem euacuarem cum leuioribus, primum quæ succum melancholicum & pituitam simul educunt, ut confectio Hamech, & alia: posteà ubi semel aut bis hoc factũ esset, ad decoctum Ellebori accederem cũ alijs: ut, omne genus Myrobal. cõtusum & infusum in aqua Fumi terræ decoquas: coctioni præterea addantur folia Senæ, Epithymum, Polypodium, Glycyrrhiza, & sem. Citri ℥ s. Ellebori: & ; ℥ vi. huius decocti sumantur: idq; ter uel quater facerem, prout &

humorem

humorem educi, & ægrum meliùs habere uiderẽ. Videbit procul dubio se iuuari hac ratione. Prætereà utatur uictu optimè nutriente: comedat carnes iuuenes generantes bonum sanguinem: uinum bibat maximè nigrum aut subruffum: sit cum socijs lætus & hilaris: uiuat in aëre puriore, æstate præsertim, qualis est in Foroiulio, uel ad montes Vicentinos. Hæc omnia si, quo ordine debet, agat, uel curabitur, uel saltem minùs laborabit.

Consult. XCV. De ophthalmia.

CONQVERITVR hic de quadã dispositione præter naturam circa oculum, & maximè quòd in sinistro oculo sit imbecillitas uidendi, uidet enim quasi per quandam nebulam: in alio oculo est quædam punctura. In sinistro oculo adest etiã quædã macula circa corneam, maximè ubi terminatur ad pupillam. Petit consilium. Et cùm omnis dispositio præter naturam indigeat curatione sibi propria, ideò inuestigandæ causæ illius maculæ. Et quæ sit causa illius nebulæ apparentis in uisione, inuestigabo ego ex his quæ uidi. Iste Nobilis uir ubicunque uersatur, aut aspicit aliquid circa aërem tenebrosum, pupilla fit maior: ubi autem in luce aliquid uidet, redditur pupilla constrictior. Hoc est unum, quod est inuestigandum, & hoc uidimus heri. Adest igitur nebula, id est, uidet quasi per nebulam: hoc est ab una trium causarum, uel ab instrumento, uel à uirtute illustrante, uel à spiritu: his enim tribus fit uisio. Ergò apparet nebula, uel propter instrumentum, ut in cataracta, quia in ea in spatio est quædã aqua obscura, quæ impedit transeuntem spiritum, & reddit spiritus obscuros: hoc non

est in hoc uiro: nam hæc aqua appareret ad sensum, imò in utroq; oculo pupilla est clara, sine aliquo nocumento. Non etiam est materia obstruens in neruo, quia spiritus liberè transit, & pupilla dilatatur, cùm alter oculus clauditur, quod & Auic. ponit. Vnde arguitur, quòd sit liber transitus spirituũ. Ergò nullam uideo obstructionem in uijs, per quas uel uirtus uel spiritus non poßit pertransire. Ergò hæ partes sunt liberæ, et oculus, quantum ad hanc uisionem impeditam. Igitur uel uirtus erit affecta. Sed hæc etiam non est affecta: quia licet sit in cerebro, & posteà determinatur ad ipsum oculum, non apparet aliqua læsio: ideò nec ad uirtutẽ hoc referendum. Ergò relinquitur, quia ex tribus his aliquid esse necesse est, ꝙ hæc obscuratio sit in spiritibus, & ad hoc refero omnem hanc obscurationem: & hoc est præcipuum: nam dum est in obscuro aëre, dilatatur pupilla ad oculum, & uidetur cornea constringi ex dilatatione pupillæ. Contrà in aëre claro & lucido pupilla cõstringitur, et cornea dilatatur. Hoc indicat spiritum quidẽ esse multũ, qui deueniat ad oculum, sed tamen crassum. Ergò dixerim ego, spiritum emanantem esse propter aliquam materiam crassam admixtam, factum craßiorem. Vnde in loco obscuro, cùm non adiuuentur spiritus ab aliquo extrinseco illustrante, hinc natura illud quod non potest agere, facit ex multo spiritu, & hinc ex multo conatu dilatatur pupilla, propter multitudinem spiritus aduenientem. Sed in luce clariore illustrantur spiritus à luce: ergò minor spiritus requiritur ad operationem uidendi, & inde pupilla redit ad propriam suam naturam & magnitudinem: & hoc etiam uidetur in illis

qui

qui habent crassos spiritus. Ex illa igitur manifestissima dilatatione in obscuro loco, & constrictione pupillæ in luce, dico, quòd sit hæc lesio uisionis propter crassitudinem spiritus, & non propter crassitudinem corneæ. Et quòd hic spiritus sit crassus, sunt multa signa. Patitur etiam in oculo sano dolores. Oculus qui patitur, est imbecillior. Et quia quælibet impressio fit fortior in subiecto disposito, ideò ille oculus resistit quidem plus, sed non ita oculus affectus. In oculo sano non potuit se defendere, quia descenderat materia stimulans, & acris, & ita se defendit quantum potest. Ergò uterque oculus affectus: sanus, quia est destillans. Oculus autem affectus duobus modis. Et spiritus deuenientes ad oculum affectum, patiuntur. Hæc uidetur esse causa. Et non possumus imaginari quidem, quæ causa sit in instrumento. Hoc quantum ad nebulam & obscuritatem, quam percipit uidendo. Hoc in ebrijs uidemus manifestè, & quibus uapores ascendunt ad cerebrum: nam spiritus illi sunt crassi in eis. Et quod illis in pauco tempore contingit, fit in his perpetuò propter causam intrinsecam. Nunc de macula. Non constat apud me certi aliquid de illa. Si dixerit aliquis, quòd ibi sit cicatrix, propter aliquod ulcus, quod processit: uerum est quod contingunt quidem sæpe ex ulcere: sed an hic ita sit, in hoc est difficultas. Si fuisset ulcus, uidissent illi qui curarunt. Sed hoc nobis non est indicatum: nam an successerit ulcus ex illo tumore, non est nobis dictum. Hoc ergò apud me est ignotum. Si non ulcus, ergò nec cicatrix: si non cicatrix, ergò aliqua materia uiscida & crassa in causa erit huius maculæ: sicut & in reliquis corporis partibus hoc eue-

nire

nire uidemus. ut in cute, in qua sæpe oboritur talis tophus aut macula: & in oculo hoc frequentißime accidit. Ergò ego potiùs crediderim hoc esse ex materia tali, uiscida & duriore, nisi audiam de ulcere. Sed hanc maculam non curo. An autem sit in superficie uel non? Heri uidi, & sum quidem iam senex, et uisum debiliorem habeo, tamen uidi esse in superficie. Hoc tamen relinquam in dubio, & relinquo hoc conscientijs uestris: & pro nunc pono in dubio, quia uariat cura, prout est ille locus. Modò est uidendum de illa obscuritate uisus, quia de hac plus refert, quia in deterius uenit procul dubio. Supposito quod sit propter obscuritatē spirituū, pp materiā mixtam: & cùm materia fluat per oculos, primò quæritur quæ sit illa materia: secundò, unde, et an sit in oculo. Quo ad primum, dico esse materiam mixtam, partim pituitosam, quod apparet ex consistentia & craßitudine, gummositate & uiscididitate: ergò est pituita. Sed percipit puncturas aliquas & corrosiones, ergò est & biliosa. Dominatur quidem pituitosa, quo ad quantitatem, sed non quo ad uires. De secundo, unde deriuatur? In oculo non generatur, cùm sit copiosa. Et si esset tanta intemperies in oculo, quæ generaret hanc materiam, essent alia symptomata in oculo, et oculus non esset tam clarus. Sed an caput, an partes inferiores transmittāt? Credo quòd non sit referendum ad caput. Illud membrum sanum est, cuius operationes sunt sanæ. Sed hoc caput non est affectum, nam haberet uitiatas operationes. Sed adest grauitas, & adest materia. Dico, quòd hoc est propter ascensum uaporum. Non nego ibi esse materiam, sed an ibi generetur, uidete Gal. lib. 2. de diff.

feb.

feb. de causis periodorum, & de natura fluxuum. &c. Ergò nō nego à capite materiā fluere ad oculū, sed non uideo uitiū in capite, unde generetur in capite. Primò igitur dico, q̃ est imbecillitas uētriculi. Et hepar habet ualde calidū, cùm cōqueratur, q̃ nihil poßit tolerare. Itē q̃ hepar calidum habeat, manifestißimum est ex habitu corporis, & habitudine uenarum. Stantibus his duobus, quid mirum repleri caput? Ex uentriculi imbecillitate multiplicatur pituita: ex hepatis caliditate ascendunt uapores ex toto ambitu uenarum, ut Galenus de dolore capitis. 3. sympt. Ergò cùm sint hæ duæ causæ, non mirum si patitur destillationes multas & catarrhum: & cùm oculi sint imbecilli, expellitur materia ad oculos. Et uidemus omnia consona rationi. Ex uentriculo sunt uapores crudi, ex caliditate hepatis uapores calidi: ergò materia mixta, quum habeat diuersas mineras. Concludo ergò caput non affectum per essentiam. Sed est repletū, dolet, grauitatē habet capitis. Dico hæc omnia esse per consensum. Item plurimum dormit. Dico, hoc fit propter multitudinem uaporum ascendentium. Vnde ebrij, qui aliàs sunt uigiles, & omninò parum dormiunt, tamē tunc cùm ebrij sunt, multùm dormiunt. Vnde credo, ut apparet ex toto habitu & operibus optimis, quòd sit in se calidi & sicci cerebri, & quòd non sit deductum ad aliquam intemperiem: sed est quidem affusio materiæ refrigerantis, sed non in essentiam est mutatum cerebrum. Ergò credo, quòd sit propter materiam pituitosam & biliosam, & quòd deueniat à capite, sed non generetur ibi, sed à toto ambitu corporis. His suppositis de cura dicendum. Potést ne curari? Duo sunt hîc: primò

primò macula, secundò obscuritas uisus: & si tollatur materia, ille spiritus remanebit in propria substantia. Tamen cùm spiritus sit nobilißimæ naturæ & oculus, facilè accipiunt nocumentum: & quòd hæ affectiones perseuerantes non bene curantur: & Auic. dicit, post sex annos non esse curabiles. Ego credo quòd cura erit satis difficilis, sed præseruandus tamen est. Si illa macula est ex ulcere, non potest curari. Si à re quadam dura, ut diximus, & nec tunc etiam. Nam si res illæ duræ, & tophi in cute uix possunt curari, quid fiet in membro tã nobili? Ergò hæc cura impoßibilis. Sed quia petit præseruationem, & curationem etiam, si fieri potest, natura rei indicat nobis quomodo sit curãda. Quia repletur perpetuò caput ex causis inferioribus, ergò materia primò est auertenda. Si materia est aggregata, euacuanda erit: quæ continuè ascendit, erit auertenda: & quæ generatur, prohibenda ne generetur: quoad partem generatam euacuetur. Ergò euacuandum corpus. Non tolerat fortia. Ergò faciamus ut baiuli, ut Gal. 2. de caus. pulsuum, portant pluribus uicibus, quod alius fortis quidam portaret una uice. Ita & nos sæpiùs & leniter purgemus, ut cum Hiera, cum pillulis Mastychinis, quas dicit se ferre posse, propter Agaricum, quia in capite est materia: euacuant etiam uentriculum propter Aloën. Itẽ tolerare poterit pillulas de tribus, ut Rha barbaro, Agarico, & Aloë, quia materia est in hepate, uẽtriculo, & capite. Ergò hæ pillulæ optimè conuenirent hepati propter Rha barbarum: capiti, propter Agaricum: & uentriculo, propter Aloën. Exhibeantur syrupi, qui non tamen attenuent materiam crassam, sed etiam quibus clarificen-

rificentur spiritus: & ideò faceremus ex succo Fœnicu li, Verbenæ, Euphragiæ &c. Item Betonicam possemus addere, & facerem ita syrupum magistralem, qui attenuaret materiam, & clarificaret spiritus. Et hi syrupi exhiberentur inter pharmacum primum & pharmacum alterum. Euacuato toto corpore, & diuersione etiam simul facta per ipsum pharmacum, tamen necessariæ etiam sunt posteà continuæ diuersiones, & hæ fiant per pillulas, licet Galenus damnet hunc continuum usum pillularum, tamen non est inconueniens. Facerem ego quidem cauteria, non in capite, quia attraheretur materia: nec in brachijs, quia tunc etiam attraherem ab inferioribus ad superiora: sed in tibijs facerem, scilicet in utroque crure. Et hæc puto sufficere pro auersione, non pro deriuatione: hanc enim non intendimus. Hæc cauteria teneantur aperta non per menses, sed per annos. His factis non puto caput multum corroborandum esse: si tamen uidetur quòd sint faciendæ lotiones, ne recipiat materiam, possent fieri cum decocto ex Rosa, pro confortatione, & Chamæmilla, & parum gummi Sandarachæ diluti, & aliquid etiam Agarici addi potest, ut fiat mundificatio capitis. His peractis ego nollem molestare uirum: non cum aqua balnei, quia sicci habitus, & calidi hepatis. A stillicidio abhorrerem, ut à peste, propter intemperiem illius capitis, & credo quod peßimè inde haberet, si uteretur eo. Quo ad oculum, non indigemus una intentione. Nam non est uerisimile, quòd cùm semper aliquid ascendat, quòd non aliquid insideat. Ideò corroboretur calor innatus oculi, ut concoquatur materia. Ideò cùm Gal. nihil præponat Fœnugræco, hoc enim

conco-

concoquit ſine attractione, & corroborat calorem, & difflare facit ſi ibi eſt aliquid crudi, ergò uterer frequentiſsimè decocto Fœnugræci. Quoad abſterſionem & mundificationẽ præcipuè illius puſtulæ, cauerẽ tanquã à peſte, à re mordicante. Tutiam ſi rectè præpararetur, & ueram haberemus, laudarẽ: ſed quia non rectè præparatur, & ſemper uidemus quòd quotieſcunq; utimur excitet dolorem, cùm tamen ipſi antiqui dicant eam minimè eſſe mordacem, ideò omittitur. Soleo ego parare albumen oui cum ſaccharro Candi roſ. & ponere in ſolem in aliquo uaſe donec exiccetur, & poſteà contundere & conterere in marmore, & de hoc puluere inſpergere oculum. Vel ſi uolumus facere collyrium, & diluere cùm uſus poſtulat, cum modico decocti Fœnugræci: hoc abſtergit ſine mordicatione, eſt enim mordicaciſsimum medicamentum. Et confortat etiam hoc collyrium exiccando, ne recipiat nouam impreſsionem. Et caueat à fortib. remedijs, prædico enim ei, ſi multa remedia adhibuerit, quòd efficietur totus cæcus. Hoc eum admonitum uolo, & credat mihi.

Conſult. XCVI. De Ophiaſi & Alopecia.

CLARISS. atque doctiſsimi uiri, occurrit nobis nobiliſsimus adoleſcentulus, cum quibuſdam diſpoſitionibus præter naturam, quæ apparent ſenſui. Duo ſenſu deprehenduntur circa aurem, qui affectus cùm ſint contigui, tamen uidentur diuerſi & cõtrarij. Primò eſt priuatio omnimoda capillorum: quæ ſiue ſit Alopecia, ſiue Ophiaſis, ſiue caluitium, nunc non dicam, ſed infra. Secundò eſt tumor quidam præter naturã, cum cruſtis

& pustulis apparentibus. Est ibi raritas, & ideò etiam priuatio capillorum. Primò uidentur esse affectiones contrariæ. Defectus pilorum solet esse ex nimia siccitate. Crusta & ἀχῶρες proueniunt illi ex deprauatione humorum. Causæ igitur horum considerandæ. Primò quo ad priuationem pilorum, dico hanc nullo modo esse posse ex siccitate, sed ex redundantia aliqua mali humoris: & ab eadem causa prouenire has affectiones, scilicet à deprauatis humoribus. Nam pilorum conueniens materia, teste Gal. & meliùs Aristo. 2. de gen. animal. prouenit ex humore adusto cum quadam pinguedine, & substantia aërea: ubi talis materia deficit, deficit etiam materia pro pilis. Hîc illa materia non est talis qualis esse debebat, sed corrupta & deprauata. Eodem loco dicit Arist. quòd pili sunt paßio cutis, & requiritur etiã ad generationem pilorum temperamentum cutis: & ex superfluitatibus cutis tantummodo generantur pili, & non ex alia superfluitate: unde secundum cutim affectam afficiuntur pili. Ergò talis materia est propter duo: primò, quia ista materia non est idonea ad pilos generandos, sed corrupta: secundò, propter locum non bonum, quia temperies cutis est ualde humida, quæ non potest producere pilos. Nam & nimia humiditas & nimia siccitas prohibent generationem pilorum. Fortaßis contraria etiam quædam affectio est in ipsis meatibus, nam & horum ratione sæpe non nascuntur pili: sed hoc non est manifestum, dicamus tantum de ijs quæ apparent. Ergò hactenus habemus intemperiem cutis, & materiã malam, ratione quorum uidentur duo contraria fieri. Primò, priuatio pilorum in parte cõmissuræ coronalis, ubi

ubi plurimæ fiunt transpirationes uaporum. Euaporato plurimo humido propter amplitudinem meatuum in illa parte capitis, non potest materia aggregari. Gal. probat uapores diuersos effectus facere pro craßitie & materiæ & meatuum. Nam si possunt transpirare, nihil mali aut incommodi inde euenit in cute. Sed si uel propter craßitiem uel densitatem meatuum cutis non possunt transpirare, fit uel pruritus, uel scabies, uel ἀχῶρες. Ergò in illa parte suturæ coronalis ubi meatus sunt aperti, non potest illa materia detineri, sed transpirari, & nihil aliud incommodi facit quàm priuationem pilorum: non tamen Alopeciam facit, quia nulla ibi abrasio est cutis. Ophiasis est cum decorticatione cuticulæ, quia fit propter humores deprauatos. Alopecia etiam ex siccitate. Hic uidemus in hoc puero, ubi deficiunt pili, esse asperitatem: ergò est ab eadem causa, à qua fiunt crustæ. Nam ubi cranium est craßius & densius, ibi materia nõ potest transpirare, sed fiunt crustæ. Ideò circa posteriorem partem capitis apparent illæ pustulæ, & uidetur esse dispositio quædam proxima ad ἀχῶρας & tineam. Ergò hæ duæ affectiones licet secundum sensum uideantur diuersæ, tamen ab eadem esse causa uidetis, scilicet humoribus deprauatis & intemperie cutis, quæ in hoc puero est maxima. Sed utrum illi humores deprauati ibi generentur, uel aliunde deueniant, inquirendũ. Dico, utrunq; potest contingere: potest enim aliquando fieri, quòd nihil patiente cute, tamen materia ad illam demandetur. Sed in hoc puero uideo ipsum optimè esse dispositum quo ad habitum corporis, calorem, & omnes operationes: unde non uideo unde debeant multiplicari

humores tàm deprauati. Nam si humores aliunde demandarentur, & in membris naturalibus, ut hepate, splene, uentriculo &c. esset quædam mala dispositio, tunc circa cutē apparerent maiora symptomata: & nihil est quod magis attestetur dispositioni hepatis & lienis quàm color, quem in hoc puero uidemus esse optimum, clarum & lucidum, propter spiritus bonos & lucidos quos habet. Vnde non uideo, unde poßit deriuari humor ad cutim ex alijs partibus. Ergò dicendum quòd membrum intemperie laborat: & tunc contingunt duo. Primum, quòd alimentū etiam bonum transmissum ad cutem corrumpitur, quia membrum est distemperatum, & calor eius proprius debilitatus, & humidum radicale consumptum, & ideò non potest pars illa exercere suas actiones naturales, ut expellere, concoquere, attrahere &c. quæ sunt propriæ cuicunq; membro. Secundò contingit propter hoc, quòd scilicet sunt aliqua excrementa in uicinis partibus, quæ necessariò generantur in corpore humano etiam optimè disposito in omnibus quatuor actionibus: & hæc semper expelluntur ad partes debiliores. Ergò duo patitur incommoda hic puer, propter intemperiem cutis. Primò, quòd alimentum deueniens ad cutim nō potest confici: secundò, quòd partes uicinæ pellunt sua excrementa ad cutim tanquam partem debiliorem, ut solet in corpore humano contingere. Ergò in ipsa cute est affectus, & est intemperies cum materia. Non dixi quòd in principio contigerit intemperies sine materia, sed quòd ex defluxu illius humoris elisus est calor proprius illius partis, idcireò humidum radicale semicorruptum. Ergò habemus intemperiem pro-
pter

pter humores, unde & habemus quare loco pilorum generentur crustæ. Quid modò fuit in causa, quòd ad cutim magis transmissa est materia, quàm ad alias partes? Audio nutricem fuisse infectam, & generauisse pessimũ lac, uel propter intemperiem aliquam naturalem, uel aliàs propter malum regimen, ut solent istæ: unde incidit iste puer in febrem longam, quam habuit usque ad annum quartum. In ea ætate pueri solent habere maximam debilitatem capitis, unde etiam non possunt se bene erigere illo tempore, propter nimiam humiditatem, & etiam caput tunc temporis uidetur illis esse maius. Vnde plurimæ ægritudines capitis tunc temporis illis accidunt, ut sunt epilepsiæ &c. Et quia membrum imbecillum, natura defatigata longa ægritudine, fecit crisim circa quartum annum: nam quartus annus est criticus morborum chronicorum. Et sic materia transmissa ad caput. Non tamen adeò fuit imbecillum caput, ut materia reciperetur ad cerebrum, sed natura istius pueri existens fortis & ualida, expulit ad cutim partem ignobiliorem, & ubi semel incœpit occupare cutim, mansit ibi & imbibita est: & sic subsecuta est ophiasis in una parte, & crustæ in altera parte, ut uidetis. Habemus ergò causas propinquas & remotas huius affectus, & non contingit ratione alicuius membri principalis, ut solet plærunq; accidere in his fluxibus. Quibus ita suppositis, apparet statim quid possim iudicare de euentu huius ægritudinis. Credo quòd possit curari. Aegritudo est tantùm in parte, & non habet radicem, nec in cerebro, nec in partibus naturalibus, qnamuis possit quidem cerebro communicari nocumentum aliquod propter ui-

cinitatem, ſed tamen non inſigne: quoniam illud membrum eſt ſanum, cuius operationes ſunt ſanæ. Sed in hoc puero operationes cerebri ſunt ſanæ, ut apparet, ergò & cerebrum non eſt affectum. Sed tamen non facile poterit curari, quia intemperies illa eſt fixa & confirmata, & habitus iam factus, qui eſt difficile remouibilis à ſubiecto in quo eſt, ut & logici dicunt: durauit à quarto anno uſque ad xiiij. Sunt ergò decem anni: ſed tamen poteſt curari. Natura rei indicat nobis curationem conuenientem. Nos ſcimus, quòd ubicunq; eſt aliquid præter naturam in loco, Medicus debet attendere an hoc pendeat ab alio, an non. Si ab alio, illud erit curandum: ſin minimè, accedendum ad locum. In hoc puero nullum membrum eſt deprauatum, & ideò non credo eſſe opus curatione membrorum mandantium. Et ita tollimus totam illam hiſtoriam. Ideò credo, quòd non multùm debemus laborare circa euacuationem. Bene uerum eſt, quòd tutius & ſine diſpendio erit, quòd totum corpus anteà euacuetur, ſed non multis euacuationibus, quia corpus eſt bene præparatum. Ergò euacuetur aliquo modo, & præcipuè cùm ſimus in uere, in quo etiam ſana corpora purgari ſolent. Leniatur ergò uenter cum Caßia & Hiera. Infrigidetur corpus, & ideò ſyrupi ſint non admodum eleuati in caliditate, nec ita inciſiui. Nam illi humores ſunt ſalſi, quod teſtantur cruſtæ, quæ non fiunt niſi ab humoribus calidis & aduſtis. Ideò autem non nego eſſe pituitam etiam, ſed tamen dico quòd etiam aduſtos humores habet, præcipuè cùm ſit calidi hepatis, ut apparet, & temperatura declinet ad calidum & ſiccum, & fortaſſe nutrix generauit in illo humores

mores calidos, & solet bibere uina calida, & fortasse etiam habuit malos & corruptos humores: & utinam sciremus etiam aliquid de hoc, Deus nouit. Ergò darem ego syrupum de Cichorio, uel de Endiuia. Vel ita facerem: darem syrupum de Cichorio, & locò aquarum, serum lactis caprini darem: hæc facerent apertionem, abstersionem, & etiam infrigidarent: & credo hoc genus syruporum esse optimum pro hoc puero. Pro pharmaco darem Agaricum cum Caßia, quod est medicamentum conuenientißimum, & potest educere omnes humores. Factis euacuationibus omnis spes mea (ut ingenuè dicam) esset circa localia, & rectificarem intemperiem cutis. Calor est elisus & suffocatus, & tollendi sunt humores praui. Primò igitur amouendi humores qui sunt in ipsa cute, scilicet exiccantibus. Secundò confortarē cutim, ne ampliùs reciperet uel excrementa membrorum, & conficeret proprium suum alimentum. Confortatur autem calor cum moderatè calefacientib. Remoueantur humores illi mali abstergentibus, et exiccantib. Chirurgus fricet locum uel cum pannis asperis, uel cum Scylla: sed cum pannis asperis condensantur meatus: frictio cum Scylla est mitior, & maximè confert. Et posteà fiant lotiones quæ subtiliùs penetrant, & magis in profundum. Adderem & Sulphur, sed cum lixiuio acri, in quo esset Nitrum & Sulphur: in principio enim non est statim utendum astringentibus. Posteà facerem etiam linimenta abstergentia, ut est oleum Amygdal. amararum, cum Iride, Centaurio minori & maiori, & Gentiana, Pane porcino, item Clematide altera, & Aristolochia rotunda. Factis abstersionibus, leniter

exiccandum & confortandum, & tunc deuenire possumus ad illa quæ recipiunt Alumen, & etiam Calchantum, si opus esset maiore exiccatione. Factis mundificationibus credo quòd pili per se generabuntur. Sed si non oriantur, confortarem locum, & nihil magis expediens ad hanc rem quàm linimentum factum ex oleo Amygdal. dulcium, Ladano, & capillis Veneris puluerizatis, & ponatur super locum: nam plurimùm facit ad pilorum generationem, et ad tollendum, quidquid est circa radices pilorum. Oleum Amygd. dulcium humectat cutem, si forte ex medicamentis superioribus nimis exiccata esset. Et hæc sunt mutanda prout uidebitur, & affectio mutabitur. Victus sit exquisitus, quia hic maximam partem curæ sibi uendicat. Sic puto emendari posse, Deo uolente, hoc uitium.

Consult. XCVII. De morbo Gallico, podagra & hectica, vnà cum pruritu maximo.

MVLTA sunt symptomata in hoc nobilißimo uiro, tria tamen sunt præcipua, quæ ueniunt consideranda, & de his etiam maximè conqueritur: ideò de his dicam, reliquis prætermißis: tamen ea etiam ut signa quædam & causas referam. Prima dispositio præter naturam sunt dolores podagrici, & tumores circa partes extremas pedum & manuum. Secunda, consumptio totius corporis. Tertia, pruritus uehementißimus, & maximè circa extremas partes & pudenda. Et quia nullus morbus nec cognosci nec curari rectè potest nisi ex cognitione suarum causarum, ideò singularum naturam & causas uidebimus. Primò dolor & tumores necessariò

riò proueniunt ab aliquo defluxu materiæ, & sic habent omninò causam aliquam materialem: & in hoc semper quatuor concurrunt. Primum, locus qui patitur. Vbi considerandum, an patiatur per se, an per consensum. Secundum, materia quæ defluit. Tertium, unde deueniat. Quartum, per quas uias. In dolore podagrico si hæc quatuor rectè considerentur, Medicus poterit & rectè prognosticari, & rectè etiam curare. Primò quo ad locum, an hic defluxus & dolor sit ratione loci affecti? Dico, quòd locus ipse principaliter afficitur, sunt enim ibi omnia præter naturam: nam corrupta est figura membrorum & forma, & destructa est quantitas, nam tumor est insignis: item est solutio continui in illis partibus, & ista omnia procedunt à mala temperatura, cui insint tot malæ compositiones. Ergò hæc loca cùm sint extra naturalem suam dispositionem, sunt affecta, & sic nec attractio, nec concoctio, nec ulla uirtutum naturalium fortis est. Item est impedimentum in uirtute motiua, et sic secundum omnem modum, compositionem & temperaturã, patiuntur illa membra. Et uideo quòd quamuis ad illa loca nihil affluat aut demandetur, tamen non esse sana, sed corrumperetur etiam nutrimentum influens optimum. Secundò, perpetuò influit materia, unde dolor semper renouatur per xv. dies, ex accessu scilicet nouæ materiæ: & hæc materia inquirenda est. Et plærunq; quælibet materia podagræ est duplex, pituitosa & biliosa, cum aliqua parte sanguinis. Vnde uidemus podagricos primò rubescere, deinde autem tophos illos & materiam fieri albam. Ergò supponatur nunc talis materia, & infrà etiam probabo. Et intelligo

bilem

bilem, tum eam quæ est ex permistione pituitæ, et etiam uitellinam, quæ ex adustione. Tertiò, unde deueniat ista materia quæ influit. Ex habitu corporis, et propria eius temperatura, & etiam ratione uiuendi hoc colligi potest. Primò est calidi & sicci hepatis, & talis natura duo solet maximè pati: primò, quòd in uentriculo generantur plurima excrementa pituitosa: cùm enim habeat graciles musculos abdominis, & inde priuatur instrumento calefaciente uentriculum, & sic plurimæ pituitosæ superfluitates generantur propter imbecillitatem uentriculi, & coctio uentriculi fit elixatione, id est, humido calore, non sicco, & præternaturali. Et conqueritur ipse quòd habeat tarditatem concoctionis, & cùm sit concoctio diminuta, erit ex frigiditate. Quoad hepar, est calidum, & hoc clarum ex pruritu & habitu corporis, & usus est multis exercitijs & nimis potentibus, & uixit in otio, unde aggregati multi humores, qui non potuerant dissolui suo consueto exercitio: præterea Medici malè eum curarunt, mittendo in tẽpore calidißimo ad Thermas. Et licet bibit aquas de Villa, quæ sunt frigidæ, tamen Gal. dicit quòd omnes Thermæ exiccant, licet sint frigidæ. Item totum cerebrum est deductum ad dyscrasian ex illo stillicidio, ut Gal. 6. de tuen. ualet. describit incõmoda illa quæ sequuntur ex intempestiuo usu illorum, quæ uidemus etiam hîc, ut Gal. in eo loco descripsit, scilicet maxima destillatio, & fluxus diarrhicus. Hæc destillatio per neruos defluens, facit dolores, hepar generat biliosos humores, uentriculus frigidior pituitam, & cerebrum etiam catarrhum facit, cuius calor consumptus est ex illis embrochis: & licet

licet habuerit naturalem temperiem cerebri calidam, ut apparet ex facie Mercuriali &c. tamen ex cõsumptione huius caloris naturalis est factum frigidum, & facta quædam dispositio senilis, ut rectè dixit Excell. D. Quartò, per quas uias deueniat iste fluxus. Dico quòd habet omnes uias, & uenas & arterias latas, quia cor est calidum, est enim animosus. Et est adhuc signum manifestißimum, quia scilicet excernit plurimum de urina, etiamsi modicè bibat, adeò ut mirum sit, & uix uiderim in aliquo tantum urinæ. Et hoc fit propter duo: primò, propter latitudinẽ uiarum, & aliam causam quam mox dicam. Ergò cùm cõcurrunt hæc quatuor, necessarium est talem materiam defluere ad locum. Quoad tabem & consumptionem corporis, unde sit. Ego dicam opinionem meam. Quia cùm sit consumptio maxima, & non tantùm humidum nutrimentale, sed etiam substantificum consumatur, necesse est quòd uel aliquid sit in membro, ut est uel caliditas in signis, uel frigiditas & siccitas &c. & sic potest accidere corruptio: licet nutrimentum aduenìens sit bonum, et sic membra sunt imbecilla, ut non attrahant nutrimentum, & ita fiat atrophia. Vel ista consumptio potiùs est propter malum nutrimentum & corruptum, demissum ad membra. Dico quòd in hoc corpore & ægritudine, in causa illius consumptionis sunt deprauati humores, quia in hepate sunt calidiores, in uentriculo salsi: & causæ fuẽrunt plurimæ. Primò caliditas hepatis: secundò morbus Gallicus, in quo quæcunque sit intemperies, semper humores sunt adusti. Et signum est, quia præterquàm quòd maciem & dolorẽ, habet etiam deprauatißimum colo-

colorem: & talis est color, qualis humor. 4. de tuen. ualet. Ergò cùm uir ille patiatur morbum Gallicum, & adsit caliditas hepatis, unde deprauati humores generãtur, & generati etiam sunt iandiu, hæc etiam causa est pruritus. Sed etiam credo quòd illa membra calida & sicca, sint reddita calidiora & sicciora seipsis, et quòd posteà sint facta frigida & sicca, ut Galenus, tũ ex progressu ætatis, tum ex illis exercitijs, Venere, thermis, &c. Et sic quia extrema membra etiam sunt affecta, ideò duo concurrunt: primùm, deprauatum alimentum: secundum, membra quæ non recipiunt suum alimentum. Et quod maximè alimentum corruptum sit in causa huius exiccationis, habeo signum hoc: quia illa membra, quæ sunt prope uentriculum & uentrem inferiorem, non sunt ita exiccata, quia illa membra exaturantur ex meliore parte alimenti, & ideò illa membra naturalia non sunt ita affecta, ut membra remotiora. Et hinc sequitur, quòd non sit illa tabes ex corde. Hoc probo ex tribus: primò, quia pulsus non est ita durus: secundò, membra circa uentrem inferiorem non sunt ita affecta: tertiò, in arterijs non est magna imbecillitas. Et cùm Gal. dicat secundo de causis pulsuum, quòd in tabe cordis necessariò cadit uirtus: ergò non credo quòd sit hæc tabes ex corde exiccato, sed propter duas causas iam dictas. Quoad tertium, pruritus habet facilem causam, & agnitionem causæ. Nam stantibus, maxima deprauatione humorum, & hepate calido, & cerebro & uentriculo tali, ut generent plurimum pituitæ, quid mirum? Nam pituita si aduratur, fit salsa, & potest etiam ex putredine fieri ista pituita salsa. Duæ enim hæ sunt causæ putredi=

putredinis pituitæ. Ergò cum hîc sit caliditas ignea, & pituita facile putrescat. fit scabies: & secundum maiorem & minorem adustionem, fiunt illæ affectiones cutis. Et hinc etiam senes faciliùs patiuntur pituitam, & immedicabilem, quia in senibus sunt plurimi humores salsi & adusti. Habemus igitur causas horum triū symptomatum. His ita se habentibus unum dicā circa Prognosticum. Quoad podagram confirmatam non uideo curationem. Quantum ad humorem affluentem, si possemus corrigere membra mandantia, possemus etiam prohibere affluxum horum humorum. Quoad euacuationem idem dicendum, quia pendet ab eadem causa: & si possemus emendare illa tria membra, fortasse iuuare possemus. Quoad euacuationem, utrum debeamus procedere cum balneis? Et non immeritò facta est difficultas & dubitatio inter Excell. Doctores. Quia si possemus nutrire corpus, & augere humidum in hoc corpore, ego crederem quòd reliqua etiam faciliora essent. Quæ uia ergò melior? Propositus est & usus lactis, & apertio meatuum &c. Sed quoniam illa humectatio fieri non potest, nisi fiat attractio nutrimenti ad membra, & oportet ut penetret, & ut calor membri qui est elixans augeatur, ideò debet augeri calor membrorum, & corroborari, ne tamen fiant membra ita laxa, ut non poßint humiditatem concoquere & dilatare. Et ideò Galenus optimè uoluit fieri balneum, licet balneum difflare faciat. Ideò etiam uoluit quòd subitò post balneum debemus uel irrorare corpus aqua frigida, uel inungere oleo quodam constipante, ut alimentum retineatnr. Et sic ego non uideo quomodo ista balnea poßint impedire ope=

operationes nostras: primò, quia corroborant membra, & attrahunt alimentum, & colliquant excrementa, et sic fortasse iuuabunt etiam podagricos dolores, quia illa membra non nutriuntur, sed habent excrementa plurima cruda. Et *non semper ista balnea faciunt defluere humores, si non sint humores multi: & quamuis aliquid defluat, potiùs erit ad bonum.* Et *sicut* Gal. *de oxymellite dicit, idem etiam de hoc auxilio dicere possumus, nullum præsidium tàm bonum esse, quin habeat aliquod nocumentum.* N*olite ergò ita abhorrere ab his balneis.* Et *sic post balneum applicarem oleum rosaceum simplex, quod confortat, & prohibet, ne corpus resoluatur laxatum per balneum.* S*unt etiam aperiendi meatus intrinseci, non extrinseci.* De *lacte mihi summopere placeret post euacuationem, sed non mulieris, licet hoc sit conuenientißimum ad alendum, propter salacitatem, quia est salacißimum.* S*yrupum darem ex sero caprino, & imponerem oxymel, & mel ros. pro corroborando uentriculo.* R*hasis dat v. hem. oxymellis.* C*aßiam laudarem cum syrupo ros.* D*ari posset lignum, & aqua ligni: sed lignum non sit exiccatum.* P*rimò euacuetur, posteà detur lac, & corroboretur calor innatus.*

Consult. XCVIII. De utriusq; cruris contractione.

LONGA *est historia rei, sed summa fastigia rei sequar.* V*num est summum & præcipuum quod habet hæc nobilißima* Domina, *& hoc considerabimus diligẽter, & reliqua omnia sibi inuicem succedent ex hoc re*

ctè

ctè considerato. Primum est, quòd habet contractionem in utroque crure, quòd non possunt se extendere. Item habet imbecillitatem, quòd non potest se sustinere, & manere in illo situ. Et ita sunt hæc duo, imbecillitas, & illa contractio. Accedit tertium, & est diminutio sensus circa crura: & dicit, quòd si quis tangit illam in crure, uidetur sibi quòd tangat rem alienam, & non suam carnem. Hæc tria sunt consideranda, secundum suas formas & causas. Quoad contractionem, quæritur, in quo genere morbi sit collocãda. Habet quidem hæc contractio complexionem corruptam, sed principaliter affectio est in compositione, & uitiata est præcipuè figura scilicet ipsius nerui: cùm enim debeat esse longus, est decurtatus, & ita amisit propriam formam. Et cùm in longitudine corrupta sint uitia, quæ ad quantitatem pertinent, & etiam ad figuram, cùm est correpta & abbreuiata chorda, ita quòd nihil est amissum de substantia, non possumus dicere quòd sit uitium in quantitate, sed in figura, quia neruus est decurtatus. Secundò, imbecillitas sensus est actio læsa. Huius autem symptomatis causam, id est, morbum oportet inquirere. Huius actionis læsæ ratio formalis est ipsa frigiditas, quia sensus est diminutus: diminutio autem fit à frigido, corruptio autem à calido. Tertiò, imbecillitas uirtutis sustentatiuæ, quemadmodum est naturale officium in ambulando, est etiam actio læsa, & habet suam ægritudinem. Reducenda igitur ad idem, scilicet ad frigiditatem, secundum principiũ suprà dictũ, quod omnes actiones diminuũtur à frigido. Ergò illa frigiditas facit, quòd uirtus illa motiua & sensitiua non potest deuenire ad locum, siue spiritus, siue

uirtus

uirtus transmittitur, de quo nunc non disputabimus. Ergò hæ sunt essentiæ & causæ formales huius morbi. Nunc uidendæ causæ & coniunctæ seu propinquæ, & remotæ horum morborum, & tunc statim apparebunt indicationes curatiuæ: hæ enim sumuntur à natura rei rectè agnita & percepta per suas causas. Causam propinquam contractionis crediderim ego, quòd sit aliqua materia frigida, quæ per longum tempus in loco frigido crassefacta est & indurata, ut & hoc mane diximus, quia materia illa secundum diuersitatem locorum & efficientium uariè afficitur. Nam quando hæc materia deuenit ad medium musculi, facit abscessus: si ad caput musculi, facit conuulsionem seu spasmum: quando autem deuenit ad chordas ultra musculum, nõ facit acutum dolorem, nec conuulsionem, & motus illos spasmosos, quia sensus in chorda non est ita acutus: sunt enim chordæ ordinatæ à natura, ad motus fortißimos obeundos, ideò habent ligamenta plurima, & habent etiam chordæ neruos obtusioris sensus. Et hinc nerui ad motum sensitiui, qui magis ad medium declinant. Et ideò materiæ deuenientes ad chordas, faciunt quidem deprauatam figuram, sed non motus conuulsiuos, & sic fit quasi quidam abscessus in chordis. Nam primò imbibitur materia pituitosa, quæ in principio est subtilis, sed propter frigiditatem loci congelatur: si enim materia in intestinis existens ita congelatur, ut fiat quasi tophus & crystallus, quantò magis in chordis tàm frigidis poterit talis materia indurari & congelari? Nam illa induratio & congelatio tàm à frigido, quàm à calido fieri potest, ut sæpe iam dictum est, & hoc obseruasse multùm refert ad

cu-

curationem. Materia ergò illa ad chordas ueniens fuit indurata & congelata, & inde chordæ illæ sunt factæ breuiores, sicut & in citharis chordæ cùm imbibuntur aliquo humido, corripiuntur, & etiam franguntur. Ita fit & chordis in humano corpore. Cùm ergo chordæ corripiuntur, contrahunt membrum, quia chordæ terminantur ad ipsa ossa, ut illa moueant, & sic etiam fit contractio oßis ad suum principium, quia chordæ intrinsecæ ab illo humore imbibito sunt factæ breuiores. Hæc est causa proxima & coniuncta illius contractionis sustentatiuæ. Proxima autem causa imbecillitatis illius sensus, & uirtutis sensitiuæ, est eadem illa materia frigida. Nam Gal. 5. de loc. affect teste, cùm materia illa deuenit ad neruos cutaneos, impeditur sensus, & non motus: & contrà euenit cùm opposito modo contingit. Hæc autem materia propter suam multitudinem non solùm in chordis est, sed etiam deuenit ad neruos deferentes cuti sensum, & inde uirtus sensitiua debilitatur ab eadem causa frigida & humida, secundum diuersas partes. Et hoc quantum ad causas formales & materiales proximas. Sed quæ sunt causæ remotæ, quæ fouent has causas propinquas? Et hîc est ingens chorus, & uidentur omnia membra conspiraſſe in perniciem huius mulieris. Audiui quòd hæc mulier, antequàm traderetur marito, fuit sanißima & boni habitus, & nullam planè habuit ægritudinem aut læsionem, nisi quòd in brachio aliquando habuit absceſſus, qui per se euanuêrunt: unde ego potiùs iudicauerim eiusq; sanitatem, & bonam corporis constitutionem, quàm aliquam infirmitatem, quia abundauit plurimo sanguine, nam expulit superfluũ: &

hoc patet ex eo, quia facile materia illa resoluebatur: ideò non fuisse materiam illam malignã, sed laudabilem, aliàs non tàm statim recessisset talis abscessus. Nullum itaq; membrum in ea fuit læsum, quia nulla operatio fuit læsa, sed optimè exercere potuit omnes. Et ideò non possum dicere, nec cerebrum, nec uentriculũ, nec ullum aliud membrum in ea affectum fuisse. Posteà autẽ tradita uiro secundum omnẽ dimensionem magno & robusto, & fuit puella xiij. annorum, quæ adhuc crescebat (Arist. uoluit puellas non debere nubere ante xviij. annum, & adolescentes ante xxviij.) Cùm ergo in illa ætate crescente emiserit semen, cùm ipsa adhuc indigeret illo semine ad proprium nutrimentum, & fuit coacta illud quod sibi erat necessarium, excernere, & etiam concepit, unde est infrigidatum corpus, quia fœtus attraxit sanguinem pro sui nutritione, & etiam post abortum nõ est bene purgata: non ergò mirum si uterus affectus est, & totum corpus exinanitũ. Et uideo illam habere membra parua, quasi non peruenire potuerit ad perfectam magnitudinem. hinc igitur maximè uterus est affectus, & hinc habet fluxum menstruorum alborum, & uarias etiam post abortum habuit ægritudines. Vtero autem cõsentire & uentriculũ & cerebrum, notum est Excell. uestris. Nam & œsophagus, & os uentriculi, et cor, conuelluntur & afficiuntur propter uterum: nam uterus consentit cordi, & propter multas arterias, & etiã mediante ore uentriculi. Et sic credo ego quòd principalis affectio est uteri uitium, quia uterus primò læsus est, antequàm alia membra afficerentur, ut suprà dictũ est, & maximè cùm in febre secaretur ei uena, & punctus

ctus est neruus, unde secutus est spasmus, & conuulsio in brachio: & conuulsio quidem curata est, sed neruus non est curatus, permansit enim imbecillitas illius nerui, ita quòd adhuc in omni plenilunio & nouilunio (quia tum luna dominatur humoribus, et in his temporibus maximæ fiunt mutationes) fit illa contractio, ex motione scilicet humorum, quæ fit in his temporibus ad illum locum debilem. Et hîc diligentißimè erit unum attendendum: num etiam sensus interior labefactetur. Et audio tum ex fratre eius, tum ex alijs, quòd circa finem cõuulsionis accidit ei abalienatio & deperditio sensus: id quod ego diligenter noto, & est etiam notandum: & dico hîc nullo pacto posse esse epilepsiam, quia epilepsia est spasmus uniuersalis corporis, & ita differt à spasmo, quia est motus uniuersalis, et facit uniuersalem contractionem, & non in aliqua parte: sicut & apoplexia est in toto, paralysis in parte: proportionantur enim sibi hæc. Ergò cùm hîc sit contractio tantùm unius membri, scilicet brachij, & non totius corporis, et in epilepsia in principio amittitur sensus, in fine autem redit sensus, propter obstructionem quæ pedetentim resoluitur: in hoc autem casu in fine fit deperditio sensus, ergò dico quòd non potest esse epilepsia. Et ego sæpe uidi, & puto etiam uos hoc obseruasse, quòd omnes qui patiebantur spasmos ex uulneribus, quòd delirabant in fine, & amittunt sensum cerebri, propter magnum consensum illius membri cum cerebro. Fit autẽ hæc deperditio sensus in fine, quia deterrentur, & fit aliqua resolutio spirituum, et sic amittitur sensus in fine. Si esset epilepsia, magis deberet fieri in principio, quia tunc obstructio

maior: ergò credo quòd sit mera contractio & conuulsio. Sunt ne aliæ causæ & remotæ illius contractionis in cruribus etiam? Dico quòd est & cerebrum & uentriculus, et sic totum corpus refrigeratum, unde pituita in uentriculo multiplicatur propter frigiditatem. Item cerebrum generat pituitam et catarrhum propter frigiditatem. Et quia anteà fuit calidum & siccum cerebrum, nunc autem frigidum & siccum est, et ideò parum dormit: & diximus sæpe, quòd cerebrum frigidum & siccum facit maximè catarrhos, si quid aliud. Et sic uidetis quemadmodum omnia membra naturalia conspirant in hoc, & facta est non solùm mala complexio hic, sed etiam compositio uitiata: nam est ibi tumor & tensio circa hypochondria, et sic non mirum fieri hæc symptomata. Et sic uidetis quomodo ratione eorum quæ suprà proposuimus, omnia dicenda erant, & causæ propinquæ & remotæ. Nihil dicam de medicationibus malis, quibus hæc mulier afflicta est.

De prognostico. Dico quòd difficilis erit cura. Hippoc. de morbis mulierum dicit, quòd menstrua alba ultra sex menses non curantur, quia totum corpus in his infrigidatur, et tabidæ fiunt, et nunquam habent sanguinem, & facies earum apparet semper plena quodam muco, et oculi sunt his concaui, et uidentur habere quendam circulum nigrum, propter paucitatem spirituum & boni sanguinis. Item cerebrum & uentriculus sunt affecta. Et sic uidetis in qua difficultate simus. Quoad curam, intentio principalis est, ut poßit seipsam erigere & ambulare: ideò illa contractio erit remouenda: sed hoc fieri non potest, nisi remoueantur materiæ

& causæ

& causæ propinquæ. Hæ autem nõ remouebuntur, nisi priùs remotæ remoueantur, id est, mala complexio membrorum. Ergò sunt alteranda membra, et etiam totum. Hoc autem fieri non potest, nisi priùs euacuetur totum. Et secundum resolutionem sequitur, quòd ab illo incipiendum, quod ultimò inuentum est. Primò ergò euacuanda materia pituitosa, & priùs incidatur & abstergatur & præparetur, ut cum syrupo ex aceto forti, & alijs incidentibus & calfacientibus, ut Byzantinus, quo miror cur Medici nostri non utantur. Euacuatio potest fieri cum Agarico, et alijs in quibus ingreditur Agaricum, uel pillulæ Cocciæ, aggregatiuæ, confect. Hamech, Hiera Logadij, Hiera Archigenis, prout est parata. Euacuato capite, si uidebitis quòd materia deueniat à capite, quamuis ego non quærerem multam euacuationem capitis, ne magis exiccarem caput, et sic maiores inducerem uigilias, igitur non multum laborarem circa caput, ut ingenuè fatear, et puto etiam caput non esse ualde affectũ. Et licet aliquæ distillationes defluant per nares, tamen credo quòd hoc potiùs fiat per consensum inferiorum partium, quàm quòd sit ibi multa materia, & quòd generetur ibi multa materia ratione cerebri. Tandem tingantur membra inferiora cum aquis Apponitanis, quia calefaciunt & exiccant. Item abluantur hoc balneo: et si timemus superfluam resolutionem, interdum apponatur aliquod molliens, ut adipes, non cum Diaquilon, quia sunt in eo quædam gummata, quæ nimis sunt fortia. Accipite oleum Amygdal. dulcium, uel butyrum recens: hæc enim non sunt inueterata, ut de his poßimus esse certi. Item laudo lutum magis quàm:

foueas: quia quò materia est densior, eò magis influit & hæret magis: sicut etiam amara magis aperiunt quàm acria, tamen propter motum, aliàs magis acria aperirent, quia calidiora.

De dislocatione & contractione sinistri curis.

LICET patiatur in utroq; crure, nihilominus quia sinistrum longè magis est affectum, & trahere uidetur ad se totam curationem, ideò de eo priùs agemus. Circa sinistrum crus uidemus duo: primò contractionem neruorum & chordarum, secundò quandã dislocationem leuem fibulæ circa partem exteriorem cruris. Difficultas circa fontem huius morbi est, qui iudicat totam curationem, ideò natura morbi inquirenda, quia ab hoc pendet omnis indicatio agendi. Natura autem morbi cognoscitur per suas causas proximas, ut omnia: nam natura cõsistit in materia & forma uniuscuiusq; rei. Videmus dislocationẽ & contractionẽ: quæritur, utrum contractio proueniat à dislocatione, an contrà dislocatio à cõtractione, uel an utrunq; seorsum se habeat, ita ut nec dislocatio sit causa contractionis, et contrà. Dico quod sentio. Credo non esse necessariã consequentiam, ut sit facta contractio ob hoc, quia os sit dislocatum: quia uidemus sæpe ossa esse dislocata, et non esse contracta, sed habere situm membri in linea recta: et hoc sæpißimè uidemus. Deinde uidemus etiam sæpe fieri contractionem sine aliqua dislocatione oßis. Deniq; & hoc etiam sæpe uidemus, membra scilicet quædam contrahi, in quibus nulla planè apparet dislocatio oßium. Ergò non uidetur sequi necessariò alterum ad alterum, sed sunt separata, & ha=

& habent proprias causas: sunt tamen ita, quòd facile alterum consequatur ad alterum. Quòd autem non fuerit facta dislocatio à contractione in hoc casu, uidetur ex hoc, quia habuit brachium contractum, non tamen dislocatum fuit. Ideò cùm contractio fuerit in brachio sine dislocatione, credendum quòd in crure etiam fuerit contractio facta sine dislocatione. Et si est dicendum, alterum esse causam alterius, potiùs dicerem contractionem causam esse dislocationis, quæ est in parte extrinseca. Et huius rei habeo coniecturam hanc: nam contractio incœpit in brachio eiusdem lateris, et dislocatio est in partibus exterioribus. Materiæ autem semper exteriorem partē occupant, cùm descendunt à superioribus ad inferiores musculos & chordas, ut etiam in sciatica uidemus: nam in hac semper est dolor in exteriore parte, inde etiam dicitur uena sciatica illa quæ est in parte exteriore. Sed si fit descensus in interiorib. partibus, & interiora membra afficiuntur, semper decumbit nocumentum ad partem intrinsecam, ut in affectibus interni uentris semper partes interiores offenduntur. Et ita si alterum esset dicendum esse causam alterius, tunc dico quòd potiùs contractio illa quæ facta est in chordis musculorū extrinsecis, remouerit os illud fibulæ à proprio suo situ. Cùm enim chordæ alligentur oßibus mediantibus ligamentis, quando retrahitur chorda, simul retrahitur etiā quod adhæret: si adhæret os & trahitur chorda, ergò & os trahitur ad eundem situm. Et cùm contractio fuerit in parte exteriore magis, et os quoq; luxatum est in parte exteriore, dicerem ego contractionē causam fuisse, ut etiā facta fuerit dislocatio. Non tamen

nego quòd ex dislocatione oßis distorquentur omnia uasa, & fiat obliquatio neruorum, & sic per consequens aliqua contractio, sed tamen ea est exigua. Ista autem contractio quæ hic est, plurima sanè est & maxima, & non potest esse ex sola dislocatione oßis, quæ admodum exiguam facit contractionẽ. Et ex his concludo & credo, contractionem hanc non pendere ex dislocatione. Et sic habemus morbum. Causa. Contrahuntur musculi, quia aliquid est in capite musculorum, ubi maximus est sensus, & ideò fit acutißimus dolor à quacunq; uel inflammatione uel alteratione temperaturæ, siue exiccentur, siue humectentur nimiũ illi musculi, siue mordicentur: unde fiunt tres illæ species spasmi, quamuis Galenus nõ uideatur ponere nisi duas, tamen 8. κατὰ τόπους tertium spasmum ponit ex mordicatione rei acris siue materia, quem uocant non proportionatum ad materiam. Fiunt igitur spasmi ex tribus istis causis: est enim uel materia contrahens caput musculi, et implens, & extendens, aut quia exiccetur, aut quia mordicetur à re mordente, ut à ueneno &c. Non credo membrum contrahi ab aliquo istorum, & ideò potiùs dicerem quòd hæc conuulsio quæ ab his tribus causis, facit quendam motum, estq; cum motu quodam præter uoluntatem. Hic autem in hoc nostro casu nullus est motus, ergò non potest dici spasmus uel conuulsio, quæ est quidam motus deprauatus, & à re præter naturam factus. Ergò, quia non habet formã spasmi, non est dicendus spasmus hic affectus. Hic est contractio quædam, & sæpe contrahuntur membra sine spasmo, quando scilicet non in capite musculi, sed in chordis est materia pituitosa, quæ abbreuiat chor-

dam,

dam, & induratur ibi materia, unde non poßit extendi chorda, ſed fit breuior, & tendit ad ſuum principium. Non autē eſt tantus dolor, quia chorda non eſt tàm magnæ ſenſibilitatis ut neruus: plura enim habet ligamenta quàm neruus, & ideò non ita ſentit, ut caput muſculi: & etiam, quia iam facta eſt intemperies, & eſt in habitu, ideò nō fit amplius dolor, quia materia iam eſt quieta, & infixa, ac imbibita, ideò fit illa contractio ſine motu & dolore: & cùm chorda ita contrahitur, contrahitur etiam os, & nō poteſt fieri linea recta. Et tales contractiones ſæpē contingunt etiam in alijs partibus corporis, ut in collo: & plures uidi, qui haberent tales contractiones per totum tempus uitæ ſuæ, ſine omni dolore. Credo igitur quòd hæc cōtractio eſt facta in crure propter humorem frigidum pituitoſum deſcendentem ad illam partem: & non eſt mirum, quia fuit & catarrhus primò ad partes gutturis, ſecundò deſcendit ad brachiū, tertiò ad crura, quia grauis eſt proprium deſcendere, & factus ibi tumor & contractio, qua nunc laborat. Succeßit dislocatio, ſiue à cōtractione chordarum extrinſecarum, ſiue habeat cauſam propriam: nam dum deſcendit materia, relaxat, & in iuncturis facit luxationes & lubricationes, & ligamenta etiam imbibuntur illo humore, & ipſa etiam relaxantur, et hinc fit illa lubricatio. Cùm enim anteà ibi ſit pituita tanta, quanta requiritur pro motu faciliter obeundo, ſi hæc pituita ſit nimis multa, relaxantur illæ iuncturæ, et maximè ſi ſuccus crudus aduenerit. Vnde illi in quibus redundat pituita circa partes, ex ſola lubricatione pedis, incidunt in dislocationes maximas. Ego noui nobilem matronam

Venetijs,

Venetijs, quæ ex ſolo caſu in terram dislocauit oſſa genu & totum crus: eſt pituitoſa & pinguis mulier, & redundans humiditatib. Et hæc eſt cauſa, materia eſt indurata, et congelata pituita in illis partib. Induratur autẽ pituita uel propter frigus comprimens & cõgelans, uel propter caliditatem reſoluentem & excoquentẽ. Ego magis credo materiã hîc induratam eſſe propter frigus congelans, quia materia eſt in frigido loco, ſcilicet iuncturis & chordis, ideò materia eſt exiccata & indurata à frigido, et non à calido: & hoc præſcire plurimùm cõfert ad curationẽ. Et credo quòd hic uir habeat hunc morbum planè diſproportionatũ ſuæ materiæ & naturali temperamento: eſt carnoſus, habet amplas uenas, muſculos robuſtos et magnos, et ita credo quòd habeat inſignẽ caliditatem hepatis, et ſic nec ratione temperaturæ, nec ratione uitæ, quia habuit plurima exercitia, potuit aggregare pituitã multã: uſus enim uictu exiccante in naui, ut pane bis cocto, uino fortiſſimo, quib. ſolent uti in nauib. quia diutiùs durant, & ſic potiùs generati humores aduſti quàm frigidi. In altero crure habet ulcera, & hoc eſt proportionatũ ſuæ naturæ & complexioni, quia eſt color niger, et ulcus eſt ſubnigricans, habens cruſtã exiccatã, quia ex aduſtis humorib. Et hæc ulcera & intemperies occupauit partẽ dextram ſeu crus dextrũ, cùm tamẽ ſi ab extrinſecis cauſis habuiſſet ortũ hæc exulceratio, potiùs in parte ſiniſtra eſſe debebat: quia ibi erant cõpedes, et dolor attrahens, & membrũ debilius. Sed quia membrũ mandans eſt in parte dextra, ſcilicet hepar generans hos humores aduſtos & acres, ideò eſt illa exulceratio facta in crure dextro, propter

ſitum

situm membri mandantis, & symbolum cum hepate. An poßit curari? Vbi materia est indurata, & facta tanquã lapis, & in loco frigido, scilicet iuncturis, difficile resoluitur & non bene patitur emollitionem aut resolutionẽ. Locus est frigidus, profundus, materia inobedientißima, casus non facilis: credo tamen quòd aliquid poterit inchoari. Sed cum quibus? Intentio principalis est, ut resoluatur illa materia in illis partib. contenta, alterare membra: & hæc esset uera curatio. Sed hoc non potest fieri, nisi alia primò fiant. Nam resoluentia magis indurabunt materiam, extrahendo omne illud quod est tenue & humidũ: ideò primò erit materia illa humectanda cũ calefacientib. quia congelatio facta à frigido. Resoluentia enim adhibita ante mollificationem, magis petrificabunt materiã, & fient deinde tanquã lateres, qui nec à calido nec à frigido resoluuntur. Ergò secunda surgit intentio, scilicet mollificatio. Sed hæc duo nõ possunt fieri, nisi habeamus corpus mundum: nisi enim hoc fiat, plus demandabitur ad partẽ læsam, q̃ resoluamus & mollificemus: resoluentia enim plus attrahent, et mollificantia plus præparabunt, & ita plus affluet quàm resoluatur. Sunt itaq; quatuor intentiones in hoc casu, et quod ultimò inuentũ est in resolutione, primũ erit in executione. Primò ergò exquisitè euacuetur ab uniuerso corpore humor maximè peccans, pituitosus scilicet, quem humorem magis timemus. Hoc autem non possumus, nisi præmißis concoquentibus. Quæritur, an conueniat syrupus acetosus, & alij confecti ex aceto. Videtur enim ꝙ non, quia acetum nocet neruis ex duplici causa, et quia mordicat, & propter complexionẽ suam, quia est frigidum.
Dico

Dico quòd acetosa illa non perueniunt ad locum affe=ctum. Mesue dicit, quòd syrup. acetosus facit penetrare medicinas ad ea loca, ad quæ aliàs non penetrarent. Et Gal. 3. κατὰ γένη dicit, quòd si nerui sunt uulnerati, & in profundo, quòd tum cum alijs medicamentis admiscẽdum sit acetum, quia iuuabit penetrationem aliorum medicamentorum: & dicit ibi Gal. quòd acetum amittit in transitu uires suas acres, antequàm accedat ad ner=uos. Dico igitur, si acetum amittit uires suas in tam paruo trãsitu, multò magis amittet uires si per os sumatur: longa enim est uia per uentriculum, hepar & cet. ante=quàm ad neruos perueniat, & sæpe mutatur & alte=ratur: & ideò possumus uti aceto in affectionibus ner=uorum, & syrupus acetosus optimè conuenit. Et utinã syrupi nostri essent magis acetosi quàm sunt, sunt enim ferè dulces plus quàm acetosi. Commiscerem mel ros. cum syrupo acetoso, qui conuenit & uentriculo, & impedit mel, ne corrosionem faciat acetum. ℥ i. mellis rosati & ℥ i. acetosi syrupi cũ decocto Betonicæ & Iuæ, propter neruos. Pro euacuatione darem Agaricum, et in quibus ingreditur Agaricum, ut pillulæ Cocciæ, ag=gregatiuæ, trahunt enim à iuncturis. Diaphœnicon nõ exhiberem, quia non est in eo nisi Turbith & Scammo=nea, & in eo est nulla uis ad humorem pituitosum: ni=hil enim operatur Turbith, nisi ei addatur Scammonea, & tandem turbat. Ego aliquando uolui facere pericu=lum, & exhibui ipsius Turbith etiam correcti cum Gin=gibere & sine Gingibere, ʒ. iij. & etiam ʒ. iiij. in ua=rijs corporibus, & nihil eduxit, sed tantùm fecit con=turbationes. Mesue dicit, Turbith albi gummosi: ubi ha

bebi=

bebimus hoc? nostrum est siccum, & merum signum, et abhorreo ab hoc. Pillulæ magis essent conuenientes. Darem Agarici præparati ʒ ij. cum Caßia: item confect. Hamech. Et purgetur bis, ter, & sæpiùs, si opus fuerit. Quoad localia, primò est molliendum, quia materia est congelata à frigore, ut suprà dictum est, non à calore, ideò potest recipere curam. Si à calido esset materia indurata & petrificata, non posset curari. Ergò primò molliatur materia, cum moderato calore colliquante, & non resoluente: quod colliquatum est, oportet moderatè resoluere: & hæc per uices applicentur, excedatq; potiùs mollificatio ipsam resolutionem quàm contra: & hæc permisceantur: magis tamen placet mihi quòd seorsum hæc applicentur, & uincant semper mollificantia: nam uitium in resolutione est incurabile. Et placet mihi quòd semper usus est pinguedine humana, quæ moderata est, non resoluit, sed mollificat tantùm, & bene factum est. Primò procederem cum mollificantibus primi gradus, posteà cum mollificantib. secundi gradus. Myrrha, Ammoniacum, Hyssopus humida, Crocus &c. sunt mollientia in secundo gradu: & in his sæpe erramus, quia non possumus metiri quantitatem: & hæc antiquata, efficiuntur resoluentia, & acquirunt calorem: ideò tutius est, ut permaneamus in mollificantibus primi gradus, ut est adeps porcinus, oleum Chamæmelinum: decoctum Althææ, Maluæ, Liquiritiæ, sem. Lini, Fœnugræci. Hæc ferè accedunt ad secundum gradum. Primò fiat decoctum ex Camomilla, Malua, Althæa, Liquiritia, & fomentetur locus cum spongia, posteà illinatur cum oleis istis. Ad penetrationem

tionem posset apponi modicum Croci, & lana humida molliri locus per sex dies: posteà per unum diem facerẽ resolutionem, ut cum Pyrite lapide, quod Gal. dicit esse magicum quiddam: & sic longè maior erit mollificatio quàm resolutio. Loco Pyritis accipiatur lapis Molaris. Si uellet tentare balnea S. Bartholom. optimè cõuenirent. Montagnana scribit de quodam Cardinale, qui erat totus contractus, & quandiu fuit in hoc balneo, extẽdebat omnia membra, & tandem curatus est. Et nos habuimus hic puellam Dalmatam xviij. annorũ, quæ tota contracta fuit, & sanata est perfectè, & iam nupsit uiro. In altero crure utatur primo alterantibus locum. Primò fiant abstergentia ulcus ex Lapatho, Hordeo, Plantagine & Balaustijs: decoquerem hæc in aqua ferrariorum, uel alia aqua, & facerem lotionẽ cruris & ulceris: post lotionem exiccarem locum, & acciperem posteà succum Solatri cõtritum in mortario plũbeo cum pistillo plumbeo, donec fieret solidior, & facerem linimentum, & linirem crus. Remota mala temperatura accederem ad sanandum ulcus, ut est unguentum de Tutia, quo nihil est præstantius in materijs adustis.

Consult. XCIX. De catarrho, cum multis alijs symptomatis coniuncto.

POSTQVAM diligentißimè audiui historiam casus nobilißim. Dominæ, quæ iam decem menses laborat, considerabo præcipua. Patitur tres dispositiones præcipuas, à quibus multa symptomata consequuntur. Principalia sunt, primò catarrhus, secundò mala compositio in mem=

in membris naturalibus omnibus, tertiò extenuatio insi=gnis: ferè est sine musculis, intestina continguntur à cu te. Præter hanc gracilitatem habet & insignem tensio=nem, ut non tactum patiatur, ita dolor est et ægritudo ip sa. Catarrhus propriè in se non est ægritudo, sed in ge=nere fluxus est actio læsa, tamen quia curatur, princi=paliter ingreditur curam morbi. 12. Therap. Quandoq; symptomata trahunt ad se curationem, & habent ratio nem causæ, & curantur ut morbi, & faciunt indicatio=nes separatas ut morbi. Est ergò primò catarrhus, secun dò mala compositio. Tertia ægritudo est febris, quæ est de genere continuarum, licet habeat paroxysmos. Con=sequũtur fluor alui, præfocatio uteri: macies consequi=tur ad quemlibet istorum morborum, est accidens quod non trahit curam ad se. Incipiatur à catarrho, secundò à mala compositione, & tertiò de complexione mala, id est, febre. Vtrum hi morbi se habeant ita, ut unusquis=que proprias habet causas, & an uno remoto remouean tur omnia? 7. Aphor. Febres non sunt morbi per se, sunt accidentia aliorum morborum. quandoque negligũ tur febres, & curantur ægritudines principales à qui=bus dependent, ut facimus in pleuritide, ubi tota cura est ad inflammationem. Vtrum hoc modo sint hæc? Dicam priùs de catarrho, neglecta febre, qui generatur in ca=pite. Quæritur, utrum læsio sit in capite primogenio af fectu, an sit læsio per consensum? uel, utrum sit in cere bro nocumentum, ratione cuius sit inductus catarrhus? Naturaliter habuit cerebrum calidum & siccum, ex nigredine capillorum, craßitie, nobilitate omnium o=perationum: prompta fuit in actionibus, ista promptitu

do in=

do indicat caliditatem eius partis, in qua est principium motus. Vnde uidetur calidum esse cerebrum, non expuit, nihil ex naribus profluit. Nam ex calido & sicco concoquitur bene alimentum. Secundò, tale cerebrum est potens in difflando: tertiò, aperit uias & meatus, ut fiat facilis efflatio & euaporatio excrementorum. Incidit in catarrhum, cùm habeat cerebrum quod in sua natura non erat dispositum. Vnde est colligendum, quòd ad contrarium maxima facta est permutatio. Non possum persuaderi, quòd producta fuerit intemperies frigida & humida, cùm prius calidum & siccum cerebrum fuerit, cùm manserit in sole & sulphure: utebatur calefacientibus, quæ non possunt inducere intemperiem frigidam & humidam. Frigidum quidem cum calido resoluit humidum, in quo est caliditas, & fit frigiditas: ut in cinere & carbone, frigidus est cinis, & carbo ex priuatione humidi. Non fuit causa aliqua ut humiditas induceretur: bene potuit fieri intemperies frigida & sicca per resolutionem humidi. Cerebrum fuit à natura calidum & siccum: dico quòd successit intemperies frigida & sicca. Vidimus catarrhum frigidum, qui non fuit nisi à causa frigida. Vnde ergò tanta humiditas in illo cerebro, cùm sit frigidum & siccum? Omnia corpora frigida & sicca redundant humiditatibus & pituita: ut in senibus, quantò magis fiunt frigidiores & ficciores, tantò humidiores, per uiam inconcoctionis. Credo intemperiem frigidam & siccam in cerebro esse, & talis intemperies maximè subiecta est contumeliæ, si qua alia intẽperies. Acquisita ergò illa intemperies cerebri frigida & sicca, est principalis causa & origo huius catarrhi.

Succes-

Successerant aliæ, quæ fouerent ex partibus inferioribus, uiuebat ex quibuscunq; cibarijs: ubi debile cerebrum, sufficit intemperies cerebri. Forte & uentriculus non fuit in bona dispositione: & calidum hepar habuit, unde uentriculus frigidus redundat excrementis, & sic multiplicatur catarrhus ratione inferiorum membrorum. Videnda ad hæc duo, quæ sunt de essentia huius catarrhi: primum, de substantia catarrhi: secundum, de loco ad quem descendit materia, quod est maximum dubium apud me. Primò de loco uideamus. Loca ad quæ potest defluere catarrhus, primò sunt musculi extrinseci: secundò, cauitas pectoris: tertiò, substantia pulmonis: quartò, aspera arteria. Catarrhus ad quas partes descendit? Non occupat tanquam locum principalem asperas arterias, ita ut ibi moram faciat, nam fieret asthma, quod non uidemus: quoniã catarrhus occupans arterias, cùm obducuntur asperæ arteriæ percipitur cantus & clangor, & quando anhelaret, fieret mutus: dum enim transit spiritus, & percutit catarrhum crassum, facit sonitum talem. Vtrum in substantia pulmonis? Absit: nam esset difficultas anhelitus propter dilatationem & constrictionem: non haberet anhelitum liberum, esset difficultas magna, pateretur anxietates cordis maximas: cùm enim in pulmone conficiantur spiritus uitales, inficerentur à catarrho. Cùm pulmo sit putrescibilis ualde, propter humidam substantiam & excrementosam, & mollitiem substantiæ suæ, si catarrhus putridus moraretur in pulmonis substantia, generaret ulcus, & deuenisset ad phthisim, quod absit. Non in musculis exterioribus, nam perciperetur dolor ad tactum.

In quo igitur loco? Credo quòd descendat ad cauitatem pectoris. Sed per quas uias? Ex anatome uidemus uias cõmunes à cerebro ad pulmonem non esse, nisi asperam arteriam maiorem. Si catarrhus ad pulmonem tendit per asperam arteriam, in pulmone manebit. Intersunt costæ, musculi, diaphragma, quomodo ergò transit? Sæpißimè contingit quòd transit à pulmone, & expellitur à natura fortiore ad cauitatem pectoris, & contrà à cauitate pectoris ad substantiam pulmonis: ut ex peripneumonia fit empyema, quia catarrhus putridus expellitur à substantia pulmonis ad cauitatem pectoris, qui tandem à natura expellitur ex eadem cauitate pectoris ad pulmonem, & expuitur per tußim. Similis est transitus cùm materia est in pulmone: est enim leuißima membrana pulmonis. Natura enim solicita membrorum nobilium, quando ad id peruenit aliqua materia, expellit eam ad partem ignobiliorem, ut ad cauitatem pectoris, quæ longè est ignobilior, quàm substantia pulmonis. In cauitate pectoris facit motum, putrescit materia & excitat tußim, ac tendit ad pulmonem, nõ ut ibi maneat, sed ut expellatur. Credo autem catarrhum non solùm deuenire ad pectus per pulmonem & putrescere, sed etiam à toto ambitu uenarum uenire materiam ad locum imbecillum: teste enim Gal. 2. de facul. natur. omnes superfluitates defluunt ad partem debilem, & semper aggregatur materia, ut apparet in fistulis & malignis ulceribus quia debile membrum suscipit omnia superflua & excrementa. A toto igitur ambitu corporis deuenit materia, et facit empyema. Quare diuretica cõueniunt materiebus pectoris, quia materia à uenis descendit: &

est

est magnus consensus inter uenas & pectus, ideò diuretica conferunt pulmoni & ægritudinib. pectoris. Locus ergò catarrhi proprius in quo putrescit, est cauitas pectoris: descendit partim à capite ad pulmonem, & concauitatem pectoris, partim facto loco imbecillo & suppurato à toto corpore, & multiplicatur ita catarrhus, qui expulsus per tußim ad pulmonem excernitur. Est igitur hæc mulier empyematica, et habet materiam suppuratam in concauitate pectoris. Quòd sit materia putrida, patet ex colore & craßitudine. Est pus, quod duplex est: primò, ex putredine sanguinis non fit, nisi sanguis putrescat, id semper sequitur ulcus. secundò, quando materia pituitosa putrescit, sanguis extra uenas putrescit, et facit pus. Pus pituitæ non ita fœtet, quia ipse sanguis putrefactus deterrimus est, et magis fœtidus quàm pituita putrescens. Ergò est pus non ab ulcere aut putredine sanguinis, sed à putredine pituitæ, & recedit à malignitate puris sanguinis. Sic & pus melancholicum & bilis longè deterior est. Pus istud si esset sanguinis uel aliorum humorum, ulcerasset iam pulmonem propter transitum. Catarrhus in propria substantia quando descendit à cerebro, credo quòd sit subtilis, quia est insipidus, et propter subtilitatem transmittitur à pulmone ad pectus, in quo crassescit, putrescit, & resoluuntur partes tenuiores, putridæ, & per uirtutem expulsiuam excitatur tußis, quæ est motus pulmonis, quo reijcit molestiam uel ob intemperiem, uel materiam aliquam existentem in parte membranarum spiritualiũ, ut in pleuritide, quæ est extra totam cauitatem pulmonis, tamen fit ex ea maxima tußis, cùm materia non sit in

pulmone. Ita hîc quoque. Quomodo transeat materia crassa ex pectore ad pulmonem, non mirandum, cùm & in osse pus transeat per poros ad carnem. Non debemus mirari opera naturæ, transit per meatus membranæ & excernitur, quod uix credi posset, nisi esset notißimum omnibus Medicis. Ex quo est etiam illa febris, quia cùm putrescat materia tanta in cauitate pectoris propinqua cordi, nõ potest fieri quin putridi uapores ascendant ad cor. Et hæc febris pro multitudine uaporum etiam augetur & minuitur. Patet, quòd febris è uaporibus putridis, est putrida. Singulis diebus uesperi circa horam xxij. percipit frigus, posteà calor succedit. frigus, quia tum excitantur uapores putridi in re putrescente, & cæteræ periodi effumationis, ut in omni stercore apparet, in alijs horis fumat, in alijs non. In eo tempore effumationis propter fumum transeuntem ad cor excitatur febris, imò magis una hora quàm alia. Non est inuentum à Medicis, naturæ secretum est hoc, quare una hora eleuentur uapores præcisè, et non alia hora. Oportet admirari secreta naturæ. Num hæc febris sit putrida, uel an sit etiam febris quæ fecerit maiorẽ impreßionem? Credo quòd inducta sit hectica: quando longo tempore tango, percipio insignem caliditatem igneam ex tactu, unde tanta extenuatio. Febris præcedens non fuit diuturna, non sunt nisi octo dies quòd sentio tantam febrem. Vereor febrem fixam, occultam, difficilè cognoscibilem, quando in prima specie hecticæ difficilè agnoscitur à Medicis per coniecturas cognoscenda, ut Gal. cognouit mulierem suam, quæ erat calida & sicca, & habuit ephemeram &c. Pulsus secundum naturam, caliditas

liditas non mordax, non percipit se habere, ideò difficile cognoscitur. Tres *sunt species. prima, quando absumitur pinguedo tantùm: secunda, caro: tertia, cor, & illud quod continet membra.* Prima & *secunda secundum Auic. difficillimæ sunt cognitionis: tertia ab omnibus percipitur.* Dubito, *sit'ne prima species hecticæ, & sit consumpta nimis propter febrem continuam, tamen audio nunquam quoque liberari à febre.* Habemus *ergò primò catarrhum suppuratum & putredinem.* Putredo *est, quia rubedo circa maxillas.* Quando *putrescit humor circa pulmonẽ, ut in peripneumonia & empyemate, ascendunt uapores & calefaciunt maxillas, in istis tribus, scilicet in peripneumonia, ulcere pulmonis, & empyemate.* Primò *est catarrhus, putredo, et empyema.* Secundò, *febris putrida & fixa quædam, tensio hypochondriorum, febres sequuntur obstructiones: tamen nõ credo obstructionem summã hanc, sed catarrhus & febris faciunt debilitatem summam in membris naturalibus: ubi xiiij. diem transit, facit debilitatem.* Descendit *etiam pars catarrhi ad uentriculum, unde male concoquit, percipit rugitus, mala item compositio & complexio frigida est in membris naturalibus, cuius signum uentositas, gracilitas extrema, & consumpta pinguedo tota: unde suspicor esse hecticam.* Fluxus *item sequitur, ubi febris permanens & suppuratio in pectore debilitauit calorem innatum ut iam succumbat, & sequantur fluores alui, longæ ægritudines, & pleuritides quoque ubi tendit ad suppurationem, & mortalis est.* Ex *his quæ proposui, uidemus quàm sit timorosum.*

CVRA. *Multa essent quibus indigeremus, & quæ fa-*

hectice species

ceremus. Primò oportet ut prohibeamus catarrhum descendentem. Secundò, ut quod in pectore, educeretur, & confortaretur pectus ne reciperet, refrigeraretur febris, confortarentur membra naturalia. Catarrhus sistitur cum rebus ualde siccantibus 5. Meth. Ad tria reduco totam curam: primò, ut sistamus catarrhum: secundò, ut cõfortetur pectus: tertiò, ut occurratur omnibus humoribus. Sunt ista tria uehementißima. Primò circa caput, uesicetur totum caput ut dissoluatur catarrhus, ut exeat extra cutem, & non fluat ad pulmonem, quod non nisi calidißima efficiunt, quæ afficiunt uirtutem, calefaciunt totum corpus. Timorosum in febribus talibus adhibere calida capiti. Secundò, ut euacuemus cum pillulis occijs: C ingrediuntur fortia, ut Scammonium &c. & in magna quantitate. Ego non auderem dare eas hîc in fluore alui, imbecillitate omnium membrorum, & febre. Tertium quod fuit, est ut refrigeretur pectus, & utitur ibi Gal. Theriaca noua, et Diaspermaton. De duobus primis non auderem, quia nec corpus, nec imbecillitas patitur. Non auderem super uesicatorio, uelim tamen ut unum fieret quod nolui omninò præterire, ut tonderentur capilli usque ad cutim, et uelim imponere pulueres, ex quo non poßum caustica ponere, ex Sandaracha, Mastiche, rosis, quæ non calefaciunt uehementer, sed exiccant, et confortant caput ne descendat materia. Esset præsentaneum remedium uesicare, sed nõ audeo: nec cerata, retinerent enim usque ad tempus, posteà tota materia repente decideret, & repentine suffocaretur. per duos aut tres dies manet, quia suspendit catarrhum, interim multiplicatur, & in termino duarum horarum

pulueris capitalis

rarum ex repentina descensione suffocatur. Fiant leues frictiones, ne agitetur caput: exiccetur tantum cum panno suffumigato, aqua rosacea, aceto & Caryophyllis. Tale suffumigium habeat in cubiculo, & suffumigentur panni, & caput foueatur sine frictione, ut inde fiat exiccatio. Quando ista non fiunt, intereà in tempore quieto haberet stuppam cannabinam, super quam papyrum exiccatam, & ponat scuphiam, ut semper fiat exiccatio, & fieret crebra permutatio ex istis. Si febris cessaret, statim uelim adhibere uesicatoria, quod esset optimum & præstantißimũ ex Cantharidibus. Diaspermaton esset præstantißimum, tendit ad febrem, & confortat pectus: sed hoc facere non possumus. Laudo bolum Armenum optimum, & aquam Farfaræ & Consolidæ, ut accipiendo boli Armeni puluerizati ℥.ij. cum lib.i. aquæ Consolidæ & Farfaræ, donec tota fieret rubra, & tota uirtus transeat in aquam, phialam agitando: singulis diebus mane & uesperi quando uult dormire bibat ℥ i. aut s. aut istius aquæ. Mellis rosati ℥ i. faceret ad fluxum uentris, & corroborat uentriculum, confortat substantiam pulmonis & pectoris, & corroborat cor, ne recipiat illam detestabilem putredinem: Gal. dat asthmati, & longè magis ubi non est asthma, neq; facit difficultatem anhelitus: credo quòd non esset deterius remediũ quàm Diaspermaton & Theriaca noua. Cauerem à Philonio & stupefactiuis tanquam à peste, ut multi faciunt ad sistendum catarrhum. Neque pillulas de Opio darem. Vesperi pillulam unam de Cynoglossa sine Opio retineat sub lingua, ad sistendum catarrhum, & roboranda membra. De febre. Auic. si

cum catarrho est febris, non curandum de febre, sed attendat ad catarrhū: febris enim pendet ab eo tanquā accidens: cessante catarrho, cessabit febris. Si esset prima species hecticæ, curaretur tàm facile ut scabies: non enim ualde curarem eam, si non esset catarrhus: neque tamen contemnerem. Propter fluorem alui corroborandus uentriculus, & attendendum refrigerationi corporis. Ptisanam Hordei accipiat, sed in ea cum iure pulli facta ponat aliquid quod habeat uim astringēdi & corroborandi. Gal. imposuit frustum Cotonei, corroborat enim hoc, & conuenit catarrho, & refrænat lubricitatem Ptisanæ. Mane accipiat ouum sorbile, carnem pulli cōtusam. bibat item mane uinum, uesperi nō. Circa xxij. horam habuit paroxysmum: nunc incipit circa viij. horam: posset cibari ad nonam horam: ad xvij. horam, potißimum autem ad xviij. cœnare. minus cibi serò sumat. Pro fluxu sumat syrupum Myrthinum cum puluere Mastyches intus. Inter syrupum & cibum sit una hora. Quoad confortationem & præfocationem matricis, ungatur cum linimento Mesue. Nollem confortare eam cum oleo liliorum alborum. Circa pectus febris non permittit emplastrum, ne nimium relaxando præcipitaretur materia. Inungerem pectus cum unguento ros. Mesue. Cor confortarem cum his quæ habent uim exiccandi, eo modo tamen ne arescat, cum bolo Armeno in aqua Farfaræ cum melle rosaceo. Curata febri, subitò accederem ad uesicatoria, quia oportet attendere catarrho. Pro uentriculo fiat linimentum ex Mastyche, cotoneis, dactylis. Coquantur in uino dulci non potenti, facta forti expreßione per cribrum: adde olei Chamæ-

melini & Absinthij quantum sufficit. Fiat linimentum. Hoc etiam usus est Montanus in quodam, cui tota abdominis pars ita erat exiccata, ut intestinorum uideretur contractio, ut retulit posteà Montanus eundo domum.

Consult. c. De difficultate anhelitus, vertigine, ac defœdatione cutis.

Cvm sint duo præter naturam: primum, quod sensu tactus non deprehenditur, sed uidetur difficultas anhelitus, uertigo, grauitas capitis, tinnitus aurium cum distillatione: secundum occurrit sensui uisus, & est defœdatio cutis pustularis, & asperitates: hæc itaq; principaliter sunt consideranda, nam de illis maximè conqueritur. Primò, quod apparet sensui uisus, ex colore singulorum membrorũ affectiones discernuntur: quæ quidem proueniunt à materia quæ collecta est. Natura materiæ deprehenditur ex colore: uidemus enim pustulas tàm in facie, quàm in cruribus & toto corpore, quæ tendunt ad fuscedinẽ, partim rubent, partim nigricant: rubedo circa faciem magis, in alijs partibus nigredo magis. Nonnunquã illæ pustulæ in diuersis partibus erumpentes faciunt suppurationem, & inde exit pus. Consideranda natura ex colore. Sanguis dominatur cum bile, uel sanguine melancholico, erumpens ad cutim. Videndum quo nomine debeat appellari. Medici occupati sunt ualde circa hoc nomen. Ex una partẽ accidens est, hic affectus, ex alia parte ægritudo. Sunt morbi dependentes ab eadem causa secundum ordinem, ab eadem materia, sanguine adusto melancholico. Quidam est uniuersalis, quidam particularis. Particulares sunt, qui occupant

cupant tantùm partem corporis, non totum corpus, ut cancri, lichenum omnes species, pendent ab eadem materia, sanguine melancholico crasso. Quædam ab eadem materia dependentes occupant totũ corpus, ut elephantiasis, lepra, psora. In isto corpore non est morbus particularis, nam æqualiter occupatur ab ista defœdatione: fit à melancholia cum sanguine, & sic est morbus uniuersalis. Non est elephas: nam elephas habet proprium, ut occupet carnem & ossa: sed ista defœdatio non nisi extimam cutim inuasit. Nec est lepra, nam lepra habet pathognomonicũ accidens, ut decidant squamæ, unde habuit nomen, quia squamæ quotidie decidunt. Gal. distinguit psoram à lepra, quia lepra non habet asperitatem & inæqualitatẽ ut psora. Videmus hìc inæqualitatem & asperitatem cum pruritu, quod psoræ longè magis proprium quàm lepræ: unde ponenda hæc affectio sub capite psoræ. Differunt omnes morbi uniuersales inter se, quod ut sciamus, plurimum facit ad curationem. Differunt in craßitudine materiæ peccantis uel humoris. Humor melancholicus naturalis cùm sit humor crassus, fæculentus, non facit nec psoram nec lepram, quia non potest excerni ad partes cutis. Vbi autem subtilis, tenuis, uaporosus, transit ad cutem, sed difflatur propter tenuitatem suam: ubi craßior est non potest exire. Et illa materia est uel quieta, uel mota. Si est quieta, adhæret musculis, & facit laßitudinem ulcerosam. Si mota, & transit ad cutem, difflatur, facit sudores: si non difflatur, facit pruritum, & alia genera pustularum diuersa circa corpus. Si admodum crassa, non exit ad cutem, sed adhæret musculis, occupat partes solidas.

ſolidas. Si corrumpit oſſa, fit elephas. Vbi ſubtilior eſt magis declinans ad ſanguinem, participans humori pituitoſo ſalſo, tranſit ad cutim, facile expellitur, non tamen poteſt exhalare, ſed adhæret, & facit lepram & pſoram. Pſora autẽ magis habet de humore melancholico: lepra magis ad ſalſum, & magis æqualiter inhæret, non facit eam aſperitatem, quia liquidior & humidior humor facit ſuperficiem æqualem: ubi autem exaruerit, facit ſquamulas ex humore pituitoſo exiccatas, ut ſunt in ſuperficie capitis furfures, ubi difflatur pituita ex capite, & circa cutim exiccatur, & facit ſquamulas illas. Vnde qui abundant ſquamulis illis, habent caput ualde humidum, quia pituita cùm exareſcit, facit ſquamulas. Pſora autem quia fit ab humore magis aduſto, facit inæqualitates cutis: proprium enim ſicci eſt 4. Metheor. quod eſt cauſa aſperitatis, ut humidum eſt cauſa lænitatis. In lepra eſt lænior cutis quàm in pſora, quæ dependet ab humore melancholico, qualis hæc eſt, non tamen ita craſſo ut faciat elephantem, ſed tamen craſſiori quàm ut faciat lepram. Humor diffuſus in toto corpore non eſt æqualis, admixta eſt pituitoſa materia & ſanguinea. Non igitur mirũ, ſi ea materia humida putreſcat & faciat pus, & apparent puſtulæ quæ à Græcis pſydraciæ, ab Arabibus Saphah uocantur. Hæc eſt natura morbi quantùm ad cauſam formalẽ: quantum ad cauſas efficientes, ſunt intrinſecæ & extrinſecæ. Membrũ quod generat omnes humores, eſt hepar: ad hepar ergò referẽda cauſa efficiens, tanquã ad membrũ principale, quod ſecundũ propriã temperaturã generat humores. Si moderatè calidum eſt, ſanguinem generat: debile au-
tem

tem & humore melancholico, facit quantum opus est: si maior caliditas, & hepar calidius sit quàm par est, plus de bile generatur, et appellantur tales cholerici, in quibus propter caliditatem hepatis generatur plus de bile, quàm de reliquis. Vbi intenditur caliditas & minuitur humiditas, generatur humor melancholicus. In paracmastica ætate calidi & sicci fiunt melancholici adusti, quia acquiritur caliditas ex diminutione humiditatis, non generatur bilis, sed humor melãcholicus. Hoc hepar est supercalefactum, & uidetur à primo ortu tale esse quod excesserit notabiliter ad calidum, per siccũ & humidum non multum. Qui habent caliditatem solã, absque paßiuarum excessu, plurimum carnis generant. Qui calidum & humidum, abundant plurima pinguedine. Probabile est quòd fuerit calidum naturaliter, absque excessu humiditatis & siccitatis, temperatũ in paßiuis, redundans in calido. In habentibus autem symbolum, facilior est transitus: generauit sanguinem biliosum, deuenit ad paracmasticam ætatem, potuit generare plurimum humorem melancholicum. Accedunt aliæ causæ non corporeæ, sed extrinsecæ. Fuit conditionis talis, in qua habuit omnia, quæ potuêrunt supercalefacere hepar: bibit uinum potentißimum. Credo quòd natura ipsa usus fuerit cibarijs salsis & acribus, quæ supercalefaciunt hepar suis qualitatibus primis. Alimenta præter calorem auctum potuêrunt generare humorem melancholicum: nam à calore igneo & immoderatè se habente, per se generatur plurimus humor melancholicus: si accedat secundum, scilicet alimentum generans melancholiam, potentißima erit causa aggregandi humores

mores

mores melancholicos. Habuit insignem caliditatem hepatis, & in παράκμῃ multò magis auctus calor iste est, tum modo substantiæ cibi melancholici. Nisi fuisset adiumentum naturæ per influxum hæmorrhoidum, incidisset non in psoram, sed in elephantiam. Materia continuò expurgata fuit per fluxum. Qui subiecti sunt huic fluxui, liberantur ab omnibus humoribus melancholicis. Potentißima causa in hoc, cùm haberet fluxum, & tamen haberet hunc morbum. Quoad catarrhum, corpus ita paratū est ad catarrhum, stante ratione uictus, ut nullum corpus magis opportunum. Talis temperatura corporis mittit uapores ad caput continuò, primo Epid. & tertio de locis affectis. Ab ambitu totius corporis ascendunt uapores, stante peßima ratione uictus: & hinc etiam tinnitus aurium, propter motionem spirituum. Catarrhus ex ea parte materiæ est: ubi〈que〉 in cerebro naturaliter frigido. Nam in naturali sua substantia propria, omne cerebrum frigidum & humidum est, sed dicitur respectiuè calidum, humidum & siccum, cùm tamen omnia sint frigida & humida. Ideò cùm sit propria natura frigida & humida, condensat uapores, & sic fit catarrhus, & hic facit anhelitus difficultatem, & tußim. Non tamen est insignis læsio adhuc ex hoc catarrho. Pruritus facile curabitur, si modò non patiatur elephantiam. Psora est initium elephantiæ: oportet ut ipse sibi sit Medicus. Circa curam duo sunt facienda: primò tollendus morbus factus, secundò causæ quæ faciunt. Morbus factus sunt pustulæ, defœdatio circa cutem, quæ abstergendo mundificanda est: quod non fiet nisi materia remoueatur, quæ in toto ambitu uenarum

fouet

fouet continuè illam partem. Oportet omninò remoue-re materiam. Duæ ergò sunt indicationes: primò, ut abstergatur cutis: secundò, ut remoueatur materia. Est tertia indicatio: nam si remoueatur materia & abstergatur cutis, & non remoueamus caliditatem hepatis, et causas efficientes & extrinsecas occurrentes, nihil proderit. Primum ergò est abstergere cutem: secundum, remouere humorem: tertium, alterare hepar: quartũ, regulare rationem uictus. Incipiamus ab euacuatione, sine qua nec alterare, nec abstergere cutem, neque nutrire corpus cibis conuenientibus possumus. Mundificandum corpus cum his, quæ mundificant humores peccantes, scilicet humorem melancholicum, sanguinem & pituitam, quæ redundat ex descensu catarrhi. Accedit portio bilis, redundant omnes quatuor humores. Alij humores coquuntur & præparantur. Sanguis non spectat aliam coctionem, debet euacuari sine præparatione. Facta purgatione humorum in primis uenis cum Caßia, deueniatur ad mißionem sanguinis, ut euacuetur principalis humor sanguis, & fiat sæpe. In humore melancholico ubi permixtus est sanguini, iteranda est phlebotomia, & euacuetur per interualla: deinde bene nutriatur, post iterum euacuetur, idq́; à basilica. Intentio est non tantùm euacuare humores, sed simul alterare membra, quod possumus facere uno remedio, non debemus facere pluribus. In utroque latere secanda uena, & ab utraq; basilica. Secundò fiat euacuatio præcipuè duorum humorum, melancholiæ & pituitæ. Biliosus humor facile coquitur & expellitur. Rhazis uult bilem non indigere coctione: sed indiget leni coctione fa-

facili momento coquimus. Maiore coctione indiget pituita & melancholia. Sunt concoctiua in communi usu, quæ respiciunt pituitam, non considerando humorem melancholicum, quem aggrediar posteà. Ex multitudine pituitæ obstruuntur uenæ sua uiscíditate, & ille humor retinet alios humores ne sint præparati: obstruit quoque. Quando igitur pituita in uenis est cum humore melancholico, non debemus utrunque simul præparare. Pituita indiget incisiuis abstergentibus: humor melancholicus aliquali humectatione, ut fiat facilis ad excretionem: non est uiscidus, sed crassus, qui indiget humectatione. Quæ faciunt ad coctionem pituitæ, non faciunt ad concoctionem ipsius humoris melancholici. In hoc casu inciperem à pituita. Oxymel, & syrupus acetosus incidunt sine calefactione. Non multum calefacerem, ne humori melancholico nocerem. Facienda quæ incidunt lapides & calculos. Vtrum acetum conueniet digestioni humoris melancholici? quantò magis dubitabitur de calefacientibus & exiccantibus. Acetosa conueniunt partibus terrestribus, confringunt calculum & lapides. Darem syrupum acetosum, oxymel cum melle rosato. Euacuarem posteà cum confect. Hamech, in qua miscerentur Epithymus & Myrobalani. Et euacuant humorem pituitosum pillulæ de Agarico. Darem Agarici ʒ.ij. cum ℥ i. Caßiæ, euacuat humorem pituitosum, & respicit humorem melancholicum. Quoad humorem melancholicum, syrupum de pomis dulcibus, Saba regis. Decoctum Liquiritiæ maximè cōfert ad humorem melancholicum siccum & frigidum. Item Maluæ decoctio cum iuribus pinguibus pulli: postea

steà euacuarem cum illis decoctis traditis à Mesue. Deinde apponerem Elleborum nigrum, ut in superiori syrupo, non plusquàm ʒ. s. corticum Ellebori nigri: foelicißimè operatur ter aut quater sine molestia. Quòd si detur ante euacuationem pituitæ, lædet, & nihil proderit ista euacuatio. Pituita optimè euacuetur. Soleo dare sex uicibus, euacuat quadragies, nisi debilitas accidat, tunc intermitto unam. Facta euacuatione abstergenda cutis. Fieri possunt linimenta ex succo Lapathi, Limonum, Ellebori cortice & radice. Decoquantur cum Malua & Althea in aqua, donec consumatur tota substantia, factis expreßionibus. Oleum rosarum recens, Therebinthina, Styrax liquida, magna copia succi Limonum cum Nitro, abstergit omnē defoedationem. Peracto illo, quæritur nunquid conueniat lotio balneorum? Habent magnam uim abstergendi maculas corporis. Sed dubito ne calefaciant hepar. Ad defendendum hepar sumat duas aut tres heminas seri lactis, et illinatur hepar infrigidante Galeni: conuenit propter hepar calidum. Bibat serum, & ingrediatur balneum. Non dubitarem de supercalefactione hepatis. Aqua marina idem facit, sed nimis calida est. Aquarum dulcium balnea, cùm fiunt ex Elleboro, Lapatho, cum sale, abstergendæ cutis gratia. Necesse est deinde confortare: fiat ad contrarium, & infrigidetur hepar. Vltimum est quòd tegat se, ac remoueat causas extrinsecas: abstineat ab omnibus calidis, uino calido. Vtatur carnibus bonis, frigidis alimentis, piscibus saxatilibus. Marini sunt laudatißimi, quia habent minus superfluitatum, quā aquosi, qui faciunt augeri pituitam, et calorem posteà: expedit

expedit quoque ut pituita non multiplicetur. In partibus Dalmatiæ, Gobij marini optimi sunt, in alto mari. Inter pisces saxatiles, Mugiles, apud nos rari. Admoneamus & protestemur, si uult permanere sanus, debet eo uictu uti, & refrigerantibus Saccharum rosaceum cum Rhabarb. ʒ.i ter aut quater in mense sumat. Hæmorrhoides semper teneantur apertæ: si stringuntur, aperiantur.

Consult. CI. De Melancholia hypochondriaca.

ERAT sententia Galeni, Magnifici & Excellentißimi uiri, doctißimiq; scholares, in libris Prognost. quòd ea quæ possunt breuibus explicari, ualde sit ineptū longiùs dicere. Ego igitur ero breuior in hac mea oratione, et proponam ea quæ sunt necessaria in casu huius nobilißimi adolescentis. Patitur flatus hypochondriacos, quod non possumus negare, quia & motu percipiuntur, & nos audiuimus. Est ibi melancholia, & flatus percipiuntur manifestè: ergò meritò appellatur hæc affectio flatus hypochondriacus. Sed hoc est accidens seu symptoma, ergò considerandа eius causa, & morbus, à quo pendet hoc symptoma. Huius igitur symptomatis quærenda ratio, & ex hac pendent omnia reliqua accidentia. Hic flatus hypochondriacus quoad rationem formalem, est quidam flatus seu uentositas, quæ pendet à quodam humore crasso, ita ut non poßit difflari: quia si posset difflari, non faceret rugitum. Ergò pendet ab humore crasso, qui facit ne poßit difflari illa uentositas. Nunc quærenda causa efficiens, proxima & remota. Primò, proxima causa efficiens nulla alia datur,

nisi illa quam dat Galenus 3. de locis affect. cap. de melancholia, scilicet quòd est inflammatio & ebullitio circa hepar in regione dextra inter uentriculum & ipsum hepar in ipso mesenterio, ut dicit Gal. ex Diocle. Ergò est quoddam calefaciens hunc humorem, et faciens hanc inflammationem. Sed nullum est aliud membrum in corpore humano quod faciat humores præterquàm hepar: unde sequitur quòd hic calor proficiscitur ab hepate. Et ex hoc discursu habemus, quòd sit caliditas hepatis ignea, faciens hanc ebullitionem. Sed hæc inflammatio est in aliqua materia, quia non solùm est inflammatio ibi, sed etiam inflammatum requiritur. Ex caliditate hepatis sequuntur multa. Primò, cùm calidi sit attrahere, & continuè trahatur chylus ab hepate per uenas Mesaraicas ex uentriculo, si hepar sit ualde calidum, cùm plurimum consumat, indiget continua restauratione, & sic hoc hepar plurimum attrahet de ipso chylo ex uentriculo, & habebit continuè illam attractionem propter suam caliditatem extensiuam, & sic habebit quasi gulositatem quandam, ut uocat Gal. Et hinc accidit quòd attrahat chylum ad se non bene concoctum in uentriculo, sed crudum, & trahit eum uiolenter per uenas Mesaraicas. Ex hoc sequitur, quòd materia multa, & humores crudi perueniunt ad hepar, & erunt rebelles concoctioni, quia coctio prima non corrigitur in secunda coctione. Et hi humores crudi cùm ebulliunt, generant illam inflammationem. Sed hoc non est solum, sed accedit aliud: quia hepar calidum generat plurimum de bile, & ita etiam plurimum de humore melancholico generabitur. Humor melancholicus naturaliter est frigidus

& siccus,

& ſiccus, ſicut & reliquæ omnes melancholiæ ſpecies, ſed maximè naturalis. Et quamuis lien attrahat ad ſe humorem melancholicũ ſeparatum, & generatum in hepate, tamen non poteſt lien tantùm trahere quantùm generatur, & ita humor melancholicus retinetur in hepate: unde hic humor melancholicis naturalis frigidus & ſiccus, miſcebitur cum illo humore crudo. Et ita ſunt hîc duo humores facientes hos flatus, & qui aptiſsimi ſunt ad generationem flatuum utriq; : et hinc omnes melancholici apparent uenerei, quia habent plurimum flatuum, ratione quorum multa fit erectio & inflatio: & ideò plurimũ appetunt, licet parum poſsint. Et cùm ſint hîc duo humores qui maximè ſunt apti ad flatus, ſcilicet humor crudus & humor melancholicus naturalis, non mirum ſi flatuantur. Et cùm ſit illa ebullitio circa hepar & uentriculum in ipſis uenis Meſaraicis, ideò regurgitat materia illa frigida ad uentriculum, ubi inuenit plurimum humorem crudum, & inde uentriculus infrigidatur, ut poſteà etiam cauſam infrigidationis uentriculi reddemus: & ita hic humor melancholicus ingreditur humorem illum pituitoſum, & non poteſt ſe inde explicare, et ſic fit flatus ille & rugitus. Et ſic ſunt duæ cauſæ, humor naturalis melancholicus, cum humore pituitoſo. Hæc autem omnia intenſiua ſequitur frigiditas uentriculi, quia ſemper ubi eſt ignea caliditas hepatis, conſumit illam pinguedinem quæ eſt in abdomine, quæ conſeruat & colligit calorem uentriculi, & ideò diminuta hac pinguedine infrigidatur uentriculus. Sed præter hoc eſt adhuc aliud. Quia ſplen cùm redundat humore melancholico & intumeſcit, refrigerat etiam ui-

cina membra. Hepar autem non potest ita facile refrigerari ab illa frigiditate collecta in splene, quia calidior: sed in habentibus symbolum facilior fit transitus: ergò ex humore melancholico aggregato in splene, uentriculus etiam infrigidatur. Et ita ex utroq; latere uiolatur & diminuitur calor uentriculi & robur, qui refrigeratus auget humores crudos. Et hic humor crudus consequenter auget ebullitionem & flatuositatem, & ita fit circulus quidam, & inde prolongabitur etiam morbus, quia quasi in circulo quodam recurrunt omnes causæ, ut diximus: frigiditas enim uentriculi adiuuatur à multis, ut magis generet cruditates, & materiã huius ebullitionis: & caliditas hepatis & humor melancholicus in splene redundant. Et hinc Galenus 3. de locis affect. dicit, quòd in quibuscunq; contigerit esse flatus hypochondriacus, in omnibus prolongatur. Signa huius affectionis adsunt: est tristitia & timor, qui solent esse in melancholicis. Primus effectus melancholiæ, est timor, qui est potiùs præludium quoddam: & sic timor est perpetuum signum melancholiæ: non tamen ibi necessarium, ut sit melancholia, sed tantum principium melancholiæ indicat: nam sunt multi melancholici qui non timent, adeò ut seipsos etiam interficiant. Et ideò Gal. quærit, quare Diocles nihil de his loquitur. et dicit Gal. quòd illa tristitia sequitur, cùm augetur melancholia illa: & non est necessarium, quòd ubi est flatus hypochondriacus, ibi sit melancholia. Non deuenit ergò ad summum hæc affectio, sed est in aliquo gradu: nondum communicatum est nocumentum ipsi cerebro, quod absit. Accidentia quæ necessariò sequuntur, morbũ declarãt.

Primò

Primò ſputum copioſum, quia uentriculus eſt frigidus, & abundat pituita & cruditatibus, et flatus facit, quòd pituita aſcendit. Nam ex uentriculo nihil excerni poteſt, niſi uel per uomitum, uel per flatum, uel eructationem: & inde fit multum ſputum. Sequitur aliud accidens, ſcilicet imbecillitas crurum: quia calor naturalis eſt debilitatus, & non generatur multum de bono ſanguine & ſpiritu, in quibus conſiſtit uirium robur: & quia multi humores crudi & frigidi in uentriculo exiſtunt, qui tranſeunt per hepar ad uenas, & poſteà ſparguntur per muſculos, & faciunt iſtam debilitatem membrorum & laßitudinem. Et non eſt hoc mirum, cùm ſæpe iſta materia tranſiens ad uenas, faciat paralyſin & ſtuporem. Sequitur aliud accidens, quòd corpus non nutritur, & non augmentatur, ut extendatur in omnes dimenſiones: quia non generatur caro, quia ſanguis eſt corruptus, & humores indigeſti. Et natura eſt magis ſolicita de membris radicalibus & ſolidis, quia hæc faciunt ut animal ſit animal, & in his eſt uita: caro autem non eſt ſubſtantia principalis iſtorum membrorum. Et quia iſta materia nutrimentalis non fuit ſufficiens pro nutritione & augmentatione utriuſq;, ideò natura magis fuit ſolicita de membris ſolidis, & dat alimentum illis partibus quæ magis indigent, quia non ſufficit materia pro utroq;. Et ideò uidetis quòd tantùm augeatur in longitudine. Et hinc etiam illa macies quæ eſt in carne nata: caro enim multum eſt diminuta. Hinc etiam aliud accidens eſt, ſcilicet quòd color totius corporis eſt ſubfuſcus, quia humor talis dominatur, ſcilicet melancholicus, ut patet ex 4. de tuenda ualet. Sequitur

adhuc unum, ſcilicet aſtrictio alui ut plurimum, quæ eſt ex caliditate hepatis, quæ exugit totum humidum ipſarum fæcum. Et hinc patet uerum, quia ſi hæc affectio eſſet ratione uentriculi principaliter, exiſterent fæces humidiores. Et hepar maximè patitur in caliditate, & facit hanc malam diſpoſitionem. Iſta ægritudo eſt proportionatiſsima huic adoleſcenti: nam eſt calidiſsimi hepatis à natiuitate, licet primò habuit carnem multam: & illa caliditas hepatis eſt ei naturalis, & à patre, & ex ſemine materno. Noui patrem, qui erat calidiſsimus. Præterea & fratres eandem intemperiem habent. Item ipſe exercet cogitationib. mentem, & hæc omnia inflammant ſpiritus & hepar. Et ſic ſanguis eſt craſsior, & aduſtum alimentum à caliditate hepatis, & omnia rectè ſe conſequuntur. Primò etiã antequàm laboraret quartana, habuit flatus, poſteà ſucceſsit quartana. Multiplicatus eſt humor melancholicus, & crudi humores attracti ad hepar, unde facta ebullitio, & etiam obſtructio uiſcerum ab illo craſſo humore. Et quia uirtus fuit fortis in expellendo, facta ſunt illa exanthemata per uniuerſum corpus, aut ſi uolumus appellare eſcharas: ſunt autem quædam effloreſcentiæ cutis, & ſunt potiùs ex quodam flatu pituitæ ſalſæ, quàm ex materia, quia citò accedunt, & ſtatim recedunt: fiunt ex humore craſſo, ſanguineo & melancholico, & faciunt pruritum, quia etiã bilis uel pituita ſalſa admixta. Curatus eſt ex quartana & exanthematibus illis, & remanſerunt illi flatus. De prognoſtico ſatis dictum ſuprà. Circa curam unum dicam, & ponam pro fundamento huius curæ, quòd ſcilicet debemus cauere ab omni pharmaco ſolutiuo fortiori,

tiori,et nõ possumus in hoc casu aliquid deterius et perniciosius facere quàm hoc. Ratio est,quia si detur fortius pharmacum, ista omnia consequentur: nam primò non euacuabitur ut oportet,quia sunt multæ obstructiones quæ impediunt ut non posit duci materia, & hepar supercalefactum magis calefiet: & quia uentriculus est debilis, & necesse est illas materias duci ad uentriculum, ideò magis infrigidabitur & debilitabitur uentriculus: & sic omninò non conueniunt pharmaca solutiua. Et hoc sit primum fundamentum huius curæ, quod bene aduertendum: unde necessariò morbus & cura eius erit longa: primò,ex sua natura: secundò,quia non possumus uti remedijs. Et Gal. ad Glauc. dicit, quòd quartana acriùs curata, duplex fit quartana. Ideò humor melancholicus benignè & clementer tractetur. Primò concoquatur. Primum igitur in curatione huius est euacuatio sanguinis, & non una uice solùm, sed sæpiùs fiat:quia ubi melancholicus humor est in uenis cum sanguine, est mittendus sanguis. Deinde fiat epicrasis, id est, contemperatio. Nutriatur corpus, & paulatim generetur bonus sanguis: & nihil magis conuenit pro melancholia,quàm phlebotomia, & quidem iterata, ut Gal.suasit. Posteà epicrasis, id est, optima nutritio & restauratio. Deinde deuenirem ad syrupos qui alterent humorem melancholicum & concoquant. Confortare & euacuare nõ possumus simul, quia cõfortantia ꝯstringunt, & euacuantia soluunt. Concoquentia sint omnia humectantia, & modicè calefacientia. Egò non uterer alio quàm quo soleo uti in his qui abundant humore melancholico.Acciperem ius pulli iuuenis,& decoquerem

in hoc rad. Polypodii, quia ſunt dulces, & non multum calefaciunt, & gratæ guſtui, & non fortiter euacuant: duas radices Liquiritiæ, tres Boraginis uel Bugloſſæ: & uterer hac decoctione loco ſyrupi. Neq; ſoleo aliter facere in his. Ius pulli omnes humores acres temperat & æquat. Et hæc decoctio paulatim etiam euacuat humorem melancholicum: & ſingulis quatuor diebus de ea accipiat. Darem florem Caßiæ, uel flores Caßiæ cum Rha barbaro, quia hæc maximè conueniunt, & non trahunt à longinquo. Vel ſaccharum roſ. cùm Rha barb. darem. Et tali medicamento ſuprapoſito uterer per totam æſtatem, etiam in diebus Canicularibus: & ſic per totam æſtatem procederem cum illis alterantibus: neq; alia ratione procedere poſſum, quia non debemus refrigerare propter uentriculũ, nec calefacere propter hepar: & ideò optimè conueniunt illa quæ diximus. Vtatur optima ratione uictus. Vina ſint alba, matura, & tenuia. Vina rubra ſunt acerba, & immatura. Alba conueniunt, quia faciliùs diſtribuuntur per uenas, & non hærent in hypochondrijs, & digeruntur per urinam, et humectant. Caueantur acerba uina. Sed cùm dico uina alba, nõ ſunt capienda flaua, nam illa ſunt calidißima & infeſtißima hepati calido. Verè igitur ſit album. Quoad balneum, dico q, nõ conueniat, quia hæreret in hypochondrijs, & inflãmaret. Gal. dicit quòd aqua pluuialis adhæret hypochondrijs, et inflãmat, multò magis illa aqua aluminoſa. Medici Veneti uoluêrunt illi dare lignũ, ſed ego ſum in ea opinione q, lignum nihil faciat, niſi ſit morbus Gallicus. Non enim operatur, quia calidum, humidũ uel ſiccum, ſed quia tale. Ideò hoc ego non conſulerem.

Conſult.

Consult. CII. De sputo sanguinis & puris, cum catarrho.

CLARISS. D. non ero longior, cùm ille morbus sit admodum expositus per suum genus: uidemus enim eum laborare sputo per tußim: expuit enim catarrhum putrefactum, cum aliqua parte sanguinis, ut uidimus: & febrem continuam patitur. Hæc satis sunt nota. Sed distinctè inuenire causas & locum affectum in hoc casu, est admodum difficile. De febre quæ adest non dicam multa, quæ pendet ex catarrho tanquã accidens. Circa inquisitionem causarum uidemus difficultates quasdam. Excellentia uestra proposuit cõiectura probabili, quòd poßit esse ulcus in pulmone, tum quia præceßêrunt causæ quæ potuêrunt hoc facere: & uidetur sibi quòd uena sit erosa, quia putrescit catarrhus salsus, ex quo fit corrosio: & quia uasa illa pulmonis sunt ualde parata ad corrosionem, propter mollitiem, ideò ualde probabile est quòd sit ratione corrosionis. Prætereà cùm perseueret cum sanguine eiectio puris, est probabile quòd pendet ab ulcere: quia ubi pus, ibi est ulcus: & quia sanguis ille qui expuitur, est ille qui non potuit conuerti in pus. Et sic uidetur esse ex uena in substantia pulmonis & pus & sanguis. Dicam ego primò, Clariss. Doct. me habere difficultatem circa hoc. Nam si esset uena corrosa, cùm illæ uenæ in pulmone habeant plurimum sanguinis, haberemus hîc plus sanguinis. Hoc autem hîc non uidemus, sed paucum sanguinem, & plurimam quantitatem catarrhi & puris. Ergò si ex eodem loco deuenirent sanguis & pus, deberet esse ulcus magnum,

magnum, & sic si esset in corpore uenæ, plus etiam sanguinis esset. Præterea quamuis ille locus sit putrefactus, tamen sanguis defluens ad corpus uenæ & locum illum non est putrefactus, & sic sanguis appareret & in maiore quantitate, & clarus, & purior. Vnde uidemus in alijs ulcerib. uenarum sanguinem effluere clarum, quia qui affluit, nondum est corruptus & putrefactus. Et sic facit mihi difficultatem, num sit ratione exulcerationis pulmonis. Est tamen pus. Dicam ego quod sentio. Primò, credo quòd illud pus sit ex catarrho descendente à capite, qui putrescit in concauitate pectoris, uel in pulmone: posteà enim dicam qui locus sit affectus ex his. Ratio est, quia habuit semper catarrhum. Solet autem contingere quòd pituita à capite descendens, crassescit & putrescit: est enim sanguis semicoctus: & ita cùm sapiat aliquid de natura sanguinis, & sit humidus, facile putrescit, & magis quàm humor melancholicus aut cholericus, quia est humida, & sanguis semicoctus: sanguis autem omnium facillimè putrescit, licet putredo pituitæ non sit ita detestabilis ut putredo sanguinis. Vnde Gal. quærit, quare putredo sanguinis sit ita detestabilis. Faciliùs putrescit sanguis quàm pituita, quia est calidus & humidus, & ita habet causas putrefactionis suæ tàm ab extrinseco quàm ab intrinseco: sed phlegma tantum ab extrinseco, quia est frigidum & humidum. Vnde etiam dicit Gal. quòd corpora calida & humida faciliùs patiantur putredines, quia hæc corpora subiecta sunt putredini omnis generis. Corpora frigida & humida etiam patiuntur putredines, sed non tantùm. Ergò pituita etiam facile

cile putrescit, sed non in eo gradu, & tàm intensè ut sanguis. Habuit ergò catarrhum, qui est pituita, teste Gal. 2. de facult. natur. Hoc cùm sit in loco calido & humido, id est, in pulmone, & illis partibus credo quòd continuè putrescat illa pituita, & catarrhus ille descendens, & quòd non sit pus ex ulcere quodam, sed ex catarrho ex capite descendente, & putrefactio propter motum in illis partibus. Hinc contingit, quòd dum putrescit in illis partibus, habent aliquam salsedinem, ratione cuius abstergit: & addit etiam aliquam putrefactionem ipse locus, propter plurimum motum, quòd scilicet quædam uenæ apertæ sint potiùs uel relaxatæ, quàm quòd sint corrosæ: & ideò etiam effluit sanguis & expuitur, interdum plus, interdum minus, prout illæ uenæ plus aut minus aperiuntur ex illa materia salsa transeunte. Et sic non credo hìc esse corrosionem, sed potiùs apertionem quandam uenarum, non magnarum, sed paruarum: unde etiam ille sanguis apparet non uerè rubicundus, sed saniosus, propter motum: & quòd ita ille sanguis est ex apertione, & non ex ulcere. Et hoc de catarrho & pure satis. Vtrum autem locus affectus sit in pulmone, an in concauitate pectoris, quæritur. Dico ego, ex quo uideo difficultatem anhelitus, & etiam difficultatem in loquendo, quòd potiùs illa materia seu catarrhus putrescat in pulmone, quàm in aliis partibus, & faciat ibi illa symptomata: & quòd locus affectus sit pulmo: & quia est salsus ille catarrhus & abstersiuus, ideò facit apertionem uenularum minimarum in pulmone. Et sic ille sanguis prouenit ab eadem causa, à qua pus: nam pus prouenit

à catarrho

à catarrho putrefacto, sãguis aũt à catarrho salso et abstergente: & ita catarrhus est causa illius sanguinis, qui unà eijcitur cum catarrho. Catarrhus descendens. Sed quæritur, utrùm sit in ipso capite principaliter & per essentiam, an sit ex partibus inferioribus, quæ generant continuè materiam catarrhi, & sic ille catarrhus aliunde proueniet, & non generabitur in cerebro. Audiuimus quòd dixit, se anteà perpessum esse affectum hypochondriacum, & quòd fuerit semper tristis à natura & melancholicus, & multum comedit. &c. Et uideo omnes esse causas catarrhi. Nam si est melancholicus propter paßionem hypochondriacam, & omnes illi, qui laborant melancholia hypochondriaca habent propriè uentriculum frigidum & hepar calidum, ut audietis cras in futuro collegio, quòd hoc semper sit necessarium in illa affectione, si aderitis. Quibus sic stantibus, habemus omnes causas catarrhi, uentriculum frigidum, & hepar calidum, auarum, quod semper attrahit chylum inconcoctum & crudum. Et cùm posterior concoctio non corrigat priorem, hinc fit quòd in omnibus uenis multiplicantur superfluitates, & in toto ambitu uenarum. Vnde quia hepar est calidum, & uenæ etiam necessariò calidæ, quia orta attestantur fonti: cùm humores illi crudi sint in loco calido, fiunt plurimæ euaporationes. Ergò suapte natura hoc corpus fuit paratum ad hoc, ut pateretur catarrhum, teste Gale. Præterea dicit se fuisse otiosum, & in studijs uersatum esse: & quantum studia conferant ad catarrhum, nouêrunt illi qui studunt. Vnde Marsilius Ficinus rectè dicit, scholares non habere hostem maiorem, quàm catar-

tar-

tarrhum. Et sic non mirum si incidit in catarrhum. Et incurrit in catarrhum tempore conueniẽtißimo ad hoc, id est, hoc anno, ineunte uere, in quo anno non habuimus uer, sed hyemem immediatè consecuta est ætas, & non credo quòd in quinquaginta annis tale habnerimus uer, propter maximas humiditates: & ideò uidemus etiam, quòd plurimi hoc anno iu catarrhum incidêrunt. Et sic omnia conueniunt ad causas catarrhi, & dispositio corporis, & genus uitæ, & constitutio anni: fortasse etiam habet caput debile, quamuis ego hoc nõ scio: semper enim fuit timidus, propter spiritus frigidiores, & inde caput fortasse frigidum fuit. Hinc apparet etiam cur catarrhus salsus sit: quia cùm frigidus sit uentriculus, & hepar calidum, à quo fiunt adustiones illius pituitæ in uentriculo generatæ, & inde fit salsedo, quæ fit ex partibus adustis in substantia aquea, ut dicit Arist. in 2. Metheo. Et sic habemus catarrhum cum suis causis, locum, & materiam catarrhi. Adest febris continua, quæritur an sit accidens, uel morbus distinctus à catarrho? Dico quòd hæc febris est potiùs accidens catarrhi: quia dum putrescit illa pituita in pulmone, et exeat putrida in tàm magna quantitate, & locus sit uicinus cordi, unde non mirum uapores putridos ductos esse ad cor, cùm aër trahatur ad cor per pulmonem, & sic etiam trahuntur uapores putridi, et inde propter putredinem in pulmonem factam febris est continua. Vtrum hectica, uel putrida tantùm? Dependet à uaporibus putridis. Cùm perseuerauerit hæc febris tandiu in corpore habente hepar calidum & sanguinem adustũ, & propter uapores propinquos cordi, uidetur quòd sit

etiam

etiam in substantia ipsa cordis sic facta impreßio calo=ris, & sic in ipso corpore cordis sit facta febris hecti=ca: & sic credo esse febrem hecticam. Et habemus si=gna, quia incalescit post cœnam & prandium, & hoc est inseparabile à febre hectica. Pulsus est ualde inæqua lis: primò, quia aliqua putredo: secundò, quia materia est in pulmone, ex quo semper fit inæqualitas pulsus, ut Gal. prædixit mortem habenti maximam inæqualitatem pulsus, cùm esset adhuc sanus. & de caus. puls. lib. 2. ui=de plura. His ita se habentibus, præsente catarrho & illo pure, si quæratur à me, utrũ sit phthisis, dico quòd est phthisis, sed non propriè ulcus pulmonis, sed est illa phthisis de qua loquitur Auic. in ultima parte capitis illius de phthisi: & dicit Auic. esse quandam speciem phthisis, quando catarrhus descendit à capite, & putre scit in pulmone, ex quo arescant corpora, & consequũ tur eadem symptomata, quæ consequuntur ex ulceratio nem pulmonis. Et sic est quædam phthisis hæc affectio, sed non propriè: & tales homines sæpe obueniunt no=bis in cura, & credo etiam Excell. V. saepißimè tales habuisse: & casus ille propter quem uocatus fui Taruì sium, erat ille ipse casus, & similis huic præcisè. Et no=tate hoc. Rarißimè curantur, & ut plurimùm moriũ=tur, quia contabescit cor & pulmo: & credo quòd ille iuuenis habeat malam intemperiem in pulmone, ex tan=ta putredine contractam. Ego tamen aliquos curaui: & ne hoc per arrogantiam dictum à me esse putetis, addam etiam hoc, quòd ubi unum curaui, ibi centum fuêrunt mortui. Aggredienda itaque in hoc cura, sed cũ pro gnosticatione. Cùm quibus? Exquisitis morbis, exquisi

ta

ta remedia adhibenda sunt. non curabitur remedijs leuibus, sed ualidißimis. Descendit catarrhus, catarrhum primò sisterem, factis tamen priùs purgationibus, si nõ factæ sunt, & raderem totum caput, & uesicatoria applicarem capiti, priùs ex leuioribus, tandem etiam ad fortiora, ut ad cantharides, deuenirem. Puto Excell. V. meminisse, quomodo matronæ cuidam nobili laboranti tali catarrho & phthisi, applicauimus etiam uesicatoria ad caput, & natura suppleuit, id quod nos non potuimus facere, & caput totum obductum fuit uesicis, & crustis, & sanata est ab hoc catarrho, & adhuc uiuit. Ideò in hoc adolescente etiam uesicarem caput, donec fierent crustæ. Posteà deuenirem etiam ad exiccationem pectoris & pulmonis, & uesicarem totum pectus: & tandem facerem cauteria circa utrunque brachium, & sic ubique exhalaret materia, & ita desinet putredo. & fiet diuersio materiæ illius. Vnde Gal. in phthisi, uera, circa pectus præcipit cauteria, ut satis expurgetur. Sed hæc non possunt fieri ante præparationem corporis. Primò igitur euacuarem corpus cum Caßia, & Agarico: non darem Scammonium & pillulas Coccias. Posteà ad expurgandum pectus ab illa matrria, singulis diebus darem oxymel cum melle ros. & sumat una uice ad ℥ ij. Paulus dabat ad expurgationem pectoris, mellis ℥ ij. una uice his, qui expuebant pus. Et ego potiùs mel ros. darem, quàm mel simplex. Adderem oxymel, propter penetrationem: dicit enim Mesue, & rectè, quòd facit penetrare medicinas ad partes, ad quas fortasse non penetrarent. Et Gal. sæpe admiscet suis medicinis acetum. Ergò mane acciperet ℥

i. s. mellis rof. & ℥ s. oxymellis, & sumat una uice tantùm. Item loco syrupi acciperet magnam scutellã iuris pulli mane, in quo iure essent decocta Hordeũ, Liquiritia, & Farfara, ad remittendam salsedinem & acredinem catarrhi. In reliquis parum confido, & credo quòd si poterit curari (quod tamen non polliceor) sic curabitur, scilicet ut uesicetur caput, exiccetur pectus cum cauterijs, & fiant uesicæ, & crustæ etiam.

Consult. CIII. De affectione hypochondriaca confirmata, cum multis symptomatibus.

OMNIA quæ sunt enarrata in hoc consessu per Excell. D. Hieronymum, sunt integra syndrome, & concursus eorum quæ possunt indicare affectionem hypochondriacam: & non simpliciter quidem ex illis, habet enim multos gradus: sed hæc enarrata indicant confirmatum hunc affectum in malitia. Et ita nõ simplex est affectus, scilicet affectio hypochondriaca, sed etiam confirmata. Verùm quia non curamus symptomata, sed ea solùm cõsideramus in hunc finem, ut ueniamus in cognitionem morbi, quo cognito & inuento omittimus illa signa & accidentia: nam nullum symptoma trahit curam ad se, nisi sub ratione morbi: uenio igitur ad affectum et morbum, hoc est, melancholiam hypochondriacam. Ero breuis, & procedam tantùm per conclusiones. Hic affectus fit, cùm illæ uenæ inter uentriculum & hepar inflãmatur, non quidem inflammatione ea quæ phlegmone dicitur & apostema, sed quædam φλόγωσις, id est, ardor quidam

quidam est, & quædam efferuescentia. Et sunt humores crudi & melancholici qui sunt in illis partibus & non trahuntur ab hepate, sed ibi flatuantur, & inde rugitus incipit, qui posteà cõmunicatur uentriculo, & fit frigidior. Nam habet hoc proprium hæc affectio, quòd calidior incipit in hepate, & posteà frigidatur in uentriculo: & quare hoc sit, alibi demonstratur. Hæc igitur est propriè affectio hypochondriaca, quæ fit propter obstructionem & inflammationem obortam in illis uenis, propter frigidum uentriculum & hepar calidũ. Sed quæritur hìc, num talis affectus sit uerè & propriè in hoc uiro, an sit quidam affectus similis huic, qui tamen eadem faciat symptomata? Nam sæpe contingit, quòd sunt aliqui affectus non quidem proprij, sed tamen similes: & hoc sæpißimè contingit in curando, ut in pleuritide, quæ non semper est propria, sed interdum in musculis, & tamen affectio ferè similis. Item Hipp. dicit, febrem causonicam etiam ex pituita salsa fieri, & esse causon impropriè sumptum. Ita sæpißimè contingere solet, & etiam hìc ita fit: nam duæ species hypochondriacæ melancholiæ à modernis Medicis & rectè ponuntur: una est propria ex efferuescentia in uenis hepatis, alia est affectus non ita proprius, sed qui tamen facit sæuiora accidentia, qui non est ex efferuescentia circa dextrã partem, sed in parte sinistra, ubi sunt uenæ illæ inter uentriculum & splenem, & tamen habet eadem symptomata quæ solent accidere in parte dextra. Et sæpe nos uidimus hunc affectum, & sic experientia quoque testatur, præterquã quòd describitur à modernis & Arabib. qui propriè hunc affectum describunt,

quòd omnes isti rugitus incipiunt in parte sinistra, & non à dextra, ut est etiam hîc. quæritur igitur, cuius generis sit hic affectus, an sit ratione inflammationis hepatis, & illarum uenarum quæ sunt inter hepar & uentriculum, an uerò sit ratione inflammationis splenis, & illarum uenarum quæ sunt inter splenem & uentriculum? plurimũ enim refert hoc ad curationem. Respondeo, non possum iudicare nisi ex signis. Non audio quòd afficiatur aliquid in parte dextra, nec habet hos rugitus & flatus nisi in parte sinistra, sub istis costis mendosis, ubi est situs splenis, & inde dicit fontem esse istorum dolorum. Et cùm omnia patiatur in sinistra parte, & de hac sola conqueratur, crediderim ego quòd hæc melancholia hypochondriaca non sit uitio hepatis, sed ratione lienis male affecti: quia dum replentur illæ uenæ inter lienem & uentriculum, tunc fiunt illi flatus. Et nullus humor est tàm flatuosus quàm melancholia, & magis etiam quàm pituita. Hinc melancholici sunt salacißimi, propter plurimas uentositates, & iuuantur etiam ex coitu, quia illæ uentositates expelluntur. Et quamuis hic humor sit frigidus & siccus et terrestris, tamen nõ ideò dicendum quòd non sit flatuosus, sed dicitur talis respectu aliorum humorum, quia plus habet de partib. terrestribus & ideò cùm tales agunt in illum, est rebellis ut dissoluatur, & inde conuertitur in flatus, & facit flatus molestißimos. Lien repletus hoc humore, refrigerat & totum corpus, & uniuersum sanguinem. Hinc & spiritus fiunt syluestres, quia sanguis etiam est talis, unde & spiritus erunt melancholici. Et quia spiritus sunt proximè domiciliũ animæ, ita fiunt et operationes malæ.

Cùm

Cùm ergò & uapores multiplicentur ascendentes ad caput, & ad os uentriculi, et spiritus in toto corpore fiant frigidi propter sanguinem frigidum, hinc fit ille chorus omnium illorum symptomatum, quæ patitur. Habet unum insigne quod est considerandum, & est hoc, quòd non potest concoquere nisi ligetur, & strictè: nam teste Gal. 3. de caus. sympt. cùm uentriculus non continet cibum, tunc sequuntur uentositates: nam continet flatus cùm non stringitur: nec constringitur, quia plurimi flatus. Vnde & ipse doctus ab experientia, quæsiuit remedium doctum à natura: & sic cùm ligatus est uentriculus, meliùs cõplectitur cibum. Credo quòd hoc symptoma oriatur, quia uentriculus non bene continet cibum, & non amplectitur, propter flatus. Plurimum sputum ex ore mittit, et uariorum odorum & diuersorum, pro diuersitate concoctionis: quandoq; etiam putrescunt cibi in uentriculo. Et cùm ille flatus in uentriculo semper detineat humidum aliquod, semper est sputum tale: nam ille flatus eleuat illos humores. Et ideò dicebat Gal. quòd non potest aliquid exire ex uentriculo, nisi per illa tria, uomitum, eructationem, & flatum: & quia plurima materia cõgregatur in uentriculo, propter obstructionem in liene & frigiditatem: nam lien interdum refrigerat non solùm uentriculum, sed etiam hepar, adeò ut sequatur hydrops, ut scribunt Doct. tantùm propter consensum splenis. Si igitur tanta est refrigeratio lienis ut trahat in consensum hepar, multò magis infrigidabit uentriculum, qui magis est paratus ad lapsum frigidum. Et hinc generatur in uentriculo propter frigiditatẽ plurima pituita, quæ suspenditur à fla-

tu: & hinc est illud sputum. Vapores melancholici ascendunt ad caput, & causant illam tristitiam, ut patet ex Gal. Prætereà cùm in hoc corpore sint spiritus tenebrosi, generati ex sanguine frigido, qui sparguntur per totum corpus, & sic infrigidatur etiam totum corpus, & fiunt malæ concoctiones, & hinc est illa macies, & dispositiones illæ impetiginum, siue alphi, siue morphea, quocunq; nomine appellare uoluerimus nihil refert, quia non generatur sanguis bonus, sed corruptus. Et sic patet quòd series omnium illorum symptomatum sequitur ex illa ægritudine, quæ est in liene: & si quæ à nobis omissa sunt symptomata, hæc omnia eò reduci debent, tanquam ad causam. Hæc autem ægritudo in liene est duplex: prima est in complexione, quia lien est frigidus: secunda est in compositione, quia sunt obstructiones, ut motu percipi potest. Et sic locus principaliter affectus est ipse lien, qui ita affectus in consensum trahit & reliqua membra: & credo etiam quòd propter lienem hepar non generet bonum sanguinem, & sic afficitur ex liene & hepar. unde omninò credo quòd hæc hypochondriaca melancholia non est principaliter in hepate & suis uenis, sed in liene & suis uenis. Et hoc satis de natura huius morbi & symptomatibus, quæ omninò inde dependent. CVRA. Hac ægritudine curata, curabuntur etiam omnia symptomata, ut rugitus, macies, morphea, sudor &c. An poßit curari? Clariß. D. quamuis ille morbus & affectus ratione splenis faciat maiora accidentia quàm qui est ratione hepatis, tamen dico quòd faciliùs curatur quàm ille, quia non est in hoc morbo affectum aliquod membrum principale,

principale, licet etiam hepar patiatur per consensum, non tamen principaliter: & credo, si possemus curare lienem, et aperire suas obstructiones, quòd non esset magna dyscrasia hepatis: nam non est magna læsio hepatis, quantùm ad frigiditatem, quia non est tumor pedum, ut solet esse in illis. Et nunc habeo quendam nobilem qui laborat hac affectione hypochondriaca cum tumore pedum, et est propter frigiditatem hepatis factam ex frigiditate lienis. Nec sunt in hoc casu signa alicuius caliditatis insignis, sed sunt signa humoris melancholici illius, qui est fæx sanguinis: & semper tales humores sic generantur prout est intemperies membri affecti: nam quodlibet ita operatur & concoquit, prout est sua temperies. Prætereà lien est durus, ergò erit ægritudo longa. Tamen si potuerit pati, & curam, et omnia alia quæ erunt agenda, poterit curari, & si nō ita integrè, tamen ita ut non pigeat uiuere. Sed cum quibus? Si uellet recipere aquam balnei, dicerem quæ essent facienda ante balneum. Si uerò non uult, longè aliter de cura eius mihi dicendum est. Ego omninò exhiberem. Sed est gracilis, & exiccatus. Dico quòd hoc non debemus timere: nam etiam sine illis aquis exiccabitur, & longè magis. Imò & decoctum ligni exhibemus semitabidis, quia remouemus causam illius gracilitatis, deinde incipio melùis nutrire corpus, et sic possumus dicere quòd lignum faciat pinguedinem per accidens, scilicet remouendo illud quod faciebat gracilitatem. Ita hic est quidem gracilis, sed tollendæ sunt causæ gracilitatis, & corroborandus uentriculus. Et longè maius est iuuamentum in remotione obstructionū in hoc balneo, quàm nocumen-

tum in exiccando. Atqui si aqua hæc non educeret, sed hæreret in hypochondrijs, non darem ego: sin egerit, si mouet sudorem, si uriuam, uellem uti. Et hæc aqua educit multum de atra bilę. Si uellet assumere, ante aquam aliquid facerem, et post assumptionem aquæ possemus iterum colloqui de rebus eius, quia nescio quomodo se habebit post balneum. Ante balneum uellem euacuare corpus, & statim cras mane darem Caßiam cum Hiera, ut consueuimus: deinde darem syrupos incidentes cum oxymelle, de Cichorio, & in tribus diebus darẽ Caßiam cum ʒ ij. Agarici, pro euacuatione corporis. Facta hac, accederet ad balneum: & instat nunc tempus. An secanda uena? Non uideo tàm magnam imbecillitatem quo minus liceat incidere uenam: licet enim non habeat multam carnem, tamen habet multum sanguinem, & malum, quod apparet ex tumore nenarum: & sic emisso sanguine malo, fortificaretur natura à sectione uenæ, & euacuaretur malus sanguis, & reliquum posset meliùs concoquere & uincere.

Consult. CIIII. Super eodem adolescente nobili, an sit mittendus ad balnea.

QVAMVIS *hæc materia diligentißimè fuerit à me pertractata, tamen ut satisfiat magnifico patri uolenti audire dispositiones filij sui, ego breuibus explicabo sententiam meam magnificentiæ suæ. Cùm sit triplex species melancholiæ, teste Gal. in lib. de locis affect. qua affligitur homo: una, quando caput tantum per se patitur, & redundat in eo humor melancholicus, unde afficitur tristitia, & alijs affectionibus melancholicis, totũ*

autem

autem reliquum corpus est immune. secunda species est, quando non solum caput, sed & corpus uniuersum redundat humore melanchol. ita ut totus sanguis sit eo humore infectus. tertia species est, quæ dicitur affectio hypochondriaca, non quòd sit in uenis aut capite, sed fit quando uapores ascendunt ab utroq; latere ad caput, & ita inducunt tristitiam, & difficultatem anhelitus, & cætera symptomata melancholica, secundum quòd hic morbus est maior uel minor. Hîc quæritur nunc, utrum hic adolescens patiatur unam speciē tantùm, aut duas, aut omnes? Primò suppono, quòd non est tantùm affectio hæc in capite: & hoc est manifestißimum. De alijs duabus dico, quòd patiatur utranq;: nec frustra dico hoc. Primò, quòd hoc corpus redundat humore melancholico in omnibus uenis, testantur primùm illæ maculæ (seu escharas seu pustulas appellare uelimus, nihil refert) hæ indicabunt humorem melancholicum. Et quòd fuerit melancholicus constat, quia accesßit quartana incipiendo, quod non potest esse ex alia causa nisi ex abundantia humoris melancholici: ut omittam alia signa, nam fuit intentus curis studiorum, & diligentißimus in studijs, & perpetuò cogitauit. Sed hoc est extrinsecum, & ferè semper ita est, quòd ea quæ extrinsecus accidunt, si inueniant dispositum corpus, facile id ipsum afficere & mutare possunt. Intrinsecum est hoc, quòd habuit à principio generationis hepar ualde calidum, et etiam forte ipsum cor: & ex his factum est totum corpus calidum abundanter. Et hoc indicat etiam augmentum illud repentinum & magnū: nam calor fortis cùm inuenit & habet materiā aptam extensioni, facile illam

 superat

ſuperat & concoquit. Nam licet complexio eius naturalis in origine ſit calida & ſicca, tamen in prima ætate fuit humidior: & quia illa ætas eſt humida, & illa humiditas potuit obtundere calorem, ergò cùm in illa ætate fuerit humidus, et calor fortis, ideò optimè nutritum fuit hoc corpus, quia affuit & agens, et etiam materia conueniens fuit agenti. Et uidemus etiam experientia, quòd pueri melancholici in principio celeriter augentur & creſcunt, propter fortitudinem caloris agentis in illud humidum, quod eſt proprium illi ætati: ſed non diu permanet illud augmentum, & fiunt graciliores propter tenuitatem caloris. Et ita in hoc adoleſcente illud repentinum augmentum indicat mihi calorem magnum. Item habitus corporis, habet enim uenas amplas, calorẽ ſubnigricantem, qui indicat caliditatem ſanguinis. Nam ſanguis cùm exit ad cutem, facit colorem cutis. Et ita ex hac coniectura patet hunc iuuenem habuiſſe à principio ætatis hepar calidum, & hoc adurit ſanguinem, et hi homines ſunt apti ut adurant ſanguinem. Vnde Gal. dicit, qui ſunt calidi & ſicci, tempore paracmaſticæ ætatis fiunt melancholici. Sed iſte iuuenis præuenit hoc tempus: habuit ergò naturalem diſpoſitionem ad humorem melancholicum: & acceſſit ſtudium, et curæ, & multæ cogitationes, unde magis eſt exiccatus ſanguis, & corpus affectum: nam curæ (quæ dicuntur quòd cor urant) primò inflammant ſanguinem, licet poſteà infrigident, reſoluto toto humido, & cum hoc etiam omni calore, & inde aucta eſt illa diſpoſitio. Et forte etiam bibit uinum uetus, ut ſolent Veneti nobiles bibere Maluaticum, & comedit aromata, multum ſe exercuit. Sed hæc quæ diximus

ximus sufficiunt, & fuerint satis in causa ad sciendum affectum illum, quem nunc patitur. Hæc quoad coniecturas, quibus ego colligo hunc iuuenem repletum esse humore melancholico in toto corpore & uenis, et sic laborare secunda specie melancholiæ. Tertia species melancholiæ est, cùm fiunt obstructiones circa illa uiscera, siue sita in latere dextro: & hæc dicitur propriè affectio hypochondriaca à Galeno: uel ex latere opposito, & hæc species est etiam ualde frequens: & quandoq; etiam in utroq; latere contingit, & hoc est deterius. Hæc tertia quæ est? an propter inflammationem extantem in uenis hepatis, an propter ebullitionem factam in uenis splenis? Dico, ubi dolor, ibi ægritudo: & in utroq; latere percipit flatus, ut nunc audio, signum est quòd in utroq; latere sunt obstructiones: & si magis in latere dextro, signum quòd maior obstructio est in hepate & eius uenis. Ergò prima ratio illius melancholiæ hypochondriacæ & tertiæ huius speciei est, ut sint ibi illæ materiæ in uenis, quæ efferuescunt propter obstructionẽ, & hinc fiunt flatus. Ex his sequitur necessariò frigiditas uentriculi, quia hepar calidũ indeficienter attrahit, & attrahit chylum inconcoctum, & sic non potest eum conficere: unde per totum corpus multiplicantur humores crudi, quia concoctio secunda non potest corrigere primam, & sic ille humor crudus auget flatuositatem melancholiæ. Et cùm hepar adurat sanguinem, & multiplicetur humor melancholicus, hinc cùm superest, & nõ potest recipi & concoqui à liene, obstruit lienem, quia lien nimia copia illius humoris suffocatur, et non potest conficere totum nutrimentum, & ita obstruitur.

humor

humor uerò qui non potest confici, redundat & regurgitat in totum corpus: & sic hæ duæ species melancholiæ se inuicem consequuntur, & secunda species nutrit & fouet tertiam, & tertia secundam, et sic fit circulus: & cùm est circulus in causis, efficitur difficillima cura. Et quia splen repletus humore melancholico est frigidus, ideò solet infrigidare hepar: nam sæpe ex splene refrigerato ita infrigidatur hepar, ut sequatur hydrops, ut uidimus hodie in D. Benedicto, qui laborat affectione hypochondriaca, atque ita infrigidatum est hepar, ut secutus sit tumor pedum. Hic autem iuuenis nondum deuenit ad illum gradum, quia humor nondum ita collectus, neque affectio splenis ita inualuit, ut posit communicare nocumentum hepati, communicat tamen uentriculo, & hinc illud sputum, ut iam sæpe dictum, & alia, &c. Et hinc etiam est illa astrictio alui, quia dum humor melancholicus multiplicatur, transit ad uentriculum, & etiam ad intestina descendit, et ibi flatuatur, & sic sua flatuositate suspendit fæces, & inde aluus astringitur. Præterea bilis quæ solet naturaliter ab hepate per porum fellcum ad intestina peruenire, et ea abstergere, & excitare uirtutem expulsiuam, non peruenit eò, propter obstructionem illius pori, & inde intestina illa non possunt abstergi: & sic non fit hoc officium bilis, ad quod à natura ordinata erat: & inde aduruntur illæ fæces, & fiunt squibala tanquam pillulæ caprarum. Et hæ sunt ægritudines & accidentia huius adolescentis. Patitur ergò duas melancholias, & in toto, & in hypochondrijs: & hoc ualde aduertendum, quia non patitur simplicem affectum, sed duplicatum.

DE

DE PROGNOSTICO. Dico ex sententia Gal.ut et anteà dixi,in quibuscunq; generatur melăch.hypochon. in omnib.prolongatur, & sic suapte natura est longus hic morb.Et quia est circulus,ut dictũ est, unde difficilis erit curatio.Quoad curam. Proximè satis dixi,& replicabo unũ quod tunc temporis dixi. Nulla maior pernicies horum, & quod inducit in incurabiles ægritudines,quàm multiplicare pharmaca:et uos uidebitis,quantò magis exhibebit Excell. V. illa medicamenta, tantò deteriùs habebit. Sint itaq; placidißima remedia, & sine uiolentia procedendum. Proponitur unum, utrum debeat accipere aquas Apponitanas, quia curam aliorũ dixi proximè, & post assumptum balneum dicam etiam aliqua de ea. Et dico ego quòd omninò debet accipere hanc aquam: nam habet sulphur, alumen, cinerem, & calcem,et hæc possunt aperire,quam apertionem maximè quærimus, & hanc maximè præstabit nobis aqua. Sulphur aperit, & educit etiam humorem melancholicum. Et uidi in quadam nobili Domina, ex qua educta est maxima copia humoris melancholici per potũ huius aquæ Apponitanæ. Item corroborat & uentriculum: & in hoc generatur pituita, et sic etiam uentriculo con ueniet. Vnde credo huiuscemodi aquam profuturam magnopere, dummodo exeat. Si uideatur inflammare, quia hepar est calidum, potest inungi hepar, & circa dorsum,& exhiberi saccharum ros.& alia ad prohibendam nimiam calefactionem hepatis: sed non accipiat magnam quantitatem una uice. Patres nostri accipiebant maximam quantitatem, ut 30. aut 40. cyathos, & ita magis debilitârunt & obruêrunt uires. Calor innatus

est

est qui dirigit medicamenta, qui non est supprimendus. Ego darem per 15. dies in modica quantitate: quia primi dies præparant, & ultimi proficient: & confido procul dubio, quòd meliùs se habebit.

Consult. CV. De catarrho, cum affectu quodam melancholico.

Ex *relatione nostri* Hebræi *comprehendo duo. Primum quod noto ego, est, quòd habet aliquam dispositionem ex parte rei, & non ex imaginatione: & est quòd patitur defluxum catarrhi, qui ueniens à cerebro ad partes diuersas, facit diuersos dolores.* Huic *dispositioni possumus credere. Posteà patitur paßiones quasdam imaginarias, quas non patitur ex parte rei. Dicam primò de catarrho. Causæ catarrhi fuêrunt fortes, scilicet procatarcticæ, cùm fuisset in balneo illo, & tunc incœpit ille catarrhus.* Hæc *fuit quidem causa primitiua: sed multa dedêrunt occasionem huic causæ primitiuæ, ut commoueret antecedentes: nam & hepar est calidum, & uentriculum habet frigidum, & hæc diuersitas est ualde dubia in conseruatione sanitatis. Et quando est hepar calidum, & uentriculus frigidus, facillimè multiplicatur catarrhus.* Nam *in uentriculo frigido cibus non concoquitur: hepar autem auarum propter caliditatem igneam trahit humores hos crudos etiam ante tēpus, & sic plurimi humores crudi distribuuntur per uenas, quia secunda concoctio non corrigit primam & præcedentem, et sic fit necessariò euaporatio ad caput.* Hinc *omnes illi, qui habent uentriculum frigidum, & hepar calidum, semper habent repletum caput, & hi etiā*

fa-

facile patiuntur affectionem hypochōdriacam. Hæc est naturalis eius dispositio, quam facile mouent causæ externæ: solet enim comedere plurima, quæ possunt aggregare humores crudos. Et causa illa procatarctica quæ fecit, ut deueniret ad actum catarrhi, ad quem naturaliter dispositus erat, fuit istud balneum: nam ex isto balneo colliquati sunt humores: & illa uini potatio Germanorum maximè replet caput, quia resoluunt humores, & fluere faciunt congelatos à frigore. Hic igitur catarrhus cùm ita incœpit, semper ita durauit. Nā uidemus in illis fluxibus, quòd cùm semel incipiunt, semper posteà illam partem afficiunt, uel quia illa pars facta est imbecillior, uel quia ita consueuit natura, uel qualem causam uelimus reddere. Et sic etiam uidetur contigisse in hac parte. Vtrum sit infectio Gallica? nā dolor est circa crura & periostium, qui locus uidetur esse proprius morbi Gallici: nam per hoc signum distinguuntur dolores Gallici, à doloribus articulorum, quia hi sunt in iuncturis, dolores autem Gallici sunt inter iuncturam & iuncturam. Item deciderunt pili ex supercilio. Hæ sunt quidem coniecturæ, non tamen habent aliqua signa certa. Hæc signa non possunt nos inducere, quòd fuerit morbus Gallicus, sed solùm fuit ille catarrhus, qui occupat partes istas diuersas. Quoad affectum melancholicum, quia multa imaginatur sibi, quòd patiatur morbum Gallicum, quem tamen non patitur: ego credo in tali habitu esse humorem melancholicum, tum quia totum illud genus Hebræorum est ferè melancholicum, tum quia sanguinem habet crassum, & hepar calidum. Et sic non est omninò expers ab affe-

ctione

ctione illa hypochondriaca, quia habet hepar calidum, & uentriculum frigidum: & si non patitur melancholiam hypochondriacam, incipit fieri, & habet per totum ambitũ humorem melancholicum. Hos duos affectus, ut tollamus, quid agendum? Ego uellem omninò dare aquam balnei, quia habet catarrhum, & habet dolores circa uniuersas partes corporis. Catarrhus est frigidus, & occupat omnes partes corporis, & sic non est omittenda occasio illa, & est etiam tempus. Mane darem minoratiuum, item syrupum, ut oxymel, cum aqua Betonicæ, Saluiæ. Euacuarẽ cum confect. Hamech, uel pillulis aggregatiuis, Coccijs, &c. Purgato corpore, statim mittatur ad balneum. Forte etiam hepar cum aliqua mißione sanguinis possemus purgare ab humore melancholico. Aqua illa corroborabit uentriculum, et distribuetur per uenas, & corroborabit totum corpus, & sic & iuncturæ & musculi corroborabuntur. Euacuabit etiam hæc aqua per sudorem humorem melãcholicum, ut ego experientia obseruaui. Et uidi multos, qui ex usu harum aquarum incœperunt nutriri, & accipere bonum sanguinem, cùm antea essent extenuati, nõ quidem per se propter has aquas, sed per accidens, quia scilicet euacuabatur humor melancholicus & siccus. Et sic etiam propter humorem melancholicum conuenient hæ aquæ. Post balneum si adhuc esset catarrhus, ponerem cauteria pro diuersione, ne ita uapores ascendere possent ad caput, & fiant circa utrunque crus. Posteà accipiat semper per interualla aliquid, ne aggregentur humores, ut sunt pillulæ illæ de tribus dictæ, quas maximè laudo ad hanc intentionem.

Consult.

Consult. CVI. De epilepsia pro puero.

EST *ualde uerendum, ne incidat in epilepsiam, nam habet caput dispositum ad hanc, quia est humidum, & prosternitur sine causa, qui uidetur esse quidam motus epilepticus. Abstineat omninò à uino, bibat aquam decoctam cum* Cinnamomo. Item *decoquantur* Tormentilla, Pæonia. *&c. quæ confortant caput, & uentriculum, ne uapores transmittantur ad caput ex uentriculo. Vtatur frequentißimè* Agarico, *& faciat hoc sibi familiare, ut euacuetur caput, & accipiat* ℥ s. Agarici. *Et sic procedatur usque ad annum* XV. *quia mutatione ætatis fortasse curabitur hic morbus. Quòd si perseueret, fiant cauteria non solùm in cruribus, sed etiam in brachio. Caput etiam abluatur cum* Pæonia, Agarico, Betonica. *Item fiant pulueres ex* Maiorana, Sãdaraca, Betonica, *& similibus, quibus solemus uti ad exiccandum caput in his, & similibus morbis, & addatur etiam* Ladanum *contusum cum his pulueribus.*

Consult. CVII. De surditate.

CVM *patiatur integram surditatem, in hoc firmabo sermonem meum. Huius causa & ratio est inquirenda, quod quidem est symptoma. Causæ uero sunt plures. Principales sunt, uel enim uitium est in ipsa uirtute, quæ transmissa à cerebro est principium omnium sensuum: uel in instrumento: & hæc sunt duo, neruus auditorius, & ipsum tympanum, id est, pellis illa uel membrana extensa. Obstructio autem est in poro extrinseco, per quem transit aër, & patet facile: aut*

in poro intrinſeco. Primò dico, quod uitium non eſt in uirtute, nam ſi illa facultas pateretur, etiam alij ſenſus paterentur: nam hæc communis eſt, & eſt una uirtus, quæ audit, uidet &c. & eſt in ſenſu communi una tantùm. Ergo uitium erit in inſtrumento. Sed an in neruo auditorio, an in tympano? Dico ego, nec in neruo auditorio, nec in tympano eſſe uitium. Nam ſi in illis principalibus, & immediatis inſtrumentis auditus eſſet illa læſio actionis ablata, integrè non perciperet aliquid omninò, nec extrinſecus, nec intrinſecus: ut ſi quis prorſus nihil uidet, nihil nec extrinſecus, nec intrinſecus uidet. Mullò magis ſic eſt in auditu. Nam ſi neruus & tympanum illud ita eſſent infrigidata, uel læſa & obſtructa, ut nullo modo poſſet tranſmitti uirtus, nihil omninò audiret, nec intus, nec extrà. Sed ille uir non omninò priuatur omni actu audiendi, quia intrinſecus audit, percipere enim ſe dicit tinnitus, & facultas iudicat de illo tinnitu: quod non fieret, niſi illa repercuſsio fieret in tympano, & neruus auditorius haberet aliquam uim, qua poſſet deferre ſpeciem illius flatus ad ſenſum communem. Ab extrinſeco nihil percipit, nullum ſtrepitum, etiam magnum. Eſt ne læſio in extrinſeco meatu? Ergò dicendum quòd ſit uitium in extrinſeco meatu, qui eſt penitus obſtructus, per quem non poteſt pertranſire ſpecies auditiua. Sed uidetúrne? Dico, quòd illa obſtructio non uidetur, niſi ſit ualde extrinſeca, & meatus ille tortuoſus eſt, imò quandoque uermes incidunt in meatum, qui nullo modo poſſunt uideri. Et ideò non uidetur, tamen adeſt illa materia in meatibus profundioribus extrinſecis. Et ſic eſt ne

ceſſa-

cessarium per sufficientem diuisionem, quòd causa huius ablati auditus sit in meatu extrinseco, quia nullum aliud est instrumentum. Si non hoc, nec illud, ergò hoc. Hic affectus & actio læsa in hoc meatu, unde est? Est morbus, qui est affectus à quo proueniunt actiones læsæ prouentu primo. Nunquid complexio mala, an mala compositio, an solutio continui? Potest esse complexio mala introducta, tamen ego non uideo signa malæ complexionis, sed est obstructio integra, & ex hac facta est integra surditas: & sic est morbus in compositione, in uia scilicet. An sit cum mala complexione uel non, hæc mala compositio, non ausim ego pro nunc affirmare. Quæ materia? Perseuerauit hæc obstructio iam per tres menses, & non fuit mota materia: ergò non dicendum quòd sit calida & subtilis: & regula est, quòd omnis morbus etiam à principio à calida materia dependens, tractu temporis fit frigidus, ut in omnibus chronicis morbis experimur. Ergò est ibi materia quieta & permanens ac fixa in loco, ergò crassa & frigida. Sed duæ sunt materiæ crassæ & frigidæ, pituita & melancholia, loquendo secundum dominium, quia raró inueniuntur materiæ simplices. Dicam quod sentio, ut de morbo etiam dixi. Credo quòd materia sit melancholica, & non pituitosa, & habeo huius rei meas coniecturas: primò, temperaturam totius corporis: secundò, causas quæ præceßerunt: & tertiò ipsa symptomata. Primò temperatura totius est calida & sicca, & talis est ipse, si quis alius: & hæc adustio fit ab immoderata caliditate hepatis & cordis: habet musculos amplos, pulsus ualidus est & uelox propriè, color subniger, pili

nigerrimi, craßi, adusti: hæc omnia indicant insignem caliditatem hepatis & cordis, unde generatur sanguis melancholicus & adustus, et maximè tempore paracmastices, ut dicit Gal. in quo nunc est. Prætereà habet cerebrum præparatum ad hoc, nam est naturaliter calidũ & siccum, quod patet ex operationibus & studijs & moribus animi: quia in perpetuo motu, semper uaria cogitat, pili nigri & adusti in prima ætate, & habet caliditatem & amplitudinem uenarum circa illam partem, & patitur uigilias, et non redundat superfluitatibus: & talia corpora redundant maximè humore melancholico. Et in hoc uiro maximè circa caput abundat hic humor, quia perpessus est etiam aliquas imaginationes melancholicas, ut audiuimus, quòd semel putauit cùm spatiaretur in uilla, aliquem esse qui uellet eum comprimere retro: & hæc sunt signa manifestißima melancholiæ. Item uigiliæ, quæ indicant humorẽ siccum & frigidum: & humor melancholicus occupans caput inducit uigilias, quas nunc etiam patitur. Et hæc sunt signa humoris melancholici, et non pituitosi: & ita materia magis melancholica est, faciens hanc obstructionem ex prædominio. Dolorem coxendicum dico esse à pituita, et non est mirum, quia uentriculus est frigidus, et est secundum rationem rectam. Humores adusti ascendunt ad caput cum uaporibus: & pituita, quia grauis & frigida, per uias ampliores decubuit ad coxas. Et quia humor melancholicus maximè est flatuosus, et magis quàm omnes alij, inde facti uapores, et ille dolor capitis, et hinc etiã uigiliæ. Quòd si humor pituitosus ascendisset, habuissemus signa pituitæ, quæ semper uertitur in catarrhum, si

potest extendi, quia hæc est materia propinqua ipsi blenæ, & sic descendisset per nares, per palatum, & si non fuisset excreta, sopores effecisset, et aliorum sensuum diminutionem. Sed signa hæc non uidemus, ergò magis à melancholico humore. Ergò ex symptomatibus et temperatura & causis, crediderim ego quòd humor obstruens sit melancholicus à prædominio. Est quidem & pituita, quia raro humor simplex: & cùm uentriculus sit frigidus, non possum negare quin etiam ascendat pituita, sed humor melancholicus dominatur. Et hoc de morbo, et causis illius, & symptomatis. Causæ repletionis capitis, & doloris, & grauitatis, & tinnitus ac surditatis, quæ? Dico omnia esse à causis intrinsecis, quia hepar calidißimum, et etiam secundum totum ambitum uenarum calidus est: & qui habent hepar calidũ, semper sunt subiecti dolori capitis, teste Gal. 3. de locis affect. propter plurimos uapores ascendentes à toto ambitu: & caput etiam calidum attrahit, & aliquo modo facit ad attractionem, & aliquo modo etiam ad resolutionem & difflationem materiæ. Et ita, cùm adhuc fuit iuuenis, quia materia difflabatur, non fuit ita affectus dolore capitis: tandem obstructis poris cùm geßit galeam, quæ est frigida, non potuit fieri difflatio illius materiæ, quæ euaporauit ad caput. Item in Foroiulij sunt multæ boreales constitutiones. Porrò & ratio ætatis ac temperaturæ hoc docet: iuuenes enim habent humores subtiliores, quia inflammantur, & sunt in fieri: post paracmasticam uerò ætatem materia iam est adusta & inflammata, & facta craßior, et sic uapores eleuati à materia crassa & adusta non potuêrunt ita difflari, itaq;

materia est translata ad membrum debilius, & hæc materia semper fouetur: nam hoc est perpetuum, quòd omnes superfluitates quæ multiplicantur, recedunt ad locum affectum & debilem. Et inde dolor coxendicum, quia pituita generata in uentriculo, per uias amplas decubuit in partem infirmam, & deuenit etiam materia ad neruos sensitiuos, & inde factus ille stupor quem habuit, quia illi nerui sunt infrigidati. An mala complexio? Fortè non est introducta adhuc in cerebro aliqua mala intemperies, quæ sit frigida, licet sint ibi humiditates frigidæ: & sic non credo esse factam essentialiter læsionem in cerebro, sed tantum illa materia ex inferioribus deuenit ad illum locum, quia habet adhuc omnia signa illius calidæ & siccæ temperaturæ, ut sunt uigiliæ, et caliditas ad tactum: & sic non possum dicere esse ibi intemperiem uel naturalem uel aduentitiam cerebri frigidam. An poßit curari? Licet scimus surditatem cùm perseuerat post sex menses curari non posse, tamen ego sæpe uidi curatos post tres aut quatuor annos, & perfectè ideò distinguendum. Si intemperies est in tympano & neruo confirmata, dico quòd non recipit curationem, quia neruus est frigidus & siccus, et tympanum seu membrana illa est etiam frigida & sicca. Cùm autem natura omnia sua opera faciat mediante calore naturali, si in his membris introducatur intemperies frigida, extincto omni calore raró curantur. Et uidemus, quòd quando morbi occupant membra frigida & neruosa, difficile curantur: & quando materiæ sunt fixæ in illis membris neruosis, non possunt curari omninò. Et si ille neruus est intrinsecus, & tympanum illud male

affectum, non possumus adhibere remedia, ut rectè Bellocatus dicebat: & sic tum ratione loci, tum ratione naturæ illorum membrorum, non possumus curare talem affectum, uel talem surditatem. Sed quando est obstructio in partibus extrinsecis, semper tollitur surditas, licet durarit per decem annos: sed non quælibet obstructio, solùm ea quæ obtinet extimam partem illius meatus extrinseci, & etiam cùm non est crassa, & si est crassa, modò sit per congelationem, & non per calefactionem. Dico quòd hæc obstructio est in profundo, quia non uidetur, & sic ratione loci erit cura difficilis: & ratione materiæ etiam erit cura difficilis, quia non est per congelationem, sed per calefactionem ex humore melancholico. Vnde illa medicamenta efficacißima & calidißima data à D. Iulio & adhibita, nihil effecêrunt: & imposuit in aurem ualidißimè colliquantia, et tamen non potuit colliquari, quia materia illa faciens hanc obstructionem & surditatem, non est colliquabilis, & non obedit illi calefactioni, sed est melancholica compacta, & sic non obedit nisi cum maxima industria applicetur, & sic tum ratione loci, tum ratione materiæ, erit difficilis cura: & propter ea quæ dicta sunt, credo quòd poterit curari, sed cum difficultate nõ parua. Cum quibus? Dicam quod sentio. Omninò indiget duobus principalibus. Primum, ut materia ea quæ facit morbum, & tenet se sub forma causæ antecedentis, remoueatur, quæ est circa uentriculum & hepar, & ne ascendat ad caput. Secundum, ut illud quod factum est ibi, actu remoueatur. Quoad primum, euacuatio non est tentanda uno impetu, quia licet euacuetur materia, tamen intemperies il-

 lorum

lorum membrorum manet & augetur: & sic quia habet intemperies, ratione quarum continuè generantur humores, ideò uictus instituatur bonus, ne aggreget excrementa. Posteà continuè materia remoueatur & diuersione & euacuatione, & prohibendo ne fiant obstructiones, quæ fiunt maximè in uentriculo frigido & hepate calido. Ex Aloë, Agarico & Rha barbaro, & potest addi aliquid Epithymi & Myrob. fiant pillulæ, quibus poterit uti ter aut quater in mense. Et hoc esset unum. Item maximè laudarem cauteria ad humores, quæ facerent deriuationem, & etiam circa tibias, si nõ sufficit, ut sic materia antecedens prohibeatur. Posteà nollem purgare caput, quia est siccum & calidum, & sic non tentandum, si modò tollatur illud fomentum inferiùs: & licet sit ibi materia in cerebro, tamen illa facile tollitur, nam est paßio in sensibus, & non in cerebro aliquis affectus, aut aliqua intemperies præter naturã: & ideò nollem tentare caput, modò materia antecedens non ascenderet, facile enim caput sanabitur. Et sic nihil facerem pro capite, nec sternutatoria, nec gargarismata, multò minus stillicidia, nec quidquam aliud. Quoad aurem & morbum factum, credo quòd aliquid sit faciendum, & credo ego quòd cauendum sit ab omnibus exiccantibus & calefacientibus tanquàm peste, quia cum his faciemus illam materiam gypseam: & ita haud dubiè indigebimus lubricantibus & humectantibus & calefacientibus in gradu primo, ut fomentis & traiectoriĳs, sed non cum aqua balnei, sed cum mollientibus in primo gradu, ut sunt Chamæmilla, Malua, Althea, Liquiritia, & omnia calida & humida in primo,

& ex

& ex his fieret decoctio, ex qua fiat euaporatio ad aures, & cum alijs euaporationibus, ut oleo Amygdalarum dulcium, Chamæmelino & Altheæ, ut locus emolliatur. Vellem semper addere aliquid Croci, quod emollit, sed intensius, sicut & Myrrha, Bdellium, & alia quæ sunt in secundo gradu emollientia: sed magis ad emolliētia in primo gradu declinarē. Et hæc puto sufficere pro curatione huius uiri: & non fiant hæc uno aut altero die, sed semper & multo tempore. Item facerem linimentū ad partes extrinsecas circa aurem cum emollientibus, nam longo successu temporis etiam hæc deuenirent ad locum affectum. Abstineat ab omnibus stillicidijs, & aquis calidis. Ratione uentriculi de quo conqueritur, posset potare illas aquas in modica quātitate, defendendo hepar & renes, ne calefiat totum corpus.

Consult. CVIII. De dolore in brachio ex præseruatione ab apoplexia.

REVERENDISS. *Antistes sibi cōsulere cupiens, quærit non tantùm curationem symptomatum quæ iam patitur, & quæ tamen leuia sunt, sed etiam tanquam uir prudens, quomodo poßit præseruari: uidet enim hæc symptomata esse prænuncia sæuarum ægritudinum, & in hoc rectè & sapientißimè iudicat. Considerandus habitus corporis istius Domini, & symptomata, quæ sunt prænuncia futurarum ægritudinum. Dispositiones præter naturam quas nunc patitur, sunt leues: patitur enim brachium dextrum leuem quendam dolorem, imò nō est dolor nisi cùm facit insignem motum. In reliquis non laborat: & ideò non multū curat quod nunc est, sed quod*

futurum. Conqueritur etiam de grauitate aliqua auditus in parte dextra. In reliquis nihil habet præter naturam, bene dormit, bene comedit, egerit, & exercet operationes omnes inculpatas. Dicebat quidem se habuisse quædam symptomata circa uentriculum, sed nunc nihil conqueritur. Sunt tamen hæc symptomata consideranda, & redigenda in suas causas, quia sunt prænuncia grauiorum morborum. Primò dolor in brachio. Locus illius tristis sensationis est uarius: primò est periostium, id est, membrana continens os illud inter iuncturam & iuncturam, qui dolor est necessariò in membrana: nam os non sentit. Item percipit dolorem in utraq; iunctura. Causæ quæ? Hic non est abscessus, non est solutio continui: ergò in complexione est morbus. Sed morbus in complexione est duplex, cum materia, & sine materia. Audiuimus à Reuerendißimo, quemadmodum consueuerit uti regione calida, in quarto scilicet climate, sed etiam in situ prope mare. Acceßit in sextũ clima, imò in finem sexti climatis, scilicet Tridentum, ubi mutauit aërem per duo climata: sed etiam situm planè contrarium, quia Tridentum est maximè borealibus uentis expositum, et regio sua est exposita Zephyris & meridionalibus uentis, et ita aër Lusitanus est totus contrarius aëri Tridentino. Hic aër multum potuit in corpore præparato, id est, senili. Et licet aliquam habuerit laßitudinem ex alapis sæpe replicatis in confirmatione, tamen quia per undecim posteà dies sequentes semper fuit sanus, ideò non credo ego eam debilitatem esse factam propter illum motum, sed potiùs propter aërem. Nam semper unam partẽ magis exponimus aëri

frigido quàm aliam, ut fieri solet: & sic illud periostium & membrana quia frigida, facile potuit affici & lædi ab aëre frigidiore & insueto, et in habentibus symbolum facilis est transmutatio: & sic credo quòd sit facta & impressa complexio frigida sine materia, & hæc subita alteratio ad cōtrarium facit illum dolorem. Et hæc complexio frigida impressa in membrana, non facile recipit curationem: quia membrana recipiens impreßionem aliquam, amittit calorem naturalem & proprium, per quem natura operatur & curat morbos, et ita est debilis: & tunc contingit quod semper solet contingere: ubi enim aliquod membrum ad aliquā intemperiem & plerunq; frigidam mutatum est, non potest fieri concoctio ut oportet illius alimenti & proprij, et sic multiplicatur materia cruda circa locum, & fit membrum illud rheumatizans, non quòd aliunde defluat materia, sed quòd excrementa redundent propter intemperiem: nam qualis est complexio membri, talis est concoctio. Et hæc excrementa etiā non facile difflantur, quia membrum est frigidum, et ideò aggregatur materia. Ergò si quæratur à me, qualis sit cōplexio introducta in morbo præter naturam: dico, quòd complexio frigida sine materia à temperie aëris frigida: qua complexione stante, abundant etiam materiæ per uiam inconcoctionis. Et sic sunt duo: primò, intemperies in parte: secundò, materia, & illa materia etiam est compressa ad partes laxiores & frigidas & spatiosas, ut sunt iuncturæ, quod sæpe euenire solet: & sic patitur dolorem in uarijs locis, & sic etiam iuncturæ sunt repletæ. Et quòd hæc materia non defluat aliunde, probatur: nam modicum est

nutrimentū

nutrimentum quod deuenit ad membrũ, & sic est etiam paucum excrementum, et ideò non est magnus dolor, & illa uasa non extenduntur, & musculi & chordæ & nerui magis infrigidantur: et hæc est causa illius difficultatis motus. Et hanc credo esse potißimam causam illius doloris: primò frigidam impreßionem & intemperiem: secundò materiam tantam aggregatã per uiam inconcoctionis, quæ tamen est pauca, quia nullum facit tumorem, nullum abscessum. Quod ad alia membra, an à capite defluat materia ad locum per uiam catarrhi? Non credo ego quòd catarrhus defluat ad illas partes, quia si semel inciperet ille fluxus, & cùm plurima pituita sit in capite, credo quòd illud brachium longè seuiora accidentia pateretur, et solent fieri ut podagræ, paralyses, morbi articulares &c. Sed cùm ille uiuat, comedat, et exerceat operationes ut alij sani, et aliud nihil persentit, credo quòd non sit defluxus catarrhi ad illas partes, sed quòd sit tantùm materia aggregata per uiã excrementi, propter imperfectionem concoctionis, & debilitatem illius membri. Prætereà conqueritur Reuerendiss. Dominus se habere catarrhum copiosißimum, quòd plurimum expuit, et plurimũ excernit per nares, & sentit difficultatem auditus. Credo hoc factum esse ex causis procatarcticis. Nam in die synodi per 13. horas continuas uacauit studijs, ut audio: & ex hoc studio si nihil aliud esset, possent fieri cruditates in uentriculo, & etiam in toto ambitu corporis: nam hepar non corrigit coctionis primæ uitium, et hinc plurimi uapores ascendunt ad caput, et maximè cùm caput laboret in studijs. Et hinc studiosi plerunq; habent debilem uentriculum,

culum, quia ubi actio, ibi calor: nam est tantùm unus calor: itaque cùm capite laborant, destituitur uentriculus calore & sua operatione, et sic replentur capita, quia plurimum laborant capite, unde plurimi uapores attrahuntur ad caput, qui nõ possunt difflari, quia resoluitur calor cerebri ex multis laboribus, et inde tales studiosi semper habent caput repletum. Talis est etiam temperatura naturalis huius Reuerendi Domini: nam habet hepar calidum, quod testantur uenæ amplæ, multitudo carnis: & cùm sit educatus in regione quarti climatis, ubi calores intensi, et sunt ibi homines nigri, ipse tamen abundans est sanguine bono & naturali, et habet colorem floridum etiam in senio, et ideò est quidem caliditas in hepate, sed non adurens: & ideò generat plurimum sanguinis, unde habet hepar calidum & humidum. Et in his plurimi uapores eleuantur, si in ullis alijs temperamentis: & sic & ratione temperaturæ in hepate habet hoc quòd sit subiectus repletioni capitis: & hic catarrhus non solùm Tridenti, sed etiam in propria regione generatus fuit: & hinc plurima materia illius catarrhi deuenit ad dentes. Est in primo senio, quia primum seniũ incipit à septimo septenario, id est, anno 49. quia agit annum 55. & ideò nondum debebant cadere dentes: & dentes illi etiam sunt corrosi, et hoc indicat continuum catarrhum erodentem & decumbentem ad dentes. Et hoc notandum pro præseruatione. Hic est chorus symptomatum: primò brachium dispositum ad omnes affectus, & habet intemperiem frigidam, & ita timenda paralysis, & priuatio motus, item morbi articulares: magis tamen paralysim timerem.

Item

Item cùm ſit catarrhus, & nunc plurimum excernatur per nares & os, ſi ille catarrhus ſiſteretur, poſſet fieri apoplexia, & aliæ ægritudines frigidæ capitis. Et eſt unum quod dicebat nobis: ſolebat euomere materiam pituitoſam, & hoc erat ei familiare, qui uomitus iam reſtitit, quia iam in ſenio uirtus expulſiua eſt debilis: & multùm poſſe cùm conſueta euacuatio deſinit, nouit Excell. V. & cùm iam ſeneſcit, debebant euacuari illa excremẽta, quæ generãtur rõe ſenij: et hæc materia, augetur, et frigiditas corporis, et ideò refertur uiolẽter aliò hæc materia. ſ. ad caput. Ideò timenda ſunt alia ſymptomata et grauiora. Tẽpore iuuentutis potuit illa materia diſflari. Ergò habemus hîc brachium affectum, & caput non quidẽ per ſe, nam omnes ſenſus habuit acutiſsimos: & ſigna ſumpta à proprijs actionibus membri nunquã fallunt, & ſenſus interiores ſunt proprij ipſi cerebro, & non habent aliud inſtrumentum quàm ipſum cerebrum, & illud membrum eſt ſanum, cuius operationes ſunt ſanæ. Ergò ſi caput quid patitur, patitur per conſenſum partium inferiorum, & non propter propriam intemperiem. Quomodo ergò præſeruabitur? Tollantur omnia illa, quæ faciunt incurrere in illas affectiones, in quas poſſunt incurrere, qui ita ſunt affecti. Primò caueat ab omni aëre exceſsiuo, qui primùm illum læſit: caueat uentos boreales, & in tempore frigido optimè muniat caput: deinde habeat optimam rationem uictus, ne uentriculus & hepar aggregent pituitam, & uapores aſcendentes ad caput: non laboret in ſtudijs, et in omnibus rebus non naturalibus habeat modum. Sed quia nõ poſſumus bene ita uiuere quin ſæpe delinquamus, nam anima præſtantior corpore, ideò ſæpe nego-

tia ſunt obeunda, quæ nocent corpori, & ideò correctio ne opus eſt. Conſulerem ego, ut continuè utatur medicamentis & euacuationibus familiaribus & leuibus, et diuertantur materiæ ad partes inferiores: ut eſt uſus Rha barbari aut Aloës, quam magis probarem, quàm Hieram, quæ magis exiccat quàm Aloë, quia habet aromata exiccantia, uſque ad tertium gradum. Cauerem ab uſu Agarici, et omnibus quæ euacuant electiuè, quia illa deſtruunt omnes mineras uirtutum. Item laudarem, ut fierent cauteria in cruribus, & eſſet continuus uſus horum cauteriorum. Nam quia uult præſeruari, & hic catarrhus poſſet facere apoplexiam, quia iam etiam tendit ad ſurditatem, ideò ſuaderem cauteria, ſed poſtquàm aliquoties uſus eſſet illis pillulis. Ad brachium, quia materia nō influit aliunde, corrigenda intemperies illius loci. Et hoc tempore maximè laudarem ſtillicidium circa illud os, ut cadat aqua, quo profundiùs penetret. Etiam uellem ſuffumigium facere ex hac aqua, ut reciperet illum fumum: hic enim fumus aperiet & rarefaciet poros & meatus: & poſteà ubi lauabitur brachiū in ea aqua, maior fiet impreßio illius aquæ, quia hæc eſt craſſior quàm uapores, et ſic aqua quoque pertranſire poterit. Ac ſi priùs fiat euaporatio, poſteà in illa aqua lauet brachium, deinde ſtillicidio utatur. An facienda aliqua euacuatio capitis ante hæc localia? Caput eſt repletum, & hîc eſt maxima difficultas, ne localia attrahant materiam ad brachium, & ubi ſemel incipit ille fluxus, nulla eſt materia, quæ non affluat ad locum illum: & ſic & caput erit euacuandum etiam per caputpurgia. Sed tempus calidum uenit, & quod non fieri poteſt ad

perfe-

perfectiorem euacuationem, faciamus per uires, ut possumus, si ut uolumus non licet.

Consult. CIX. De uisus imbecillitate, & alijs quibusdam symptomatibus.

VIDENTVR *accidentia, quibus infestatur* Reuerendißimus D. Oeconomus*, omnia ita sibi respondere, ut ab eadem causa dependeant. Et primò patitur obscuritatem uisus, secundò plurimum sputum, ultimò manus & pedes incalescunt, & ultra modum sudant.* Dico *hæc omnia referri in unam & eandem causam: nam aßumpsit primò aquas thermarum, posteà incidit in hos affectus: & non audiuimus alias causas, quæ hæc potuêrunt efficere.* Ergò *uidēdum an ratione potus aquarum hæc potuerint contingere.* Priùs *dispositiones naturales considerabo.* Est *hepar calidum, & hoc patet ex omnibus signis, amplitudine uenarum, colore: & habet imbecillitatem uentriculi, ratione cuius abundat pluribus flatibus.* Hæc *duo membra sufficiunt ad hæc symptomata.* Aquæ *illæ sunt calidæ & siccæ, quia habent sulphur, alumen, calcem, salem, & hæc omnia sunt calida.* Potauit *has aquas, & hæ calefecêrunt hepar, & consequenter renes, & per consequens totum corpus: nam orta attestantur principijs: & qualis est temperatura hepatis, talis temperatura uenarum, & sic etiam totum corpus sequi solet: & sic sanguis redditus est craßior, & si sanguis, sequitur etiam quòd spiritus, qui semper proportionati sunt sanguini: nam nihil aliud sunt, quàm uapor sanguinis bene concoctus.* Ergò *si sanguis crassus, & spiritus sunt craßiores.* Sanguis *enim redditus est craßior,*

craßior, propter hepar supercalefactum, & etiã spiritus, qui faciunt omnes operationes in toto corpore. Ille autem sensus, qui indiget spiritu lucidißimo & purißimo, meritò primò percipere dēbet hanc læsionem, & hic est uisus. Ergò hæc craßitudo spirituum cœpit affligere uisum. Quòd autem sit in spiritibus causa huius diminutæ uisionis & læsæ, apparet, quia in instrumento nulla est læsio, nec in facultate, nõ enim læsus discursus. Ergò læsio in spiritibus. Sed hæc ratio ex remotione aliorum nõ sufficit, sed ex proprijs signis & pathognomonicis iudicandum est: nam uidet clariùs ubi est multa lux, deteriùs uerò in obscuro. Sed in obscuro dilatatur pupilla, in claro constringitur. Et hæc sunt signa imbecillitatis: nam lux plurima illustrat oculum, & humidũ aqueum, & crystallinum: & si spiritus qui deferuntur per illum sunt clari, non indigent magna luce illustrante exterius. Vnde qui habent spiritus claros, non possunt uidere, nisi semiclaudant oculos, ut quasi subumbrentur spiritus. Et contrà, est signum quòd sint craßi spiritus, ut in hoc casu: & ob id in tenebris dilatantur, quod fit propter multitudinẽ spirituum. Nam cùm claudimus unum oculum, dilatatur altera pupilla, quia impetus spirituum, qui omnes deueniunt tunc ad unum oculum, facit dilatari pupillam. Sic in his fit, quia enim habent spiritus crassos, indigent plurimo spiritu, ut quod deest in qualitate, suppleat natura in quantitate: & sic fit maior dilatatio pupillæ, quia quod deest claritati, conatur supplere copia spirituum. Et in claro constringitur pupilla, quia tunc spiritus non ueniunt ad pupillam, nisi quantum opus est ad illam lucem obscuram. Ergò

hæc est causa quare læsa sit uisio: primò craßitudo spirituum, & hæc facta est propter craßitudinem sanguinis, & hæc propter calefactionem hepatis, et hepar supercalefactum ex potu aquarum. Et sic ex resolutione causarum patet, quòd potus aquarum fecerit diminutionem uisus. Item est alia causa: cùm habeat naturalem imbecillitatem uentriculi, quæ nō est curata per potum aquæ, hinc plurimum saliuæ expuit, propter expulsionē flatus: nam hæc non proueniunt ex uentriculo, nisi propter tria, ut aliquoties iam dictum in collegijs. Et sic saliua illa permiscetur cum spuma, & hæc indicat flatum, aliàs non posset expui. Et hi uapores generati ex debilitate uentriculi ascendunt ad caput, unde spiritus fiunt craßiores, ut uidemus in suffusionibus quæ ortum habent ex uentriculo. Causa inflammationis renum (nam urina arenosa & color indicant hoc) est eadem supercalefactio aquarum, ut & hepatis: & renes consentiunt hepati, tum propter propinquitatem, tum propter uenas communes. Præterea est sudor & supercalefactio manuum & pedum, et hoc est proprium symptoma: ubi supercalefit hepar, statim inflammantur manus & pedes. Ratio est, quia illæ partes minus habent carnis, et uenæ sunt magis exteriores in illis partibus, & sunt ibi multi nerui & ossa, et hæc ubi incaluêrunt, retinent calorem. Vnde in ferro est intensior caliditas, quàm in aqua feruente. Hac stante caliditate, cùm in toto ambitu uenarum aggregentur plurimi serosi humores propter hepar auarum, quod trahit ad se chylum inconcoctum, et non potest eum conficere: & hi humores crudi attracti ad ea loca calefacta

diſſlantur

difflantur posteà per cutim, & hinc apparet illa humiditas: & Gal. dicit quòd materia sudoris est ἰχὼρ, & serositas in uenis: ergò omnia symptomata dicta, ex caliditate hepatis & potu aquæ proueniunt. Sputum non prouenit ab aqua, sed hoc erat etiam ante aquæ usum. Et illæ aquæ non fecêrunt impreßionem in uentriculum, quòd habebat renitentiam, & supercalefecêrunt hepar, quòd habebat symbolum: & ex his fit circulus. Plurimi flatus & uapores ascendunt ad caput ex uentriculo, & hi iterum ad uentriculum descendunt.

PROGNOSTICON. *Nisi prouideat sibi bene, tandem incidet in flatum hypochondriacum.*

CVRA. *Omnia sint temperata. Caueat à uino potenti, & omnia sua medicamenta sint moderata in caliditate & frigiditate: cùm enim sint illa membra contraria, utriusq; cura habenda erit. Ergò hoc sit ei pro regula, quòd omnia actu & potentia sint temperata. Non laboret, quia inflammat spiritus: & potiùs delinquat in nimietate somni, quàm in uigilijs: & utatur continuè quæ poßint refrigerare hepar, & non infrigident uentriculum, & hoc est saccharum ros. quod assumat sæpe & semper & in magna copia: nam refrigeratio eius est satis mitis, ne infrigidetur uentriculus, & quod non potest facere agens debile in pauco tempore, hoc faciet in longo spatio tempòris, & magis etiam aget quàm agens forte in pauco tempore. Et admisceatur etiam aliquid quod facilem faciat transitum, ut sunt rosæ, ut Gal. 3. simpl. dicit, & iuuetur transitus cum diureticis: & si aliqua suspicio incidat*

ne refrigēretur uentriculus, addamus Piper tenuißimė contritum, quia Piper est tenuißimæ substantiæ, & sic secundum tempus calefaciet uentriculum, & uis eius statim difflabitur, ut sunt illa quæ sunt tenuia & calida. Gal. plurimum laudat Piper, unde ego sæpe precor modernis meliorem mentem, qui cùm uident Gal. uti Ptisana cum Pipere in febribus, putant Gal. dormire, & dicunt quòd melius sit uti Cinnamomo, & ita illi ordinant Cinnamomum. Sed hi non uident istud mysterium Galeni, quòd scilicet Piper calefacit uentriculum, & non hepar. Et dicit Gal. 4. de tuend. ualet. quòd Diaspoliticum & Diacalamenthum & similia, peßima sunt uentriculo crudo, quia ducunt humores crudos ad hepar, & faciunt obstructiones. Nam licet non sit tanta caliditas in Cinnamomo, tamen est magis diuturna. Ideò saccharum ros. cum modico Pipere minutißimė contrito, ut facile exhalet, darem ego, & consulerem in hoc Reuerendo uiro. Vtatur etiam Rha barbaro unà cum saccharo rosaceo, quod educit materias calidas & etiam frigidas, & aperit obstructiones si quæ sunt, & confortat. Hæc esset præseruatio huius uiri, & sic longo tempore curet se. Mißionem sanguinis maximė laudarem, quia hepar calidum, priùs lenita aluo cum flore Caßiæ. Vtatur etiam syrupo de Cichorio, & cum Geniabin, & etiam sine aqua. Item Trochiscis de rosis minoribus interdum uterer in brodio pulli. Et non aggrederer morbum totis uiribus, ne fieret deterior.

Consult. CX. De brachio læso, & omniũ principalium membrorum influxu destituto.

HISTORIA *clara est, & satis constat quòd multiplex sit læsio in illo brachio, & quidem tot modis quot sunt principia. Primò est principium sensus & motus, secundò principium uirtutis uitalis, tertiò principium uirtutis nutritiuæ. Et quodlibet horum principiorum habet suos riuulos. Primò sunt nerui, per quos deriuatur uirtus sensitiua & motiua: per arterias defertur calor & spiritus: per uenas uis nutritiua ab hepate. Hi tres riuuli sunt aliqua ex parte læsi, & secundum huius læsionis proportionem est affectus. Arteria fuit incisa & neruus. Et nos ex quadam necessitate consequentiæ concludimus, licet Medici id nobis non indicent, quòd etiam uenæ sint læsæ. Hinc sequitur quòd nõ nutritur, quia uenæ non deferunt sanguinem, & percipit etiam perpetuam frigiditatem in isto brachio. Motus læditur propter neruos: sensus etiam. Hæc est res quæ sensui patet. Sed illud est dubium, utrum hi riuuli, scilicet nerui, arteriæ & uenæ, ita sint incisi, ut nulla planè sit continuitas: an sint ex parte incisi illi riuuli, an planè non sint incisi, sed potiùs propter materiam influxam sint obturati? Ego incipiam ab arteria & uena. Oportet credere historiæ. Omitto puncturam illam factam ex uulnere: sed quia fecérunt incisionem magnam, & cauterium etiam adhibuêrunt Medici illi pro sanguine sistendo, quod cauterium adurit uenam, &*

obducit callum, & sic constringitur: ergò probabile ualde quòd illa uena separata sit in totum: & quia ignis exiccat, & hinc uena facta breuior, & sic non potest bene continuari, quia ad hoc ut continuentur & consolidentur, requiruntur duo, ut sint molles, & ut se inuicem cõtingant. Sed hìc sunt duo: primò, ignis qui adußit, & fecit partem duriorem, & secundò etiam breuiorem: & sic & propter duritiem & propter breuitatem non potuêrunt hæc continuari, et sic non est liber transitus sanguinis & spiritus ad partes inferiores. Et ita credo quòd illæ uenæ & arteriæ sint incisæ, & habeant cicatricem non facile consolidabilem. Vtrum sint omninò interceptæ & separatæ secundum totum, & quòd partes planè distent, & factus sit callus tàm in parte superiori quàm inferiori? Ego non poßum certò dicere, sed credo quòd planè sint discissæ, & hoc ex coniecturis meis dico. Quoad neruos est facta læsio. Motus reuolutionis in manu & erectionis est impeditus, & nonnullorum digitorum: & credo quòd omnes illæ læsiones non sint æquales, et non omnes ex uulnere. Nam illi nerui qui sunt incisi ex uulnere, non recipiunt curationem, & non possunt consolidari: et cùm sit uulnus in una parte, nõ credo quòd omnes nerui sint æqualiter læsi, sed facto uulnere debilitatur locus, et ita affluit materia, et recipitur etiam in neruis, et propter frigiditatem & craßitudinem illa materia non facile resoluitur, et sic facta est obstructio. Et non solùm hæc læsio est ex uulnere, est etiam læsio in sensitiuis neruis, & etiam motiuis, & sic credo illam læsionem neruo-

rum

rum esse ualde diuersam, & non solùm ex uulnere. In superiori parte etiam non habuit motum: nunc autem incipit mouere humerum, cùm anteà non potuerit, quia materia affluxit ad illam partẽ. Vnde sæpe euenit quòd uulnerato pede fit bubo, propter interceptionem materiæ. Ergò nunc mouet humerum propter medicamenta quæ adhibita sunt. Ergò quantum est incisum, est incurabile, & quoad neruos, et quoad uenas & arterias. Qui uerò sunt obstructi & refrigerati propter affluxum materiæ, hi poterunt curari, et maximè cùm anteà fuerit catarrhus: non enim potuit mouere humerum, quem iam mouet. Quantùm ad torturam oris sum anceps, an aliquid sit incisum: audio tamen quòd continuè meliùs habuit, et sic credo quòd etiam materia defluxit ad illum locum. Sed quod est incisum non curatur, quod tamen certò non scio.

DE CVRA. Omninò tentet resolutionem, et non potest sequi nocumentum, si rectè fiat ea resolutio. Vtatur perpetuò resoluentibus, sed misceat cum emollientibus, ne quod subtile est resoluatur, et pars gypsea relinquatur. Vtatur ergò his inuicem. Mollientia sint calida & sicca in secundo gradu, quia materia est crassa, ut Crocus, Bdellium, Myrrha. Emolliatur cum pinguedinibus, et oleis, ut oleo Amygdal. dulcium & Chamæmelino: item lapide Pyrite, quod Gal. dicit esse magicum. Vtrum lutum S. Bartholomæi conueniat & foueæ illæ? Placerent, sed oporteet considerare quòd ad illa ualida resoluentia egemus multa præparatione corporis, et est corpus cacochymum, & hoc tempus potißimum

mum est pro purgationibus, & maximè in corpore cholerico, ut istud est. Ergò balneum differatur usque ad Septembrem, et quia corpus non est præparatum, opportunum tempus expectetur. Interim tamen aliqua cerata uel emplastra applicentur, ut est oxycroceum illud, quod ponatur supra totum brachium, & singulis 15. diebus remoueatur. Et consului in quodam iuuene nuper, qui amiserat motum in brachio, & nunc optimè incipit se habere, et mouere brachium.

Consult. CXI. De fluxu pituitoso per vrinam, vlcere in pudendis, tabe, manus contractione, & hypochondriaca affectione.

SYMPTOMATA *quæ patitur hic Magnificus uir, sunt hæc. Primò est defluxus per urinam, quem putat esse gonorrhœam: secundò patitur ulcus circa taurum, quæ est illa pars inter testes & anum: tertiò arefactionem & tabem totius corporis. quartò contractionem manus dextræ: quintò imbecillitas uentriculi adest, & caliditas hepatis, unde patitur affectionem hypochondriacam. De primo. Conqueritur de gonorrhœa, uidendum quale sit symptoma, an fluxus seminis, uel aliud quiddam: nam multum refert hoc scire. Non credo illum affectum aut esse aut fuisse gonorrhœam: primò, quia passus est illum fluxum longè ante tempus seminis, ut circa annum quintum aut sextum, & eo tempore nondum mouetur semen, quia nullum est instrumentum paratum ad illum fluxum seminis, & nondum habuit*

tunc

tunc ſemen: quia omnis illa materia ex qua debebat generari ſemen, tranſit in augmentum corporis, et nulla eſt ſuperfluitas pro ſemine generando, & ſic non fuit illa ſuperfluitas ſeminis. Secundò uidemus, & locum & ſymptoma nõ eſſe conſentanea quòd ſit gonorrhœa: primò, non apparet aliquid quod habeat rationem ſeminis, ſed arenulæ apparent, & aliæ materiæ aduſtæ. Item ſæpe minxit ſanguinem, qui indicat talem materiam deuenire à renibus, quod ſæpe contingit, cùm nimirum relaxantur renes, et renes affecti ſunt per ſe: & ſic affectus eſt in renibus, et non in uaſis ſeminarijs. Item fluxus ſeminis fit aut ob abundantiam ſeminis, uel propter caliditatem, uel propter amplitudinem uaſorum ſeminalium: quod in hoc uiro non eſt, eſt enim ſiccißimæ temperaturæ, & ſanguinis paucißimi: & qui non habet ſanguinem, non habet ſemen multum, quia ſemen generatur ex optima parte ſanguinis. Item non habet inclinationem ad Venerem, et ego noui ipſum adoleſcentem, et poſſem mira narrare de eius continentia. Item ex longo defluxu ſeminis ulcus fit non circa partes tauri, ſed circa pubem: & ſic perforato peritonæo fieret ibi abſceſſus, et non tranſit per penem. Et hinc uidemus, quòd ſæpe inflantur teſtes & uaſa ſeminaria, & ſæpe inflatur pubes, & Medici putant eſſe ramicem, cùm ſit propter inflationem illarum partium & arteriarum & uenarum. Hîc autem contigit inflammatio circa os ueſicæ inter teſtes & anum, ubi chirurgi ſolent incidere & extrahere lapides. Nam continuus defluxus huius materiæ à renibus non per uaſa ſeminaria,

ſed per uaſa urinaria, quia hæc materia eſt aduſta & feruens, tandem circa collum ueſicæ, ubi locus eſt anguſtus & carnoſus, fecit ulcus, et ſic forte inducta eſt fiſtula: & inde emittit urinam inuoluntariè, quia muſculi ibi exiſtentes læſi ſunt, et quia os ueſicæ eſt affectum. Et licet collum ueſicæ eſſet affectum, et os ueſicæ eſſet ſanum, non exiret urina inuoluntariè. Sed ad os ueſicæ non peruenit ſemen, ſed habet aliam uiam: & hoc non debebat exulcerare partes ueſicæ, ſed alias partes uirgæ. Et ſic non credo ego eſſe gonorrhœam in hoc corpuſculo, quod adeò eſt extenuatum. Sed hoc ulcus eſt in tauro, propter materias acutiſſimas deuenientes ad os ueſicæ, quæ fecêrunt ibi inflammationem, & ſic illa pars eſt perforata, et etiam inducta fiſtula, quod facile fit in partibus illis neruoſis, et muſculis ueſicæ & ani, ubi facile fiunt fiſtulæ. Patitur præter hæc duo arefactionem totius corporis, & magnam caliditatem hepatis, cum frigiditate uentriculi & rugitu, et affectionem hypochondriacam. Cauſa horum ſymptomatum etiam quærenda eſt: diſpoſitio ſua naturalis conſideranda quantùm ad hoc. Semper fuit calidus, et anno 18. ætatis ſuæ incidit in tabem, et fuit deſperatus à Medicis, ſed liberatus diuinitus, ut retulit nobis. Eſt longæ ſtaturæ, et productus in longum, tamen omnia membra habet grandia, quod teſtatur caliditatem ſeminis ſeu materiæ, & eiuſdem paucitatem, in prima eius generatione: non enim potuêrunt hæc membra in latum extendi propter paucitatem materiæ, et ideò prolongata ſunt: et calor primò in longũ extendit, deinde in latum.

& habet

& habet etiam maximam raritatem texturæ. Et hæc duo sunt signa paucitatis materiæ & caliditatis, & ideò à quacunq; causa extrinseca facillimè patitur propter raritatem texturæ. Præterea & membra etiam principalia omnia sunt calida. Hepar ualde calidum generat plurimum sanguinem biliosum et melancholicum. habet pilos multos, et sic plurimum abundauit excrementis quæ fiunt à calore immoderato. Item cor est calidum, quia iracundus & magnanimus, et constans in actionibus & audax, ut sciunt illi qui eum nouêrunt. Cerebrum etiam calidum & siccum, quia adest promptitudo ingenij, quæ est ex siccitate cum tenuitate substantiæ. Ex caliditate cerebri habet mobilitatem & promptitudinem in actionibus, et fuit uersatilis ingenij undiquaq; & celerrimi, ut ego noui ipsum. Et inde meritò cerebrum iudicatur calidum, ex proprijs & immediatis cerebri operationibus. His stantibus plurimus sanguis melancholicus generatur, et per consequens spiritus melancholici, qui & obscurantur. Vnde semper fuit religiosus, et considerando naturam melancholicam uidebimus quòd omnes sunt religiosi, ut testatur quotidiana experientia. Ex hac temperatura non mirum si habet naturalem imbecillitatem uentriculi, cùm sit uentriculus sine carne, et nullam habeat ferè pinguedinem omenti, et nullos musculos ferè quib. per antiperistasin fit calefactio uentriculi: & si Aristo. credere uolumus, ipsa etiam pinguedo calefacit positiuè. Ergò uentriculus est siccus, quod patet ex habitu totius corporis: quia si caro est sicca & musculi, multò magis uentriculus qui

est

est neruosus. Ergò uentriculus est frigidus & siccus, et hepar est calidum. Et hæ sunt causæ hypochondriacæ affectionis, ut sæpe dictum est hoc anno in colloquijs, quomodo hæ fiant, et obstructiones, et eleuationes uaporum &c. ideò de his satis. Macies ferè tabida est, propter duo efficacißima ad tabem: primò propter copiam pauci sanguinis, unde ferè semper patitur atrophiam, et ex qua sæpe homines ad tabem deueniunt, cùm scilicet membra non nutriuntur: secundò propter plurimam caliditatem & siccitatem in toto corpore, unde ariditas. Accedit tertium, maxima raritas texturæ, quia plus difflatur quàm recipiatur ad membra & nutriatur. Item quodlibet membrum concoquit alimentum proprium, et nutritur secundum propriam suam naturam, teste Gal. Et cùm omnia illa membra sint gracilia à natiuitate, parum attrahitur nutrimenti & cõficitur. Hinc etiam plurimùm abundat humoribus acribus, erodentibus, et acutis, stante caliditate hepatis & totius corporis. Et quia orta attestantur suis principijs, & renes plurimùm cõmunicant hepati, et propter situm, & propter uias amplas, ideò etiam renes sunt calidißimi. His stantibus non mirum si plurima materia excreta est per uias urinales per totam uitam suam, & sic factæ sunt illæ exulcerationes in uijs urinæ quas patitur: & etiam ex dispositione illa, calculi & arenulæ generantur, quæ apparent in urina: nam causa materialis horum est pituita, quæ fit multa in frigido uentriculo, & ita excernitur per urinam hæc pituita, ut patet in hoc uiro, quòd unà cum urina materiæ pituitosæ excernuntur.

tur. Causa efficiens est calor ingens hepatis & renum. Et ideò etiam facile generantur illæ arenulæ, quia pituita quæ est uiscida, est tanquam gluten, & arenulæ sunt ex bile, unde sunt flauæ. Passus etiam est chiragram: habuit enim primò dolorem chiragricum, qui pessimè curatus est, & ipse nesciuit esse chiragram, & admiratus est cùm ei dicerem. Est autem chiragra defluxus materiæ catarrhalis ad iuncturas manuum. Et fuit pessimè curata, quia non debet curari cum remedijs extrà adhibitis: ipsi autem usi sunt relaxantibus & mitigantibus, quo nihil poterãt facere deterius: hinc enim factum quòd magis affluxit materia, & facta ibi materia gypsea obstruxit neruos & chordas, hincq; abbreuiantur & dilatantur & contrahuntur. Et facta hac obstructione, etiam facta est arefactio. Et hoc corpus in quo est caliditas hepatis & uentriculus frigidus, est aptissimum ad articulares morbos, quia adest pituita, & bilis eam ducit. Et Auic. dicit quòd ad hoc requiruntur quatuor. Et passus etiam est in pede, ut mihi dixit. Hæc sunt symptomata & causæ, ad quas redigenda sunt omnia: quæ causæ fuêrunt adiutæ ab extrinsecis, & in rebus non naturalibus, in quibus plurimum deliquit.

DE PROGNOSTICO Quæ sunt naturalia non possunt bene remoueri, & uidemus omnia ista dependere à dispositione naturali. Quoad ulcus, credo quòd non sit curandum, ut etiam sentiunt Excell. V. Quoad contractionem, uellem experiri aquam Apponitanam, etiam lutum illud aquæ Apponitanæ. Circa uentriculum & hepar, ut alterum refrigeretur, alterum cale-

fiat,

fiat, credo ego quòd nulla arte id fieri poßit. Dabo tamen ei consilium, & remedium unum quo utatur singulis diebus, & toto tempore uitæ suæ hoc faciat. Accipiat singulo mane, aut quandocunq; uoluerit, oxymel optimè & diligenter confectum, & mel rosaceum eodem modo confectum, & assumat una uice duo aut tria cochlearia, & hoc sæpe & semper fiat: sic enim ex longo usu huius medicamenti uentriculus pedetentim abstergetur, & corroborabitur sine calefactione hepatis. Non possem ego imaginari aliud remedium & melius & tutius, & ipse sentiet se optimè iuuari, si non desinat. Posteà ter uel quater in mense ∋ ij. aut iij. Rha barbari, admixta portione Caßiæ, sumat. Hieram uereor, quia suspectam habeo iam in corpore extenuato: & Galen. dicit quòd in sicco uentriculo nõ sit exhibenda Hiera, de tuend. ualet. In Rha barb. non est tanta exiccatio, & etiam abstersio. Et singulis mẽsibus ter aut quater assumat hoc. Confert etiam ad calculos oxymel, de quo suprà dictum, quod sæpe sum expertus: imò etiam actu frangit calculos. Corrigitur etiam fluxus materierum per uias urinæ cum melle rosaceo hoc modo sæpe assumpto. Porrò leniunt etiam uẽtrem oxymel & mel rosaceum. Et ita meo consilio non uellem uti alio remedio pro his omnibus quæ dixi. An aqua Veronensis conueniat, quæ semper contulit ipsi? Ego dicam quod sentio. Credo omninò quòd semper fuerit adiutus quantum ad paßiones renum, nam sunt ferreæ & frigidæ, & sic refrigerarunt hepar & renes, & uiæ sunt corroboratæ, ne fieret illa dilatatio uiarum: &

rum: &

rum: & sic in quolibet defluxu materiarum cõuenit illa aqua, ut in fluxu seminis, hepatis, & alui. Et sic credo quòd contulerit his affectibus. An uerò etiam ratione uentriculi conueniat, est apud me dubium: nam infrigidant hæ aquæ, quod testatur experientia: licet habeant caliditatem actu, & habeant sulphur, tamen potentia habent frigiditatem. Nam & Coriandrum habet in se partes calidas, & tamen infrigidat, & multa alia eiusmodi. Ita Philoniũ propter calidas res quas habet non calefacit, sed infrigidat propter res frigidas. Item ultra hoc exiccat etiam hæc aqua. Si dicat quis, stomachus est laxatus, ergò indiget exiccatione: & hanc præstat hæc aqua. Dico quòd indiget exiccatione quæ euacuat, & non illa exiccatione quæ constipat, & sic magis affigit materiam ad uentriculum. Et indigemus hìc euacuatione materiæ, & tunc uentriculus euacuata materia per se confortabitur, quod fiet per pharmacnm suprà dictum. Et sic renibus quidem conferet hæc aqua, non autem uentriculo, qui fiet imbecillior. Si uult, ratione renum assumat, non autem uentriculi.

Consult. CXII. De paralysi sinistri lateris.

RES & ægritudo est in propatulo, & ea quæ patitur sunt manifesta, & ideò ero breuis. Patitur Magnificus uir impedimentum circa ambulationem in crure sinistro, & circa brachium eiusdem lateris, ita ut etiam oculus sinister ingrauescat, licet non sit affectus quantum ad uisionem: & sic illa dispositio occupat to-

tam

tam partem ſiniſtram, & eſt tantùm in motu, nõ in ſenſu læſio. Quæritur, quæ ſit ægritudo, et quod accidẽs, & ſub quo genere ponendum, item à quo morbo dependeat. Quantùm ad ſymptoma, utrum ſit paralyſis? Si propriè uolumus loqui, dico quòd nõ ſit paralyſis: nam paralyſis propriè dicta, eſt particularis apoplexia, & apoplexia eſt paralyſis uniuerſalis: ſicut & ſpaſmus & epilepſia differunt, quòd ſcilicet ſpaſmus eſt epilepſia particularis, & epileſia ſpaſmus uniuerſalis. Ergò uerſantur circa idem. Sed cùm apoplexia ſemper habeat deperditionem ſenſus et motus, ita & paralyſis. Hìc autẽ uidemus tantũ eſſe impedimentum in motu, & nullũ in ſenſu, et ideò dico quòd non eſt paſſus apoplexiam nec magnam nec leuem. Iuxta Hipp. ſoluere apoplexiam leuem difficile, et forte impoßibile. Sed quomodo erit apoplexia ſi non ſentiatur? & ſic potiùs erit ſubita motio alicuius humoris ad aliquod membrum, & ita non erit apoplexia, nec uera paralyſis. Eſt impedimentum in illa parte in motu, & ſic nerui & muſculi ſunt affecti, & quòd ſpiritus uel uirtus prohibetur uel propter intemperiem, uel propter obſtructionem. Vtrum ſit hic affluxus materiæ, aut ſola intemperies? Audio eum pati granphum, quæ eſt conuulſio quædam leuis, propter ſubitum tranſitum materiæ ad muſculos. Vnde eſt conuulſio leuis, quia eſt materia leuis & uaporoſa, & ſic credo illam membranam debilitatam. Vbi autem eſt intemperies ſine materia, non fit ea ſubitò. Ergò credo quod ſit facta aliqua præcipitatio alicuius materiæ frigidæ & pituitoſæ, quia non habet dolorem, & eſt in uno

in uno loco, & non habet calorem, ergò uidetur quòd à materia frigida. Et ipse etiam dicit se à Medicis per calefacientia esse adiutum. Ergò habemus ægritudinem facientem hoc symptoma, & est intemperies cum affluxu materiæ frigidæ & pituitosæ. Nunc de causa uidendum illius subitæ præcipitationis, an à capite, an ab alijs partibus proueniat. Ego habeo coniecturã unã à modo præcipitationis, quia occupauit totam illam partem sinistram, quòd caput fuerit repletum, & sic uirtus expulsiua surrexit & expulit: nec credo quòd tanta materia à uentriculo sit transmissa, sed quòd à capite illa materia deuenit ad eum locum. An ibi generata propter aliquam intemperiem, an ab alijs membris eò deuenit? Ego non audio quòd præcesserit aliquid, quòd cerebrum sit obnoxium alicui nocumento, nec quoad sensus interiores, nec quoad exteriores. Quod passus est asthma, et quòd materia à capite descẽderit, fateor: sed inde non sequitur quòd illa materia primogenio affectu genita sit in cerebro: & ita credo quòd in toto corpore generatur illa materia, & sub modo uaporis ascendit ad caput, & sic præcipitatur ad diuersas partes: & ut hoc credam habeo indicia duo: primum est dispositio corporis, est enim totum corpus humidum, & hepar est calidum & humidum etiam in senectute, multò magis in pueritia tale fuit: omnes enim pueri calidi sunt & humidi, sunt item ingluuiosi, & plurimum ingerunt, & hinc fiunt plurimæ euaporationes, quia ubi calor & humiditas multa, ibi etiam multa fit euaporatio, & ita repletum est caput, teste Galeno

leno, III. de loc. affect. Qui habent hepar calidum, semper subiecti sunt repletioni capitis. Secundò, huic naturali dispositioni acceßit posteà ratio uictus, quia delectatus semper est conuiuijs, & sic multiplicata sunt plurima excrementa. Quando erat puer, materia illa superabundans & superflua præcipitata est ad pulmonem, & fecit asthma: posteà in iuuentute, ubi calor fit igneus & fortior, multiplicata est adustio: quia ubi plurimum de sanguine, ibi est plurimum de de fæce sanguinis, & etiam de bile, & sic natura incitata, loco asthmatis generatus est fluxus hæmorrhoidũ, per quem sanguis melancholicus & adustus expurgatur: quia in mutatione ætatis, ut anno XXI. id est, in tertio septenario, teste Aphor. 3. lib. mutantur ægritudines: & sic eo tempore facta est alia ægritudo, siue potiùs excretio, scilicet mariscarum. Nam & Galenus quærit, an Hæmorrhoidum fluxus sit ægritudo, uel sola excretio quædam. Et sic semper fuit sanus. Posteà in senio, ubi iam calor extinguitur, & refrigeratur sanguis, & totus habitus corporis, multiplicatur pituita. Hinc in Augusto mense factis obstructionibus, ne materia exiret per mariscas, aggregata sunt excrementa: quia senes uolunt uiuere ut iuuenes, & accedunt ad conuiuia, quod sæpe soleo in senibus reprehendere, & ideò congregant multas superfluitates & frigidas & crudas, & sic ascendunt uapores frigidi ad caput, & repletur caput, quo repleto defluit materia ad partem affectam. Et sic habemus successum huius morbi ex historia rei. Materia est quidem in capite, sed per consensum partium

tium inferiorum, & maximè uentriculi. Quoad prognosticum, habemus quidem morbum factum, quod est considerandum: sed nõ uideo morbum fientem, & nullum planè uideo signum morbi fientis. Quando incandescit, repletur caput: & facta est uertigo, quæ est ex bile & crudis humoribus in uentriculo, & non cecidit in terram, sed dixit ad seruum ut eleuaretur, quod non est mirum, quia habuit debile crus. Et sic non uideo quo modo generetur hic morbus. Neque erit ratione frigiditatis uentriculi, quæ non est magna, non enim expuit multum &c. Fames illa non est signum frigiditatis uentriculi, imò pituita relaxat os uentriculi, & non fit fames ex pituita in uentriculo, nisi sit & acida & pauca. Ergò non sequitur, habet famem multam, ergò uentriculum frigidum. Et sic non credo quòd sit uentriculus frigidus, nec quòd sit in cerebro aliqua noxa, sed tantùm esse morbum factum. Deniq; dicit, quòd postquàm habuit bonam rationem uictus, iam meliùs habeat. Et si haberet membra ista debilitata, et si comederet Manna, tamen generarentur superfluitates. Et sic nõ credo ego quòd sit morbus in fieri, sed solùm in facto esse. Ergò cura tota ad morbum factum dirigatur, & posteà præseruetur, ne iterũ aggregetur materia. Nam stante aliqua debilitate capitis, erit timendum ne incidat in maiores ægritudines. Et sic credo quòd tantùm morbus factus sit curandus, & nullum membrum faciens curandum.

Petitur à nobis præcipuè, an debeat accipere aquas Thermarum? Hæc autem assumi potest uario modo, uel per potum, uel aquam, uel foueam, uel lutum. Dico ego

quòd nō ſit differendum remedium ad menſem Septem=
brem, ſed nunc debemus occurrere, quia morbus factus
eſt, & membra ſunt debilia ex frigiditate, & niſi in
æſtate hoc fiat, multò minus fiet in autumno: & ideò
dico quòd in his caloribus aliquid ſit faciendum: &
aër, IX. Therap. eſt pro ægritudine, quia ægritudo eſt
frigida & humida, et aër eſt calidus & ſiccus, & ſic
eſt conueniens tempus operandi. Non autem darem
hanc aquam in potu hoc tempore, ſed potiùs in Septem=
bri, quia calefacit non ſolùm uentriculum, ſed etiam
uenas, neruos & muſculos, quod ex ſudore, quem pro=
uocat, uidemus. Quoad ſtillicidium, dico quòd non con
ueniet, quia illud membrum, ſcilicet cerebrum, non eſt
affectum, et morbo facto eſt occurrendum. Et ſic non
ſentio cum Medicis Venetis, qui conſuluêrunt eius Ma=
gnificentiæ ſtillicidium tale. Sed pro parte affecta ſua=
derem ego quòd fieret ſtillicidium: uerùm quia iam ſunt
maximi calores, et aër balneorum nunc eſt peßimus,
& propter uapores & propter muſcas, non conſule=
rem quòd accederet ad balnea, ſed quòd curaret ſibi
afferri eam aquam tàm calidam actu, ut fieri poſſet, &
ſic fieret ſtillicidium pro parte affecta, et maximè cir=
ca uertebras colli, ubi fermè eſt cauſa omnium dolorum,
& etiam circa alias partes. Et quia habemus aërem
unà operantem, ſentio quidem cum Medicis Venetis,
quòd conueniat ſtillicidium, ſed non in capite, ut ipſi
dicunt, ſed circa illas partes quas dixi, ſcilicet uerte=
bras colli, ut uideant Medici Veneti quòd & nos rem
intelligamus. Quoad foueas & lutum dimitterem nunc,
quia

quia non est tempus oportunum. Interim tamen, ut est consuetudo nostra, et experientia edocti sumus, ne resoluatur illud quod est tenue, et indurentur partes crassiores, emolliatur quotidie illa materia, quando scilicet non est usus balnei. An conueniat cauterium? Ego credo quòd omninò fieri debeat: sed maxima quæstio est, in quo loco fieri debeat. In cauterio habemus quatuor. Primum, corroborationem loci & exiccationem: ideò sæpe applicamus ipsi loco affecto, ut Gal. applicat, sinapismos capiti & parti læsæ: et Albucasis capiti applicat cauteria. Secundum, ut fiat diuersio. Tertium, ut deriuetur materia à loco propinquo ad locum alium: ut cùm in epilepsia facimus cauteria in crure, est auersio. Deriuatio est, ut cùm patiente coxendice dextra, facimus cauterium in loco uicino. Ideò Gal. pro ualidißimo remedio phlebotomauit eundem locũ in Ischiade. Quartum est euacuatio à loco, ut etiam euacuetur materia in loco existens, cùm est morbus factus. Hìc non indigemus diuersione, quia materia illa in loco, et imbibita in uenis, non potest trahi per auersionem: et ideò non facerem diuersionem in pede altero, quia illa diuersio esset uana & inutilis. Si ratione deriuationis, an conueniat circa partēs affectas? Dico, quia tota pars à principio ad finem afficitur, nescio in qua parte debeat fieri cauterium pro illa deriuatione. An uerò pro corroboratione loci? Hoc cauterium non debet fieri, nisi post euacuationem materiæ illius loci, & ideò non pro corroboratione etiam loci conueniet cauterium. An pro euacuatione à loco, qui est quartus usus cauteriorum? Dico

quòd nec hoc, quia totus ille locus patitur: igitur non uideo quomodo cauterium conuenire poßit. Ideò primò uellem euacuare materiam ad præseruationem, & non ad curationem: & facerem cauterium in brachio dextro, et in crure dextro, non ut curarem morbum, qui est in loco affecto, sed ut cùm applico resoluentia ad illum locum affectum, ne trahatur materia ad locum affectum. Facerem igitur cauteria in brachio & crure sano propter diuersionem, quia tota pars sinistra est affecta: & non facerem propter materiam in loco existentem, sed propter præseruationem, non ut tollatur ægritudo facta. Et sic accipiat istud stillicidium circa illam partem, ut diximus, et cauteria applicentur, prout indicauimus esse ex re Magnificentiæ suæ.

FINIS.

Index

INDEX

Eorum morborum potissimum, qui tertia Montani centuria disceptantur, curantur, aut proponuntur: summatim in seriem Alphabeti perstrictus.

A


CTIONES & naturales, & animales læsæ pag. 86
Ad caput corroborandum p. 107
Ad Gallicum morbum utilis expurgatio pag. 73
Ad uermes puerorum pa. 99. 127
Aestuatio stomachi, & alia mala in muliere grauida pag. 64
Affectio hypochondriaca confirmata, cum alijs symptomatibus pag. 352
Alopecia & Ophiasis pag. 289
An hypochondriaca melancholia affectus adolescens ad balnea Apponensia mitti debeat? pag. 358
Aquæ distillatæ per Alembicum, etiam à calidis herbis, frigidas habent demonstrationes pag. 256
Articularis morbus, cum frigiditate corporis, & omnium membrorum principalium imbecillitate, & catarrho pag. 123
Ascites cum tympanite pag. 129
Aurium surditas & tinnitus pag. 251
Aurium tinnitus, hæmorrhoides, cum scabie pag. 213

B

Brachium læsum, & omnium principalium membrorum influxu destitutum pag. 387

C

Cachexia, & dolor pectoris, cum pluribus alijs malis dispositionibus mulieris pag. 110
Calor pedum cuiusdam, stupor, dolor dorsi, obstructio urinæ, & difficultas in eiaculando semine, & claudendæ, aut aperiendæ manus pag. 88
Catarrhus ad pectus descendens, febris putrida, quæ ad Hecticam uergere uidetur pag. 15
Catarrhus, cum affectu quodam melancholico p. 364
Catarrhus cum febri continua, sputo sanguinis, ac suspicione hecticæ pag. 233
Catarrhus, cum sputo sanguinis, & pure pag. 345
Catarrhus defluens ad pectus pag. 109
Catarrhus, dolor capitis, pleuritis, & febris pag. 181
Catarrhus, fastidium, cruditas uentriculi in Germano pag. 177
Catarrhus, flatus, rugitus, in intestinis, fluxus hæmorrhoidalis, diminutio menstruorum, cachexia, & dolor in pectore pag. 110
Catarrhus, febris, iuncturarum dolor, uentriculi frigiditas, & hepatis caliditas, puellæ pag. 114
Catarrhus, in articulari morbo, et alijs doloribus 123
Catarrhus multis alijs symptomatis coniunctus p. 318
Catarrhus, qui suffocationem minabatur pag. 51
Catarrhus salsus, podagra, & splenis durities, cum caliditate cordis, hepatis, capitis, & renum pag. 119
Catarrhus subtilis, & acutus ad fauces & tracheam arteriam descendens pag. 50
Causæ omnium fluxionum pag. 86

Cauterium pag. 104
Cholicus Monachus pag. 248
Cœlica anus pag. 249
Contractio manus, cum plærisq; alijs malis 390
Cor, hepar, caput & renes calidi, catarrhus salsus, podagra, & durities splenis pag. 119
Crurum contractio pag. 302

D

Defœdatio cutis pag. 329
Destillatio à capite, & febris, in octuagenario, post apoplexiam, & paralysim pag. 24
Destillatio, podagra, tremor splenis, & alia pag. 200
Diarrhœa ciuis Patauini pag. 154
Difficultas anhelitus, uertigo, & defœdatio cutis pag. 329
Difficultas in emittendo spermate, & alia multa accidentia pag. 88
Diminutio menstruorum cum pluribus alijs incommodis in muliere pag. 110
Dislocatio, & contractio sinistri cruris pag. 310
Dolores articulares pag. 83
Dolores articulares in adolescente, pustulæ in toto corpore, & ophthalmia pag. 66
Dolor brachij ad præseruationem apoplexiæ p. 375
Dolor capitis diuturnus in muliere pag. 100
Dolor capitis, pleuritis, febris, & catarrhus pag. 181
Dolor dentium pag. 180
Dolor dorsi pag. 88
Dolor iuncturarum, febris, catarrhus, & alia in puella

la pag. 114
Dolor pectoris in muliere, unà cum alijs difficultatibus pag. 110
Dolor renum pag. 73
Dolor spinæ, usque ad renes, & alia pag. 41
Durities splenis, cum podagra, catarrho salso, & alijs affectibus malis pag. 119
Dysenteria pag. 247

E

Egestiones liquidæ, & loturæ carnis similes pag. 42
Epilepsia cum alijs malis pag. 61
Epilepsia puellæ pag. 161
Epilepsia pueri pag. 367
Erisypelas phlegmonodes in ancilla pag. 248
Erosio uentriculi, cum multis alijs malis pag. 32
Euacuatiuum in morbo Gallico pag. 245

F

Fastidiũ, uentriculi cruditas, et leuis catarrhus Vuolfgangi à Vuerter pag. 177
Febris acuta mulieris grauidæ, cum æstuatione stomachi, & lypothymia pag. 64
Febris continua pag. 266
Febris continua ex bile, & pituita crassa pag. 260
Febris continua cum catarrho, sputo sanguinis, ac suspicione hecticæ pag. 233
Febris cum capitis dolore, pleuritide, & catarrho pag. 181
Febris, cum præfocatione matricis in Iudæa muliere pag. 252

Febris,

Febris, dolor iuncturarum, catarrhus, uentriculi frigiditas, hepatis caliditas, in puella pag. 114
Febris, & destillatio à capite ad alias partes in sene octuagenario pag. 24
Febris interpolata pag. 263
Febris pestilens, cum lenticulis pag. 62
Febris putrida, ad hecticam inclinans pag. 15
Febris putrida in Hecticam commutata pag. 254
Febrim putridam sequuta hectica pag. 52
Febris quartana pag. 261
Fluxionum omnium nomina, causæ, & signa pag. 86
Fluxus pituitosus per urinam, cum ulcere in pudendis, tabe, manus contractione & hypochondriaca affectione pag. 390
Fœtus quinq; mensium, an uiuere posit, nec nec p. 23
Frigiditas corporis, & membrorum principalium imbecillitas, cum catarrho pag. 123

G

Gallici morbi euacuatiuum pag. 245
Gallici morbi suspicio pag. 12
Gallicus morbus, podagra, hectica, & pruritus maximus pag. 296

H

Hectica cum morbo Gallico & alijs pag. 296
Hecticæ periculum, & principium post febrem putridam pag. 52
Hecticæ periculum, ex putrida febre, & alia pag. 15
Hepatica, & splenetica paßiones in iam grandæuo Polono pag. 169

Hepatis

Hepatis caliditas in puella, unà cum alijs doloribus multis pag. 114
Hepatis inflammatio uentriculum debilitat pag. 179
Hydrops ex Ascite, & tympanite pag. 129
Hæmorrhoides & alia multa incõmoda mulieris 110
Hæmorrhoides, & aurium tinnitus, cum scabie p. 213
Hypochondriaca affectio, præter innumera alia mala pag. 390
Hypochondriaca melancholia, uide sæpiùs Melancholia hypochondriaca.
Hypochondriacus dolor, & alia multa pag. 41

I

Imbecillitas stomachi pag. 110
Imbecillitas uisus, unà cum alijs symptomatis pag. 382
Ischia pag. 152

L

Lenticulæ, cum pestifera febre pag. 62
Lypothymia leuis in grauida muliere, cum alijs necessitatibus pag. 64

M

Macies, tremor cordis & alia plurima corporis mala pag. 32
Manus clausa difficulter aperitur, aut aperta difficulter clauditur pag. 88
Melancholia pag. 155
Melancholia hypochõdriaca 56.118.112.216.337
Melancholia Iudæi cuiusdam pag. 191
Melancholia mulieris 35. annorum pag. 173
Melancholiæ cura pag. 275

Melancholicus affectus, cum catarrho pag. 364
N
Nomina fluxionum omnium pag. 86
O
Ophiasis, & Alopecia pag. 289
Ophthalmia 282
Ophthalmia, cum alijs incommodis in adolescente p. 66
Ophthalmia in adolescente pag. 94
P
Paralysis sinistri lateris pag. 397
Pleuritis, cum dolore capitis, febri, et catarrho p. 181
Pleuritis pueri quinquennalis pag. 178
Pthysis pag. 139
Pthysis, seu ulcus pulmonis pag. 18
Podagra, hectica, & pruritus, coniuncta morbo Gallico pag. 296
Podagra, splenis durities, catarrhus salsus & alia pag. 119
Podagra, tremor splenis, & destillatio pag. 200
Pomum odoriferum Vuolfgangi à Vuerter pag. 245
Præfocatio matricis, unà cum febre Iudææ mulieris pag. 252
Priuatio sensus & motus in brachio sinistro pag. 81
Pruritus, & palpitationes sub musculis in iuuene p. 20
Pruritus in scabie humida pag. 221
Pruritus ingens in laborante morbo Gallico cum alijs incommodis pag. 296
Puluis catarrhosis utilis à cœna, ita ut non bibat post assumptum pag. 246
Pustulæ

Pustulæ & scabies in cute, pruritus, & palpitationes sub musculis, & frequentia suspiria. in iuuene p. 20
Pustulæ in toto ambitu corporis, ophthalmia, & articularis dolor pag. 66

Q

Quartana triplex pag. 226

R

Renum debilitas in sene pag. 44

S

Sanguinis sputum, cum pure & catarrho pag. 221
Scabies, cum molestijs conformibus in iuuene pag. 20
Scabies pag. 218. 222. 223
Scabies humida, cum pruritu pag. 221
Scabies, tinnitus aurium, & hæmorrhoides pag. 213
Septuagenarius senex prope melancholicus pag. 18
Signa omnium fluxionum pag. 86
Splenetica & hepatica paßiones in Polono sexagenario pag. 169
Splenis durities magna post longam quartanam, in iuuene pag. 225
Spuitio saniei, causa tußis pag. 10
Stupor in quodam, & alia multa pag. 88
Stupor, cum uisus deprauatione pag. 83
Stypticitas uentris, uigiliæ, tristitiaq;, & periculũ melancholiæ in septuagenario sene pag. 18
Suffusio oculorum pag. 107. 289
Suppreßio menstruorum puellæ pag. 71
Surditas 367
Surditas & tinnitus aurium pag. 252

Tabes,

T

Tabes, & manus contractio, cum multis alijs symptomatibus pag. 320
Tensiones hypochondrij, & uentris, & alia pag. 41
Timor & tristitia sine ulla causa, macies, tremor cordis, & erosio uentriculi pag. 32
Tremor cordis, cum alijs symptomatibus pag. 32
Tremor manus pag. 223
Tremor splenis, cum podagra & alijs malis pag. 200
Tristitia melancholiæ proxima pag. 18
Tubercula pectoris & alia pag. 83
Tußis, à sputo saniei proueniens pag. 10
Tußis ingens puerperæ pag. 250
Tympanites & Ascites in hydropico pag. 129

V

Ventriculi cruditas, fastidium, catarrhus, in Germano quodam pag. 177
Ventriculi frigiditas, cum alijs multis malis in puella pag. 114
Ventriculus debilitatus, ob inflammatum hepar p. 179
Vermes in pueris pag. 99. 127
Vertigo pag. 108
Vertigo, cum alijs malis pag. 329
Vigiliæ, & alia grauia corpori mala in sene pag. 18
Visio deprauata, stupor, dolores articulares, & tubercula pectoris pag. 83
Visus debilitas in muliere quinquagenaria pag. 115
Visus imbecillitas. uide imbecillitas uisus.
Vlcus in pudendis, cum alijs malis pag. 390

Vlcus

Vlcus pulmonis pag. 18
Vnguentum ad lepram, seu scabiem exuitio uirtutis aßimilatiuæ pag. 223
Vrinæ obstructio, & spermatis difficultas pag. 88
Vulnus cuiusdam in tertia uertebra, cum consequutis malis pag. 81

Tertiæ Montani Consultationum Medicarum cum capitulari suo Indice.

FINIS.


VIN
GENT

